PHILOSOPHIA MAIGNANI SCHOLASTICA

SIVE IN FORMAM CONCINNIOREM ET auctiorem Scholaſticam digeſta & coordinata.

COMPLECTENS EX OPINIONIBUS VETERIS ac recentioris Philoſophiæ notabiliores diſquiſitiones, quæ ad uſum Scholæ pro juventute inſtituenda deſiderantur: diſtributa in tomos quatuor.

TOMUS I.

Authore R. P. JOANNE SAGUENS ejuſdem Ordinis Minimorum & Urbis Toloſanæ Alumno: hic & Romæ olim Veterano Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſore.

TOLOSÆ,
Apud ANTONIUM PECH, Collegii Toloſani PP. Soc. JESU Typogr. & Bibliop. ſub ſigno Nominis JESU.
M. D.CCIII.

Cum Privilegio Regis, & Approbationibus Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO

D. DOMINO JULIO DE MASCARON

EPISCOPO AC COMITI AGINNENSI,
REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIS,
ET ORDINARIE' A CONCIONIBUS

FELICITATEM.

P*Ræſidentiæ meæ fuit* (PRÆSUL ILLUSTRISSIME) *potentis patrocinii Tui tutelam ambire : Tuæ fuit Humanitatis humilem officii mei clientelam non abnegare. Tuæ, inquam, Humanitatis id fuit, quâ ne Tibi ipſi vim inferas, afferre cæteris opem implorati præſidii coarctaris. Quamquam nec Humanitati Tuæ ſatis eſt, ſi patiatur Te ab omnibus facilè conveniri & abundè, ut ſic loquar, participari : ipſa ſollicitat, offert,*

ſpondet ſpem plurimam omnis poſtulationis ultrò exaudiendæ. Tam felix hac in parte fui, qui vix Philoſophiæ meæ præoptavi Authoritatis Tuæ pro ipſa decertaturæ oſtenſionem: & ecce jam quaſi anticipatò gerebas Perſonam Mecœnatis tam amantiſſime complexuri. Sed quàm felicior! qui quotquot ambitioſæ omni requiſitioni Mecœnates occurrere potuiſſent, tot in Te uno collectos comperi.

Si affectare potui Nobilem: Ades ex nobiliſſima oriundus ſtirpe, quæ ex Luſitania germinans in Scotiam Galliamque ramos uberes profudit & his Regnis providit Viros Fortes, & Bellicoſos Duces, qui in delendis hoſtibus, in arcibus expugnandis, in tuendis caſtris pro ſacra Religione ac Pace Terrâ Marique feliciter ac generoſe prævaluerunt.

Si conferre me volui ad Eruditum: annon in Te ſplendet omnigena eruditio, & ſine faſtu ad faſtigium ſummum perducta. Nec mirum, bonas omnes Artes habuiſti collactaneas, ne dicam Tibi ab ornatiſſimo & in Republica Literaria florentiſſimo Patre ingenitas; quas acquirere non debueris, ſed promovere.

Aut ſi malui ad Virum verè pium confugere: in proſpectu eſt Pietas, quæ ab annis tenellæ adoleſcentiæ Tuæ mirè quidem enituit, ſed quid proficeret vix habuit, quia præceps increvit, dum ſpem omnem Mundanam ſprevit, divitiis & honoribus valedixit, & in ſinu ſacri Oratoriani Inſtituti latere voluit. Quin & latuiſſet, niſi eam Doctrina & Elo-

Digitized by Google

quentia inito conjurationis fœdere prodidiſſent non Tibi uni, ſed omnibus ac in primis uni alterique acquiſitionis Tuæ Populo profuturam.

Eædem rurſus proditrices inſontes heu quoties humilibus Pietatis Tuæ latibulis graves inſidias paraverunt! ſed ad propulſandam omnem ſpiritus inſtantis jactantiam invocaſti Dominum & dixiſti, Mitte illam (*ſapientiam*) de cælis ſanctis tuis & à ſede Magnitudinis tuæ, ut mecum ſit & mecum laboret. *Hæc tecum fuit; hæc Tecum laboravit in omnibus; hæc nativam humilis ac bonæ indolis propenſionem ſuſtinuit, mentis perſpicaciam auxit, roboravit oris facundiam ac perpolivit.*

Hæc ipſa eſt, Præſtantiſſime Præſul, *quæ Tecum in Regio frequentiſſimæ Aulæ ſuggeſtu detonuit & emicuit ita* fortiter *ut quocunque velles, corda omnium inclinares, ita* ſuaviter *ut nulla Tibi contrariaretur voluntatum rebellio. Hæc laudabilem Tuam ac Tibi ſingularem loquendi prælicentiam ſic temperabat, ut mirarentur omnes. Te nec tacendum quicquam audere, nec audendum tacere. Hæc mores Principum Procerumque Regni ita ingenioſe pingebat, ita evangelice arguebat, ita fructuoſe reformabat, ut per annos multos noluerit Rex conſuetudines Aulicas ab alio pingi, argui, reformari. Et ut Alexander olim* Edicto vetuit ne quis ſe præter Apellem pingeret, *ſic* Regi *Sapientiſſimo viſum eſt per duodecim Adventûs & Quadrageſimæ Sacrarum concionum ſtadia*

Chriſtianiſſimi Principis effigiem Aulicorumque Chriſtianorum à Te efformari : adeòne ut nemo unquam fuit Apelle Præſtantior, qui vultus pingeret, ita neminem noverat, qui mores humanos aut nobiliùs depingeret aut ſeveriùs reformaret. Quocirca non hoc vereor ne ultra veritatis metas proſiliam, ſed illud contrà, ne infra veritatem ſubſiſtam. Te Tua, Te ventura omnis mirabitur ætas.

Hinc ex quo ſic honorabilis & glorioſus *factus es in conſpectu* Regis*, evaſiſti dilectus & ei comparuiſti dignißimus, cui Populorum ſuorum ſalutem crederet. Hi Populi ſunt,* Illuſtriſſime Præſul, *Tutellenſis, & Aginnenſis : ille primos zeli Tui æſtus perſenſit, iſte ſecundos, uterque pares : par apud utrumque fuit ſollicitudo Eccleſiarum & irrequieta anxietas. Tua & ita conſtans ac perurgens, ut ab utroque merueris vocari Pater pauperum, mœrentium Conſolator, Magiſter omnium ac Defenſor. Sed erat Populus ille prior impar dilatatiſſimo cordi Tuo : pauca, quæ habuit, vaſa impleſti oleo benedictionis : at ubi defecerunt,* ſtetit oleum. *Poſterior iſte, ad quem abſens & nihil tale cogitans, ordinatione Divinâ, Principis juſſu, plaudente Eccleſiâ tranſlatus es, plura habuit quæ offerret : & hîc rurſus capit oleum fluere : hîc iteratò exarſit generoſus zeli præconcepti ignis, cui præcurrebant convertenda multa hominum millia caligines & fœditates Calviniſticas adhuc ſectantium.*

Digitized by Google

Hos omnes, ut brevì dixerim, & vicisti verbo & convicisti exemplo, quia apud eos Evangelium Tuum non fuit in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in ſpiritu ſancto, & in plenitudine multa: *ita ut jam non Oves inter Lupos miſere convivant, ſed Lupis in Oves ſanctè commutatis Tuus mirum in modum Grex evaſerit numeroſior, & in unanimitate tam eſſloreſcente compoſitus, ut ambigatur an major* fiducia, gloriatio, ſuperabundantia gaudii *ſit Paſtoris apud Gregem, an Gregis apud Paſtorem: an Grex Paſtori, an Paſtor Gregi ſit carior ac pretioſior.*

At quàm in primis Aginni, ubi Tua ſedet Authoritas, carum ac pretioſum ſit nomen Tuum, non dico: dixerim tamen præclaræ ac lautæ Urbis illius, quæ de murorum ſuorum antiquitate, de irriguitate tractuum & ſituum amœnitate, de ſuorum Incolarum nobilitate ac venuſtate cum omnibus jure contenderet, Proceres & Cives univerſos in Te eſſe propenſiſſimos & unam eorum eſſe vocem erumpentem continuò in applauſus, jubilationes ac deprecationes aſſiduas pro diuturnitate Tui regiminis. Tum ut olim Toloſates, jam ſunt anni pluſquam quadringenti, in Antiſtite ſuo Hugone *gloriabantur, ſic Aginnenſes in ſuo* Julio *ejuſdem Gentis & cognominis ferè ſuperbiunt ſuſpicientes ſapientiam Tanti Antenati in Tanto Abnepote glorioſiſſimè conſummatam.*

Hanc gratulatoriam vocem attollunt quotquot ſunt

ex Clero & Clauſtro : ii tum maxime, qui in utroque aut pietate florent, aut eruditione clarent. Quamvis enim in omnes ſinum Tuum effuderis : at iſtos (quæ Tua eſt ſpirituum diſcretio) ſingulari tum magnificentiâ, tum honorificentiâ perſtrinxiſti. Quoniam verò Te ipſum (audeo dicere) profudiſſe videris, Amantiſſime Præſul, *erga Familiam noſtram Aginnenſem, quin ſimul erga noſtram Provinciam Minimitanam Aquitanicam, hæc in apertiſſimam gratitudinis ac reverentiæ ſignificationem Tibi ſe ex voto totam conſignavit, & nunc in effœto iſto Oratore Tuo percuperet ora centum Ciceronianæ loquentiæ, quamquam & iſta adhuc eſſent imparia ponderi tam immenſæ Tuæ beneficentiæ ſuſtinendo.*

Hæc quoque ſunt incentiva, quæ me perurgebant ad devovendam Authoritati Tuæ & ſiſtendam ad pedes Gentilitiæ Tuæ Turris omni armatura fortium prævalentis Philoſophiam hanc P. Maignani in uſus Scholaſticos à me explanatam : jamque omninò confido ut qualemcunque illius fortunam defendere non dedigneris. Vale officioſe ac verè operarie Paſtor, & vive diu ad decus Galliæ, ad utilitatem Gregis Tui, & ad voluptatem omnium, qui Tua merita norunt ac complectuntur. Hæc & omnia bona apprecatur ex animo demiſſiſſimo.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationi Tuæ

Toloſæ in Conventu S. Rochi nuncupato hac die 7. Aprilis. 1703.

Addictiſſimus & obſequentiſſimus ſervus & cliens.

F. JOANNES SAGUENS Minimus.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

De Philoſophia in univerſum pauca dicam, quibus tantùm obiter præmoneam quid addiſcendum proponere ſibi debeat quiſquis ad illius ſtudium ſeriò ſe accingit. Siquidem licet apud omnes ſit protinùs in confeſſo Philoſophiam aliud eſſe nihil, quàm deſiderium conjunctum cum exercitatione Sapientiæ, adeò tamen diſparia ſunt, quæ ſinguli pro ſuo genio ad iſtam Sapientiam pertinere arbitrantur, ut nihil tam ambiguum, quàm *Philoſophiæ* nomen videatur. Hinc permulti non amplectuntur pro germana & utili Philoſophia, niſi illam quæ paſſim inſerit diſquiſitiones ac demonſtrationes Mathematicas: ut è contra plurimi illam refugiunt & aſpernantur, quæ tota non eſt in ſubtilibus difficultatum Logicalium jurgiis. Tum cæteris in ea non placent niſi abſtractiores momenti Metaphyſici contentiones: aut ex adverſo ſola ac frequentiſſima rerum Phyſicarum experimenta. Tandem nec deſunt, qui pro extraneis vel otioſis habeant contentiones omnes præter Morales. Verè ac tutò ſenties, ſi ad ſtudia Philoſophica pertinere arbitreris ſelectam ex his omnibus probe intellectis & idoneè exer-

Digitized by Google

citatis congeriem : ex quibus utique prodeat utraque illa mentis ac voluntatis rectiſſima diſpoſitio, in cujus ſola fruitione ſplendet tota comparatæ Philoſophiæ dignitas. Ubi advertis repudiabiles non eſſe ac multò minùs inter ſtudia Philoſophica contemptibiles notitias ſaltem aliquas Mathematicas, ac in primis Geometricas, quæ antiquis Philoſophis ejus momenti eſſe videbantur, ut nec niſi per eas reputarent ad cæteras Philoſophiæ partes patere poſſe aditum : & reverà quotquot ſunt qui nec ipſa Matheſeos rudimenta norunt, quid niſi in pleriſque rebus Phyſicis, ut iis quæ pertinent ad ſtructuram continui, ad ſucceſſionem motûs, ad diſpoſitionem ſyſtematis Mundani, &c. quid, inquam, niſi plane cæcutiunt, & cæcutiendo balbutiunt. Quare vehementer propendebam in hoc conſilium, ut operi meo præfigerem initiationes ſaltem aliquas Geometricas, nec abſtinuiſſem : ſed dubitavi quin hæc novitas abſterreret multos, & à non paucis referret commutatam pro laude reprehenſionem. Agedùm conſuetudini morem geram, & Philoſophiam, ut fieri ſolet, quadripartiar in Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam & Moralem : ita ut compareat quadruplex Philoſophia *Ratiocinii*, *Entis*, *Naturæ* & *Morum*, denominatione ſic acceptâ à ratiocinio, cujus leges edocet Logica ; ab ente, cujus ſpeculationes Metaphyſica dirigit ; à Natura, cujus

reconditiores tum effectus, tum cauſas Phyſica meditatur; & tandem à moribus, quorum informationi Moralis incumbit. Quia verò quæcunque in præmiſſis partibus Philoſophiæ ſic diviſæ tractantur, affinitatem multam habent cum rebus pleriſque ad Deum Hominemque ſpectantibus, inde ſumpta eſt occaſio definiendi Philoſophiam per notionem *ſcientiæ rerum Divinarum & Humanarum ex principiis Naturalibus partæ*. Et hæc definitio illud equidem habet commodi, quòd apertiſſimè Philoſophiam ſecernat à cæteris ſcientiis, quæ non pertractant niſi res Divinas per principia Fidei: ſed illud quoque habet incommodi, quòd non ſufficienter explicet quæ & qualia ſint objecta illa tum Divina, tum Humana, de quibus in curſu Philoſophico edifferitur: in quo utique nec niſi pauca ex Humanis, nec niſi ex Divinis pauciora admodùm attinguntur. Verumtamen hæc ſatis vel ſola lectione ejuſdem curſus Philoſophici, quantumcunque apud varios Authores varii ac fere arbitrarii, dignoſcuntur. De cætero circa partes, ex quibus jam prænominatis Philoſophia coaleſcit, nolo quicquam de dignitate aliarum præ aliis definire: tantùm dixerim eas, ut corporis membra juvant ſe invicem conferuntque ſingula quidquid habent virium ac pulchritudinis ad illius vigorem ac formam, ſic initâ ac conjuratâ ſocietate concurrere ad accumulandam Philoſophiæ

dignitatem; & ita quidem feliciter, ac nobiliter, ut hinc Philoſophia univerſis ſcientiis, (ſi Theologiam unam excipis) tantum ſuperextet, *Quantùm Lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Ne dicam cum Boœtio, quamvis fortè paulò aſperiùs loquente, illas non eſſe ſuperioris momenti, quàm *ſcenicas meretriculas*, ſi cum graviſſima Philoſophiæ præeminentia conferantur. At non immoror in his Philoſophiæ laudibus congerendis, agnoſcens eam non accumulata encomia, ſed dummodò ſevera ac ſincera ſui ſtudia poſtulare. Quare ſi quid in commendationem illius eloqui propoſuiſſem, quid niſi exponerem quantùm illa mentem Humanam erudiat, exornet, impleat, alioquin futuram fere amentem: ita ut ab Humanæ Sapientiæ faſtigio eò remotior quiſque cenſendus ſit, quò vitam trahit ab exercitationibus Philoſophicis pertinaciùs alienam. Tum ex hac Philoſophia, quam Deus olim liberaliter infudit, ſed ſudoribus deinceps vendidit, non dico quàm multiplex ac incredibilis perciperetur utilitas, ſi ab omni dubiorum caligine, aut ſaltem ab omni errore libera diſceretur: at ô miſeram Mortalium conditionem! quot ſunt Philoſophaſtri, qui præfulgentem illius faciem luteis ingenii ſui vani fictionibus fœdaverunt, ſic ut evaſerit tantò turpior, quantò plura ab ejuſdem exortu fluxerunt ſæcula? Quemadmodùm enim qui è petra ſcaturiunt lati-

ces, limpidi ſunt; ſed deinceps per alveos ſordes contrahunt ac non raró in cloacis fœtidis computreſcunt; ſic Philoſophia quondam puriſſima, in præventas plerorumque Hominum mentes delapſa tot contraxit ignorantiæ fæces, ut jam lutulenta fœteret, niſi Deus quædam interdum providiſſet ingenia, quæ illam detergerent pro viribus & reſtituerent primigeniæ puritatis decori. Hæc inter plurima, quibus abſit ut præripiam laudem, quam in Republica Literaria promeruerunt, liceat mihi unum memorare Maignanum, qui *Naturæ*, loquar cum Tertuliano, *Diſcipulus*, ſic de rerum Natura ſcripſit, ut ea ſi poſſet ſe ipſam typis vulgare, paucos in ejus libris apices immutaret: vel id tantùm adjiceret, quod Vir iſte quamquam plane eruditiſſimus maluit ab aliis affirmandum relinquere, quàm res ſibi parumper dubias pro indubitatis publicare, ut multi ſolent. Eapropter ex cæleſtibus & meteoricis plurima, quæ ferè non ſubjacent niſi humanæ divinationi, omiſit rara cum animi modeſtia, qualem ubique ac ſemper in ſcriptis ſuis intemeratam ſervavit. Et hæc ipſa eſt philoſophandi modeſtia, quæ tantum pro Tanti Viri ſententiis capiendis ardorem in me commovit, ut ex quo me adhuc juvenem monitis Philoſophicis dignabatur, pauci dies effluxerint quorum horas ſucciſſivas in eo legendo non expenderim. Hinc fas mihi ſit de Maignano

Digitized by Google

circa res Naturæ loqui, ut olim de Paulo circa res Fidei loquebatur Cryſoſtomus. *Neque enim nos*, aiebat, *ſi quid ſcimus ab ingenii bonitate atque acumine ſcimus: ſed quòd erga hunc Virum impenſè affecti ab illius lectione nunquam recedimus.* Tum verò utramque illius Philoſophiam Naturalem & Sacram ſic colui & docui cum affectu, ut de me digniùs ſentiens quàm merita poſtularent, juſſerit mihi ad meritum obedientiæ unus ex Reverendiſſimis Noſtris Præpoſitis Pericrius utriuſque elucidationem promovere &, ſi quid eſt obſeratius aperire; ſi quid jugoſius, complanare; ſi quid verbo dicam intellectû operoſius, omnium captui coæquare. Ut enim ſolent Magni Viri non facilè ſe ad captum vulgi demittere, ita Maignanus ſui celſitatem ingenii non ſatis dejecit, neque Philoſophiam exhibuit, qualis adſtitit olim Boœtio *ſtaturâ diſcretionis ambiguæ: nam nunc quidem ad communem ſeſe hominis menſuram cohibebat, nunc verò pulſare cælum ſummi verticis cacumine videbatur.* Stylus etiam ex parte Mathematicus, licet ad convictionem aptiſſimus, quo plerumque utitur, multis minùs placet, eique ſolitum ac ex toto Scholaſticum anteponunt: nec cæteris parum aſperum videbatur non obtinuiſſe curſum Philoſophicum ad mentem tanti Viri plane integrum, ſed reſciſſum à multis quæſtionibus pertractatione Scholaſtica non indignis. Quare ut juſſus fui,

Digitized by Google

ita ſtatui ſupplere & coordinare ad uſus ſolitos Scholæ, quidquid ad integram curſus Philoſophici compilationem deſiderari videbatur. In quo tandem ſuſcepti qualiſcunque laboris negotio, Lector optime, quid niſi veritatem vel inquiro, vel inquiſitam audacter propono & abſque metu incurrendæ reprehenſionis? Imo *magis optabo à quolibet reprehendi, quàm ſive ab errante, ſive ab adulante laudari. Nullus reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis*, ut aiebat olim S. Auguſtinus lib. 2. de Trinitate; *etenim aut inimicus reprehenſurus eſt aut amicus. Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt; amicus autem ſi errat, docendus; ſi corrigit, audiendus.*

Digitized by Google

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre: A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maiſtres de Requêtes ordinaires de ſon Hôtel, Prévoſt de Paris, Baillifs & Seneſchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra: SALUT. Le Pere JEAN SAGUENS, Religieux Minime, Nous ayant fait ſupplier de luy accorder nos Lettres de Privilege pour l'impreſſion d'un Cours de Philoſophie, qu'il deſireroit donner au Public ſous le titre de *Philoſophia Maignani Scholaſtica, ſive in formam concinniorem & auctiorem Scholaſticam digeſta ac complanata à R. P. Joanne Saguens, ejuſdem Ordinis Minimorum; Alumno Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſore Veterano*, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Preſentes, de faire imprimer ledit Livre par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choiſir, en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, pendant le temps de douze années conſecutives, à compter du jour de la datte des Preſentes, & de le faire vendre & diſtribuer par tout nôtre Royaume; faiſant défenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre, ſous quelque pretexte que ce ſoit d'impreſſion étrangere & autrement ſans le conſentement de l'Expoſant ou de ſes ayans cauſe, ſur peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable, un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous depens, dommages & intereſts, ainſi qu'il eſt plus au long porté par ledit Privilege. Donné à Verſailles le treziéme jour d'Aouſt l'an de grace mil ſept cens deux, & de nôtre Regne le ſoixantiéme. Par le Roy en ſon Conſeil. LE COMTE.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le ſeptiéme jour de Septembre, 1702. TRABOUILLET Syndic.

Acheyé d'imprimer pour la premiere fois ce 17. Avril 1703.

Digitized by Google

Approbationes Superiorum.

Frater Joſephus Gaſch Lector jubilatus, ſanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificator, & totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

DOctiſſimi Noſtri Maignani Philoſophiam à clariſſimis Viris & Profeſſoribus in pluribus Academiis publicè & cum magno applauſu uſque in hunc diem edoctam, nunc vero à R. P. JOANNE SAGUENS noſtræ Provinciæ Toloſanæ veterano Theologiæ Profeſſore in novum ordinem diſpoſitam, & methodo familiari ac Philoſophiæ ſtudentibus magis accommodatam ſub hoc titulo, ***Philoſophia Maignani Scholaſtica*** &c. permittimus in publicam utilitatem prælo mandari: poſtquam à duobus noſtris Theologiæ Profeſſoribus à R. admodùm Patre Provinciali præfatæ Provinciæ nominandis fuerit examinata & approbata; ſervatiſque aliis de jure & more ſervandis. Et in fidem &c. Datum in hoc noſtro Hiſpaniarum Valentino Conventu, hac die 21. Martii 1703.

F. JOSEPHUS GASCH ***humilis Corrector Generalis.***

De mandato Reverendiſſimi P. Generalis.

F. JOSEPHUS BERTIER ***Aſſiſtens Gallus.***

Nos Frater Claudius Verdel Fratrum Ordinis Minimorum per Aquitaniam Provincialis R. P. Ioanni Saguens Provinciæ noſtræ Theologo ſalutem.

VIsâ Reverendiſſimi Patris Joſephi Gaſch Lectoris Jubilati, ſanctæ Inquiſitionis Hiſpaniarum Qualificatoris & totius Ordinis Minimorum Correctoris Generalis licentiâ, quâ tibi permittitur publici juris

Digitized by Google

facere opus Philoſophicum Maignaniſticum, quod paraſti ſub titulo *Philoſophia Maignani Scholaſtica*, &c. dummodo fuerit antè examinatum & approbatum à duobus ex noſtris Theologiæ Profeſſoribus, Nos ad hunc effectum aſſignamus tibi in examinatores prædicti operis RR. PP. Stephanum Raſeiré & Hugonem Dubrueil veteranos Theologiæ Profeſſores. In quorum fidem &c. Datum in hoc noſtro Minimorum Conventu *S. Rochi* nuncupato hac die 3. Aprilis anno 1703.

Frater ***CLAUDIUS VERDEL*** *Provincialis.*

NOs infraſcripti Fratres Ordinis Minimorum obtemperantes mandato Reverendi admodùm Patris Claudii Verdel Provincialis perlegimus omni, quâ potuimus, diligentiâ opus Philoſophicum à R. P. Joanne Saguens compoſitum, cui titulus eſt *Philoſophia Maignani Scholaſtica* &c. nihilque in eo comperimus, quod ſive bonis moribus, ſive rectæ rationi, ſive ſacræ fidei contrarietur. Imò comperimus ſparſa toto opere & ſolida ratiocinia & nova experimenta, quæ doctiſſimi noſtri Maignani mentem mirum in modum fulciunt & dilucidant. Quare prædictum opus cenſemus omninò Typis dignum. In quorum fidem ſubſcripſimus hac die 7. Aprilis 1703.

Frater ***STEPHANUS RASEIRE'*** *Minimus & Theologiæ Profeſſor.*

Frater ***HUGO DUBRUEIL*** *Minimus & Theologiæ Profeſſor.*

Digitized by Google

TOMUS HIC PRIMUS complectitur Logicam & Metaphyſicam. Tum verò Logica præter exercitationes permixtas continet octo Diſputationes in ſuos articulos ſubdiviſas juxta ſequentem.

DISPUTATIO PRIMA eſt de operationibus mentis, & dividitur in quatuor articulos.

ART. I. *De numero operationum mentis.*
ART. II. *De prima mentis operatione, quæ eſt apprehenſio.*
ART. III. *De ſecunda opertione, quæ eſt judicium.*
ART. IV. *De tertia mentis operatione, quæ eſt diſcurſus.*

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA eſt de ente rationis, & continet articulos quatuor.

ART. I. *DE ente rationis reali.*
ART. II. *De ente rationis chimærico.*
ART. III. *De ente rationis Logico.*
ART. IV. *De ente rationis denominativo.*

DISPUTATIO TERTIA eſt de Univerſalibus, & habet articulos ſex.

ART. I. *QUid & quotuplex ſit Univerſale?*
ART. II. *An detur Univerſale à parte rei?*
ART. III. *Quomodò fiat Univerſale?*
ART. IV. *De genere & ſpecie.*
ART. V. *De differentia & proprio.*
ART. VI. *De accidente & individuo.*

DISPUTATIO QUARTA eſt de terminis, & complectitur quatuor articulos.

ART. I. *DE diviſionibus terminorum.*
ART. II. *De ſignificationibus terminorum.*
ART. III. *De proprietatibus terminorum.*
ART. IV. *De oppoſitionibus terminorum.*

Digitized by Google

DISPUTATIO QUINTA eſt de modis ſciendi, & dividitur in quatuor articulos.

ART. I. *QVid & quotuplex ſit modus ſciendi?*
ART. II. *Quid ſit diviſio, ſeu primus modus ſciendi?*
ART. III. *Quid ſit definitio, ſeu ſecundus modus ſciendi?*
ART. IV. *Quid ſit diſcurſus, ſeu tertius modus ſciendi?*

DISPUTATIO SEXTA eſt de propoſitionibus, & complectitur articulos quatuor.

ART. I. *DE quidditate ac differentia propoſitionum.*
ART. II. *De prima propoſitionum proprietate, quæ eſt oppoſitio.*
ART. III. *De ſecunda propoſitionum proprietate, quæ eſt æquipollentia.*
ART. IV. *De tertia propoſitionum proprietate, quæ eſt converſio.*

DISPUTATIO SEPTIMA eſt de variis diſcurrendi ſpeciebus, & dividitur in quinque articulos.

ART. I. *DE principiis generalibus ſyllogiſticis.*
ART II. *De figuris ſyllogiſticis & earum præceptis.*

Digitized by Google

ART. III. *De modis ſyllogiſticis.*
ART. IV. *De variis ſpeciebus ſyllogiſticis.*
ART. V. *De reductionibus ſyllogiſticis.*

DISPUTATIO OCTAVA
eſt de ſcientia in communi, & complectitur articulos quatuor.

ART. I. *DE natura ac multiplicitate ſcientiæ in communi.*
ART. II. *De productione ſcientiæ.*
ART. III. *De unitate ac ſubalternatione ſcientiarum.*
ART. IV. *De contubernis ſcientiæ cum opinione & fide.*

Deinde Metaphyſica complectitur quatuor diſputationes in ſuos articulos ſubdiviſas juxta feriem ſequentem.

DISPUTATIO PRIMA
eſt de ente in communi, & dividitur in articulos quatuor.

ART. I. *DE conceptu entis.*
ART. II. *De univocatione entis.*
ART. III. *De præciſionibus entis.*
ART. IV. *De diſtinctionibus entis.*

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA eſt de proprietatibus entis, & complectitur quatuor articulos.

ART. I. *De veritate & falſitate entium.*
ART. II. *De veritate & falſitate propoſitionum.*
ART. III. *De bonitate & malitia entium tranſcendentali.*
ART. IV. *De unitate & multitudine entium.*

DISPUTATIO TERTIA eſt de eſſentia, &c. entis in communi, & habet quatuor articulos.

ART. I. *De eſſentia, ſeu poſſibilitate entis in communi.*
ART. II. *De exiſtentia entis in communi.*
ART. III. *De ſubſiſtentia entis in communi.*
ART. IV. *De accidentalitate entis in communi.*

DISPUTATIO QUARTA eſt de prædicamentis, & complectitur ſex articulos.

ART. I. *De prædicamento ſubſtantiæ.*
ART. II. *De prædicamento quantitatis.*

Digitized by Google

Art. III. *De prædicamento qualitatis.*
Art. IV. *De prædicamento relationis.*
Art. V. *De prædicamento utroque actionis & paſſionis.*
Art. VI. *De cæteris quatuor prædicamentis.*

LOGICA

Digitized by Google

LOGICA
SIVE
PHILOSOPHIA RATIOCINII.

PLURIMA ſunt, quæ ex vulgari Logica Maignanus reſecuit, tanquam parum utilia & aptiora, ut puto, ad mentem Sophiſtarum acuendam, quàm ad ingenia Philoſophorum, uti par eſt, excolenda. Nihilominus ut conſuetudini morem geram, nec tam longè abſcedam à trito tramite cæterorum, ea non negligam, ſic tamen ut in iis tractandis futurus ſim multò compendioſior. Atque ut illicò compareat velut in tabula ſeries eorum, quæ ad Logicam attinent ediſſerenda, dico illam in primis ſatagere, ut operationes mentis dirigat adhibitis in hunc finem inſtrumentis ſciendi, definitione ſcilicet, diviſione, & argumentatione: tum verò proinde tractat de entibus rationis, de naturis univerſalibus, de terminis, de propoſitionibus, &c. Quatenus illa cum illis neceſſariò connectuntur. Unde intelligis logicam conſiderandam eſſe veluti januam ſcientiarum: & hæc haud dubie ratio eſt, ob quam ſolent Scholaſtici nonnulla ſub Logicæ finem diſputare circa ſcientiam in communi. Igitur hæc erit partitio Logicæ in octo diſputationes. Prima erit de operationibus mentis; ſecunda

Digitized by Google

de ente rationis ; tertia de naturis univerſalibus ; quarta de terminis ; quinta de modis ſciendi ; ſexta de propoſitionibus ; ſeptima de variis argumentandi ſpeciebus ; & octava de ſcientia in communi. Verùm his omnibus præmittam quoſdam articulos, ut vocant procemiales de logica ſecundum ſe ſpectata, quam in hunc modum uno filo contexam, & ſine habita ratione inutilis illius diviſionis, quæ ſolet fieri in logicam parvam & magnam ; quaſi verò parvitas, aut magnitudo alicujus ſcientiæ pendeat ex arbitraria diviſione materiarum ad illius pertractationem ſpectantium.

ARTICULUS I.

PROOEMIALIS.

DE ORIGINE LOGICÆ.

I. Logica eſt directrix humani ratiocinii. NOTANDUM *Primò*. Logicam, ut ex nominis etymologia ſatis notum eſt iis, qui non ſunt prorſus græci ſermonis imperiti, eſſe nihil aliud quàm diſciplinam humani ratiocinii directricem ſive magiſtram, cujus proinde magiſterii ſubſidio juvamur, ac veluti manuducimur, ne inter diſcurrendum aberremus in iis, quæ ad utilitatem aut ſocietatem noſtram utcunque attinent. Quamvis enim, ut poſtmodùm quoque notabitur, tradiderit Deus homini animam ratiocinii capacem ; eam tamen noluit incapacem eſſe erroris, cui tantò periculoſiùs aliàs ſubjacet, quantò in pleriſque ſuis operationibus magis pendet à temperamento exercitioque ſenſuum corporeorum : Ab utroque enim tanquam ab origine tumultuantium paſſionum, quæ animam præveniunt, turbant, moleſtant, derivantur errores permulti, neque pauci ſuboriuntur ex præjudiciis, quibus abſque conſilio ſinit ſe homo abripi ſive in legendis libris, ſive in audiendis magiſtris, ſive in frequentandis parentibus, amicis, ſociis, alienigenis, &c. At undecunque provenire ſoleant aut poſſint, ad

Digitized by Google

eos vitandos, vel poſtquam irrepſerint emendandos, plurimùm proſunt præcepta rectè diſcurrendi omnia, quæ traduntur in Logica, quam ad diſcrimen à ***Naturali*** vocamus ***Artificialem.***

Notandum *Secundò.* Homini inſitum eſſe quoddam naturale lumen, à quo velut irradiante dirigitur in rebus ad vitæ rationalis decentiam & utilitatem ſpectantibus: ***Signaſti*** enim ***ſuper nos lumen vultus tui Domine***, ut ait Vates Regius. Hinc accidit ut in iis, quæ ad ſcientias & artes humanas attinent, unuſquiſque per ſe ipſum parumper diſcurrat; pauloque feliciùs in iis, quæ ſpectant ad res familiares domeſticas & rurales. Imo non rarò accidit ut ob experientiam & aſſuetudinem, de iſtis ſapientiùs judicent illiterati homines, quàm plures alii, qui in evoluendis & evulgandis libris exercitantur. Lux itaque illa ſive notitia congenita, quæ hominem juvat ad diſcurrendum utcumlibet de rebus omnibus, vocatur Logica ***Naturalis***: at naturam ars perficit; & ut optica perſpicilia oculorum vim augent ad percipienda objecta procul poſita, & ad ea, quæ propè adjacent, diſtinctiùs pervidenda; ita certæ quædam ratiocinii leges, quales in logica ſcholaſtica ſive artificiali traduntur, naturalem mentis humanæ intelligentiam adaugent, firmant, & efficiunt ut rerum quarumcunque propoſitarum veritatem promptiùs ac tutiùs aſſequatur: ſicque jam intelligis logicam artificialem nihil aliud eſſe, quam congeriem ſcientificam legum ad humani ratiocinii rectitudinem obtinendam ſpectantium. Quapropter non dubitatur quin logica hæc artificialis infuſa Adamo fuerit, propterea quòd meritò reputatur excepiſſe à Deo mentem imbutam legibus ac præceptis ad tutè raciocinandum deſideratis: nihilominus in gratiam conſuetudinis & exercitationis cujuſdam Scholaſticæ id à nobis probabitur paulò fuſiùs in aſſertione ſequente. **II. Logica Naturalis per artificialem perficitur.**

ASSERTIO UNICA.

Logica artificialis à Deo infuſa fuit Adamo.

PROBATUR *Primò.* Conſtans eſt omnium opinio Adamum accepiſſe à Deo, ut vires corporis perfectè ſani ac robuſti, ita & vim mentis plane integram: ſed hæc plane integra eſſe non potuit, niſi per infuſionem Logicæ artificialis: ergo, &c. Major eſt certa, quandoquidem Deus cenſendus eſt Adamo non minùs providiſſe ad perfectionem mentis, quàm corporis: quod opere utique abſoluto per ſe ipſum plaſmare, ac contemperare dignatus **III. Deus Adamo providit ad perfectionem mentis æquè ac corporis.**

Digitized by Google

eſt. Minor autem ſic probatur. Ad vim mentis planè integram requiritur, ut mens ſit libera ab omni debilitate ſeu dubietate judicii & diſcurſus : ſed ſic libera eſſe non potuit mens Adami, niſi per infuſionem Logicæ artificialis : quatenus hæc una eſt, quæ judicandi & diſcurrendi leges tradit firmas, ac infallibiles : ergo, &c. Tum verò mentem Adami non potuiſſe imbui logica artificiali, niſi per infuſionem, hinc evincitur ; quia tres tantum ad aliquid ſciendum viæ occurrunt ſcilicet traditio, inventio, infuſio : & traditio quidem eſt à magiſtro, quem Adamus non habuit ; inventio autem ſummopere pendet à præviis experientiis, quas nunquam ille præſtiterat : ergo ſupereſt, ut non aliter logicam obtinere potuerit, quàm per infuſionem, quæ eſt communicatio quædam ſupernaturalis ſpecierum, talium ſcilicet, quæ attinent ad ſcientiam, quæ infundi ſupponitur.

IV. Si Adamus Logicam ignoraſſet, fuiſſet plane ignarus.

Probatur *Secundò.* Adamus non excepit à Deo animam omni planè ſcientia denudatam : ſed ſi ita eſt, inſtructus fuit & imbutus logica ſibi per infuſionem communicata : ergo, &c. Major ſatis conſtat : neque enim decebat ut rector orbis ac magiſter verſaretur in pudenda omnium ſcientiarum ignorantia. Minor autem probatur ; quia omnis ſcientia ſuam omnem tum certitudinem, tum evidentiam deſumit ex demonſtrationibus ſyllogiſticis : at hujuſmodi demonſtrationum vis ac veritas non innoteſcit niſi per Logicam : Tum etiam quia non eſt cenſendus obtinere ſcientiam alicujus objecti quicunque non poteſt de illo ac ſecundum omnem illius latitudinem diſcurrere abſque periculo & occaſione erroris : quomodò autem poteſt periculi hujus & occaſionis inſtantia declinari ſine ſubſidio logicæ, quæ ſola tradit regulas firmas & infallibiles diſcurrendi ? ergo, &c.

V. Infuſionem logicæ probant cæteræ prærogativæ ſtatus innocentis.

De cætero miſſas facio rationes paulo ſubliniores, quibus Theologi probant extitiſſe in Adamo omnes ſcientias ; & maxime propter excellentiſſimum originalis innocentiæ ſtatum, cujus prærogativæ ac dotes inſigniores erant, quàm ut cum ignorantia jungerentur : præter vim ineluctabilem, quam ponunt in illis paucis verbis Sacræ Scripturæ, *fecit Deus hominem rectum*, ſcilicet rectitudine non minus mentis, quàm corporis : at illa rectitudo importat intelligentiam ab omni deviatione ſeu obliquitate erroris liberam, ſicut iſta involvit, ultra robur perfectæ contemperationis, ſtaturam abſque ullo claudicationis, aut cujuſvis alterius corporeæ irregularitatis defectu. Has inquam & ſimiles rationes miſſas facio, quarum utique prolixior conſideratio ad Theologos, & ad ſacros interpretes magis pertinet, quàm ad Logicos ; quibus ſatis eſt, ſi obiter do-

Digitized by Google

ceantur, quæ ſit Logicæ tum præſtantia: tum antiquitas, ut hinc tanto magis ipſos præoccupet ejuſdem addiſcendæ ardor generoſus & conſtans. Sed jam videamus quid contra poſitam aſſertionem poſſit objici.

VI. Infuſio logicæ fuiſſet Adamo inutilis.

Objicies *Primò.* Logica fuiſſet inutilis Adamo: Ergo non fuit illi à Deo infuſa. Conſequentia recte deducitur; antecedens verò ſic probatur. Non potuit eſſe illi utilis, niſi ad perficiendum illius intellectum. Sed ad hoc erat inutilis: ergo, &c. Maior conceditur; minor autem probatur in hunc modum; ideo enim in nobis eſt utilis aut etiam neceſſaria ad intellectus perfectionem, quia ex quo fuimus obnoxii peccato originali, fuimus & errori; eademque labes, quæ maculavit animam, obſcuravit etiam intellectum. At Adamus, qualis ſupponitur in ſtatu innocentiæ, obſcuratum non habebat intellectum: ergo non indigebat luce aliena Logicæ artificialis.

VII. Mens Adami ſi fuit perfecta, non potuit perfici.

Adde quod rationes ſupra allatæ, quæ probant Deum Adamo contuliſſe mentem perfectam, probant proinde eam non potuiſſe ultra perfici: Nam quod dicitur artem perficere naturam, id intelligitur de natura imperfecta. Aut ergo mens Adami perfecta non fuit, ſi perfici potuit: aut perfecta fuit, & ſic perfici non potuit per Logicam artificialem: ergo, &c.

VIII. Mens Adami potuit accidentaliter perfici.

Reſp. Duplicem eſſe intellectus perfectionem potentialem, ſcilicet & actualem: illa eſt eſſentialis intellectui, ac proinde non magis augeri poteſt, quàm propria ipſius ſubſtantia; hæc verò eſt illi accidentalis, tantòque magis augetur, quanto plura ſunt objecta, quæ per actualem intellectionem attinguntur. Itaque ut in forma reſpondeas, nega antecedens, ad cujus probationem ſolvendam diſtingue ſic majorem. Non potuit eſſe illi utilis niſi ad perficiendum illius intellectum perfectione actuali concede majorem, perfectione potentiali, nega majorem & diſtincta ſimiliter minori nega conſequentiam. Cujus diſtinctionis ratio jam ſatis intelligitur; quis enim neget intellectum actualiter perfici per traditionem aut qualemcunque communicationem cujuſvis ſcientiæ, quamvis connaturalis ſeu conſubſtantialis ejuſdem intellectus potentia non perficiatur. Quare hoc pacto potuit perfici intellectus Adami per infuſionem Logicæ, & ſic de cæteris ſcientiis.

IX. Perfectio mentis in Adamo probat infuſionem.

Neque alia ſolutione opus eſt pro inſtantia addita: quatenus ſi Adam obtinuit à Deo mentem perfectam perfectione nimirum actuali, non utique ſic perfectam obtinuit, niſi propter ſcientias, quæ illam ſimul atque infuſæ ſunt, perfecerunt. Quare cùm aſſeritur mentem Adami creatam fuiſſe à Deo perfectam: idem eſt ac ſi aſſereretur Deum

Digitized by Google

nem Logicæ. ſimul mentem illius creaſſe & exornaſſe omnibus ſcientiis ; & ſic pravè inferunt Adverſarii ſuperfluum fuiſſe ut imbueretur Logicâ, propterea quod creata fuerit in ſtatu perfectionis ; cùm potiùs oppoſitum inferri debeat ex ipſo eodem ſtatu, qui neceſſariò ſupponit tum Logicæ, tum cæterarum ſcientiarum atque artium infuſionem.

X. Si Logica infuſa fuiſſet Adamo, Adamus non peccaſſet.

Objicies *Secundò*. Rationes quæ probant Logicam infuſam fuiſſe Adamo, ſimul probant infuſam fuiſſe in ſtatu perfecto ; at hoc eſt falſum : ergo & illud. Major vulgò conceditur, minor verò probatur : quatenùs ſi Logica Adamo fuiſſet infuſa in ſtatu perfecto, non potuiſſet Adamus unquam decipi : Decipi enim nihil aliud eſt, quàm labi in errorem alicujus judicii vel diſcurſus : at id planè omninò cavet Logica perfectè comprehenſa ; & nihilominus quis neſcit Adamum pariter cum Eva, vel potiùs ab Eva deceptum fuiſſe, quando pro eſu pomi vetiti ſe ſe ad preces ejus compoſuit ? ergo, &c.

XI. Adamus privari non debuit voluptate & honore inveniendi logicam.

Adde quod infuſio alicujus ſcientiæ tum adimit intellectui, cui ſcientia infunditur, voluptatem eximiam, quæ in ea adipiſcenda percipitur, tum ſuſpicionem ingerit ineptitudinis, ob quam intellectus non poſſit omninò, aut certè non ita facilè ſcientiam illam quæ infuſa ſupponitur, adipiſci. At neque adimendæ erat Adamo voluptas illa eximia, quam procreat acquiſitio ſcientiarum ; neque reputandus eſt intellectum habuiſſe ſic obtuſum, ut non facillimè ac celerrimè poſſet comparare ſibi quaſcunque ſcientias. Atque ita patet quàm ſuperfluum ſit ſupponere ſupradictam illam ſcientiarum infuſionem : & in primis Logicæ, quam ſi potuit, ut refertur, Ariſtoteles invenire, cur non Adamus potuiſſet adinvenire ſimiliter, quin etiam multò promptiùs, faciliùſque ?

XII. Adamus non fuiſſet deceptus ſi ad Logicam attendiſſet.

Reſp. Adamum ſi verè deceptus fuit *& non potiùs decipi voluit*, huic deceptioni locum dediſſe per internam præſumptionem, quâ fuit ad inobedientiam inclinatus : at interna illa præſumptio cœpit obſcurare ejus intellectum ; atque ita tum Logicæ, tum ſcientiarum cæterarum ruinas moliri. Unde contigit, ut Adamus inter naſcentes illas mentis tenebras conſtitutus non adverterit fraudem ſive dæmonis, ſive mulieris, quod perinde eſt, ipſum urgentis ad ſaporem pomi vetiti deguſtandum, & ſic deceptus fuit. Dixi tamen *& non potiùs decipi voluit*, quia ut ſacris ſcriptoribus placet, Adam non fuit deceptus ; ſed noluit caram conjugem contriſtari. Nunc itaque ut reſpondeam in forma ſyllogiſtica, conceſsâ majori nego minorem, pro cujus probatione, conceſsâ iterum majori nego rurſus

Digitized by Google

minorem; vel diſtinguo in hunc modum; deceptus fuit poſt cœptas Logicæ ruinas concedo minorem; ante cœptas, nego minorem: jamque hujus diſtinctionis ratio ſatis patet ex ſupradictis.

XIII. Infuſio Logicæ non obſtitiſſet acquiſitioni experimentali illius.

Ad id verò quod additur dico voluptatem illam eximiam, quæ in ſcientiis acquirendis percipitur, abundè ſuppleri per ſublevationem laboris, qui in iiſdem acquirendis impenditur: earum autem infuſio laborem iſtum omninò ſublevat. De cætero quamvis potuiſſet Adamus lapſu temporis quaſlibet ſcientias & artes ſibi comparare, non ſic tamen promptè & facilè, ut Adverſarius reputat: quia pleræque pendent à plurimis & iteratis experimentis, quæ proinde non mediocrem dierum, quin & annorum ſeriem exigunt ultra operam induſtriamque in illis faciendis deſideratam. Præterea tandem quamvis ſcientia quædam infundatur, nihilominus poteſt eadem deinceps experimentaliter addiſci conjungendo cognitionem practicam cum ſpeculativa; & ſic Adamus tum obtinere potuit voluptatem comparandæ eruditionis, tum potuit in ea comparanda ſui vim ingenii demonſtrare, itaque ſic ſatis patet ſolutio omnium objectorum.

XIV. Adinventio Logicæ falsò tribuitur Ariſtoteli.

At ſolutioni iſti obiter *ſubjungo* circa id, quod in objectione tangitur Logicam fuiſſe ab Ariſtotele adinventam, ſupponitur enim eam aut ex toto, aut magna ex parte deperiiſſe poſt peccatum, ac præſertim ex quo tempore omnis caro corruperat viam ſuam, veluti mente ipsâ, aliquatenus in carnem degenerante: *ſubjungo*, inquam, non mihi videri, cur Ariſtotelici ſuo Magiſtro tantùm gloriæ tribuant, quaſi verò Plato, Socrates, aliique antiquiores Philoſophi potuerint Logicam ignorare. Quare multò verius eſt plures eſſe, qui in Logica reſtauranda deſudaverint, nec otioſum fuiſſe Ariſtotelem, cui non diffiteor referendas eſſe acceptas regulas Logicales in methodum mediorem digeſtas.

ARTICULUS II.

PROOEMIALIS.

DE DIVISIONE LOGICÆ.

I. Variæ traduntur Logicæ diviſiones. NOTANDUM *Primò* varias circumferri ſolere in Scholis Logicæ diviſiones; namque præter illam Logicæ hinc naturalis, illinc artificialis diviſionem, quam articulo præcedente tetigimus, nonnulli triplicem logicam propter triplicem mentis operationem aſſignant; quaſi alia ſit primæ operationis directiva, tractetque proinde de terminis, aliiſque ad apprehenſionem ſpectantibus: tum alia operationem ſecundam dirigat agendo de propoſitionibus cæteriſve materiis, quæ ad judicium attinent: ac tandem quaſi tertiæ cujuſdam Logicæ officium ſit dirigere tertiam operationem mentis, ideoque in hunc finem edocere quæcunque ſunt attinentia ad diſcurſum. Logicam quoque alii partiuntur in demonſtrativam, topicam & Sophiſticam; ſtabiliuntque partitionem illam in triplici diſcrimine regularum, quas illa tradit ad diſcurrendum ſeu demonſtrative, ſeu topice id eſt probabiliter, ſeu ſophiſticè. Quamquam, ſi paulò cautiùs loquendum ſit, non docet Logica methodum diſcurrendi ſophiſtice; ſed potiùs dedocet aperiendo & vitando fallacias, quæ latent in diſcurſu ſophiſtico. At neglectis iſtis diviſionibus, quæ multo minùs ad logicæ naturam ſpectant, quàm ad ordinem in ea tradenda ſervari ſolitum, paulò attentiùs conſpicienda eſt illa, quæ vulgò traditur circa logicam docentem & utentem.

II. Quid ſit diſcrimé reale & reſpectivum. Notandum ea propter *Secundò* Logicam docentem ſpectandam eſſe veluti facultatem magiſtram, quæ tradit leges ad recte diſcurrendum idoneas, Logicam verò utentem aliter conſiderari poſſe ad inſtar facultatis quaſi ancillantis, & in praxim vertentis illas eaſdem leges, quæ à Logica docente traduntur. Unde cum praxis à ſpeculatione

ne differre videatur, & nihilominus ſoleat Logica ſub unius ac ſimplicis ſcientiæ titulo apprehendi, hinc enaſcitur altercatio illa Scholaſtica de identitate, aut diſtinctione admittenda inter Logicam docentem & utentem. Ad illam itaque altercationem componendam ſciendum eſt, quod in decurſu operis hujus Philoſophici ſæpe probabitur, omnem diſtinctionem eſſe vel realem vel reſpectivam. Diſtinctio realis eſt inter ea, quorum unius entitas eſt ſeparabilis, vel ſeparata ab entitate alterius: ſic partes corporis humani diſtinguntur realiter. Diſtinctio autem reſpectiva eſt inter ea, quæ entitatem quidem non habent ſeparatam aut ſeparabilem; ſed nihilominùs habent diverſum reſpectum ſive ordinem aut ad diverſa objecta, aut ad diverſa officia: Sic potentiæ animæ rationalis non differunt quidem realiter, quia omnium ac ſingularum una eademque eſt phyſica entitas, quæ eſt entitas incompoſita animæ; at nihilominùs differunt reſpective ab invicem propter diverſa tum objecta, tum officia, quæ illis tribuuntur. Nunc ergo in aſſertione ſequente oſtendetur diſcrimen, quod inter Logicam docentem & utentem comperitur, non eſſe reale; ſed reſpectivum, quaſi dicatur eas non eſſe, niſi duos diverſos reſpectus unius ejuſdemque realis ſcientiæ.

ASSERTIO UNICA.

Logica docens & utens non diſtinguntur ab invicem realiter; ſed reſpectivè. ſunt duæ partes.

PROBATUR *Prima* pars. Logica docens & utens non ſic diſtinguntur ab invicem, quaſi poſſit fieri quædam ſeparatio inter entitatem unius & alterius: ergo, &c. Conſequentia patet ex prænotatis; antecedens verò ſic probatur. Entitas Logicæ docentis non alia eſt, quàm cognitio ipſa habitualis regularum, quæ ad perfectè diſcurrendum ſpectant; & rurſus entitas Logicæ utentis quid aliud eſt, quàm exercitatio ſive applicatio habitualis talium regularum? Atqui hinc patet ſeparationem nullam poſſe fieri inter entitatem unius & alterius: Ergo, &c. Major eſt indubitata, minor verò ſatis manifeſta eſt, ſi attenditur nullam poſſe fieri à Logica utente applicationem actualem regularum Logicalium abſque cognitione actuali ipſarum; ac proinde applicatio habitualis talium regularum, in qua dictum eſt conſiſtere entitatem Logicæ utentis, ſecum neceſſariò importat ipſarum cognitionem habi- III. **Logica Docens & Utens non poſſunt realiter ſeparari.**

tualem, in quâ ponitur tota entitas Logicæ docentis. Ergo entitas Logicæ utentis eſt inſeparabilis ab entitate Logicæ docentis: quia verò omnis inſeparabilitas eſt reciproca, hinc ſequitur neutram poſſe ab altera ſeparari.

IV. Logica Docens & Utens ſimul addiſcuntur

Præterea exercitium Logicæ utentis non conſiſtit in quacumque applicatione regularum Logicalium; ſed in applicatione ſcientifica: applicatio autem hæc ſcientifica importat ſecum neceſſariò magiſterium Logicæ docentis, quaſi non tantùm ſuggerentis regulas applicandas, ſed inſuper cauſas faciendæ applicationis. Ergo Logica utens non eſt ſeparabilis à docente; neque proinde docens ab utente; tum quia ut dictum eſt, omnis inſeparabilitas eſt reciproca; tum etiam quia contemplatio regularum Logicalium illa, per quam Logica docens exercetur, mentem ſimul reddit idoneam ad hoc ut prædictas regulas applicet, cùm opus fuerit. Unde patet unâ, eâdemque operâ addiſci Logicam docentem & utentem; neque enim Logica utens, ut poſſet quis falsò ſibi ſuadere; conſiſtit in uſu actuali, ſed in idoneitate ſive diſpoſitione habituali mentis ad talem uſum, cùm opus fuerit, exercendum.

V. Logica Docens & Utens non ſunt realiter, niſi ipſiſſimus intellectus.

Denique, ſi tractanda eſt hæc materia in eo rigore, quem deinceps conſtanter tuebimur in rejiciendis qualiumcunque formarum accidentalium entitatibus phyſicis, certum eſt entitatem phyſicam Logicæ ſive docentis, ſive utentis non aliam eſſe, quàm entitatem ipſam intellectus per iterationem actuum convenientium aſſuefacti, ſive ſpeculationi, ſive exercitationi regularum Logicalium. Unde ſequitur Logicam docentem & utentem non magis entitativè differre à ſe invicem, quàm intellectum à ſe ipſo: ac proinde neutram poſſe ab altera diſcerni, niſi diſcrimine reſpectivo, quale poſtmodùm explicabo.

VI. Variiſunt reſpectus Logicæ Docentis & Utentis.

Probatur *ſecunda* pars. Logica docens & utens aliter atque aliter ordinantur ad regulas Logicales; quibus ſcilicet mens humana occurrit inſtruenda ad debitè diſcurrendum: Ergo ſaltem reſpectivè inter ſe diſtinguntur. Conſequentia patet ex ipſis terminis; antecedens quoque probatione nulla indiget, quandoquidem Logica docens non ordinatur ad regulas illas, niſi prout docendas, & è contrà Logica utens non refertur ad eaſdem, niſi prout exercitandas, ſive revocandas in praxim, quæ præmiſſæ ſpeculationi reſpondeat: nam Logica docens quid eſt niſi Logica ſpeculativa? Ac rurſus quid eſt Logica utens, niſi Logica practica? Hinc deſumo occaſionem ſubjiciendi nullam occurrere rationem, vi cujus debeant Logici conſere aliter de ſua logica hinc ſpeculativa, hinc practica, quàm Mathematici de

Digitized by Google

ſua ſive Arithmetica, ſive Geometria, ſive Optica dividi pariter ſolita in ſpeculativam & practicam. At nulli hactenùs Mathematico in mentem venit admittere inter Arithmeticam v. g. ſpeculativam & practicam diſcrimen quodcumque præter reſpectivum: quia ſcilicet Arithmetica practica iiſdem quibus ſpeculativa innititur principiis & præceptis: nec illis quicquam adjicit præter exercitationem, ad quam non ſe demittit altera: exercitatio autem (ſi id bene attenditur) perinde ac ſpeculatio extraneè ſe habet ad realitatem ipſam ſive ſcientiæ, ſive artis; multòque magis pendet ab arbitrio ſcientis, ſive artificis, qui ſpeculationem praxi præfert, aut ex adverſo praxim præeligit ſpeculationi ejuſmodi principiorum, quæ ad ſcientiam aut artem ſpectant. taliaque ſunt, ut poſſint vel ſola cogitatione conſpici, vel inſuper in uſum aliquem derivari. Ergo ut neceſſariò admittendum eſt diſcrimen aliquod reſpectivum inter Logicam docentem & utentem, ita rejiciendum eſt quodcumque aliud majus reſpectivo, ſicut erat probandum.

Objicies contra primam partem. Separatio realis manifeſtè arguit diſtinctionem realem: atqui ſæpe contingit Logicam docentem ſeparari realiter ab utente: ergo, &c. Major negari non poteſt; minor autem ſic probatur. Sæpe contingit ut in eodem intellectu conjungatur plena notitia Logicæ docentis cum ignorantiâ Logicæ utentis: idque experimentaliter probatur; quia multi ſunt qui callent peroptimè leges Logicæ docentis; & in illis ad praxim aliquam revocandis infeliciter ac fruſtra laborant: quod eſt ignorare Logicam utentem: ergo &c. **VII. Opponitur Logicam Docentem & Utentem ſeparari realiter.**

Adde quod Logica utens ſuperaddit docenti aliquid reale: ergo ex hoc etiam capite diſtinguntur realiter. Probatur antecedens. Logica utens ſpeculationi Logicæ docentis ſuperaddit praxim, ut omnes admittunt: ſed praxis eſt aliquid reale: ergo &c. Minor probatur; quia praxis, de quâ agitur, includit plures & iteratos actus mentis applicantis ad ſuum uſum regulas diſcurſivas, quæ à Logica docente traduntur: at illi plures & iterati actus ſunt haud dubie aliquid reale: ergo &c. **VIII. Logica Utens ſuperaddit Docenti aliquid reale.**

Reſp. Et conceſſâ majori nego minorem, pro cujus levicula admodum probatione ſolvenda dico poſſe quidem contingere, ut qui novit in abſtracto regulas ſyllogiſticas, non illas facilè applicet ad optatam materiam: at contingere non poteſt ut neſciat applicare; quia ſcilicet non aliter applicandæ ſunt, quàm quo modo applicandæ cognoſcuntur. De cætero Logica utens non conſiſtit in uſu actuali, ſed in notitia habituali, quæ ordinatur ad **IX. Aliud eſt Logica Utens, & aliud uſus Logicæ.**

Digitized by Google

cum uſum : atque ita quamvis Logica docens non ſemper conjungatur cum uſu ſui ipſius facili & expedito, non eapropter à Logica utente ſeparatur, quia, ut jam dixi, omnino aliud eſt Logica utens, & aliud uſus ejuſdem.

X. Realitas, qualis vulgò fingitur praxis ſyllogiſticæ nulla eſt.

Ad id autem quod additur reſpondeo ſimiliter Logicam utentem importare quidem ex ſe ipſa ordinem ad praxim ſyllogiſticam; ſed differre ab iſta praxi; quatenus hæc conſiſtit in actu aut in actuum repetitione; illa autem, ſcilicet Logica utens, poſita eſt in habitu, nimirum ad eos actus repetendos inclinante, ac per eoſdem parto. Atque ita id totum, quod congerit Adverſarius de praxi accedente ad ſpeculationem, nihil omnino convincit contra noſtram aſſertionem. Præterea quoque actus intellectivi non habent realitatem, qualiter vulgò fingitur, diſtinctam ab intellectu, ſicut nec intellectus ipſe realitatem habet diſtinctam à ſcientiis, quibus imbuitur: quare neque ex hoc capite ſufficienter probaretur diſtinctio realis inter Logicam docentem & utentem. Hinc ſatis patet qualiter in forma reſpondendum ſit ad hanc inſtantiam.

XI. Opponitur utriuſque logicæ idē effectus & idem finis.

Objicies contra ſecundam partem. Logica docens & utens tum eundem præſtant effectum, tum ad eundem finem referuntur: ergo fruſtra admittitur inter utramque diſcrimen ullum relativum. Conſequentia patet, antecedens verò facilè probatur; nam utraque mentem iiſdem omninò legibus imbuit; ſicut utraque pariter eò tendit, ut mentem hoc pacto dirigat, ac veluti manuducat, ne aberret inter diſcurrendum de rebus ad ipſius ſeu ſanctitatem, ſeu eruditionem, ſeu quamcunque aliam dotem, aut convenientiam attinentibus: ergo, &c.

XII. Opponitur etiam identitas principiorum.

Præterea nulla ſcientia differt à principiis, ex quibus conſtat; quid enim aliud eſt quæcunque ſcientia, quàm certa quædam congeries talium principiorum, ex quibus eruuntur concluſiones, quæ ad talem ſcientiam ſpectare dicuntur? Sed principia Logicæ tum docentis, tum utentis ſunt omnino eadem; aut ſi non ſunt eadem, aſſignetur quænam utriuſque ſit differentia: ergo, &c.

XIII. Attendenda eſt diverſitas procedendi.

Reſp. diſtinguendo antecedens. Logica docens & utens tum eundem præſtant effectum, tum ad eundem finem referuntur diverſo modo ac motivo, concedo antecedens: eodem modo ac motivo, nego antecedens, cujus probatio eſt ſimiliter diſtinguenda. Ratio autem datæ diſtinctionis hæc eſt; quia poteſt idem intellectus iiſdem principiis aliter, atque aliter perfici, obtinendo ſcilicet conſuetudinem vel ea pure ſpeculandi, vel ea deinceps vertendi in aliquem

Digitized by Google

curſum humanum : quo pacto poteſt quis vel pure ſpeculari principia aſtronomica ; vel convertere illa in fabricam aſtrolabii, ſphæræ, annuli, aliorumve id genus inſtrumentorum, quæ ad praxes aſtronomicas requiruntur. Itaque Logica docens & utens pariter quidem intellectum perficiunt & ad perficiendum tendunt ; ſed nihilominus aliter atque aliter : quatenus docens quidem illum perficit ſpeculatione ; utens verò exercitatione legum logicalium, quas illa ex motivo ſpeculativo, hæc autem ex motivo practico ſuggerit.

XIV. Hæc diverſitas ſolvit inſtantiam.

Ad inſtantiæ tum additæ deciſionem eadem ſolutio quadrat : cum jam ex dictis manifeſtum ſit eadem principia, talium ſcilicet ſcientiarum, quæ non enumerantur inter pure ſpeculativas, ſic mentem humanam afficere, ut eam perficere poſſint tum ſpeculatione, tum exercitatione, quæ eſt veluti quædam deſcenſio ſpeculationis ad praxim. Atque ita principia, quamvis omninò eadem in ſe ipſis abſolute ſpectatis, poſſunt conſiderari ſub tali diverſitate, quæ ſufficiat ad diſcrimen reſpectivum, de quo agitur ; nec aliter ſentiendum erit de ſcientiis, quæ ex illis principiis reſpective diverſis coaleſcunt. Unde intelligitur qualiter nihil vetat admittere diſtinctionem hujuſmodi reſpectivam inter Logicam docentem & utentem.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

PROOEMIALIS.

DE QUIDDITATE SCIENTIFICA & artificiali Logica.

I. Quid ſit ſcientia? NOTANDUM *Primò.* Pro deciſione hujus controverſiæ, quæ vulgo in Scholis ſic excitatur, ***an & qualiter Logica ſit ſcientia, vel ars***, ſcientiam proprie acceptam recte definiri ſub hac forma ***habitus certi & evidentis parti per demonſtrationes.*** Ubi per habitum intelligitur cognitio habitualis, per quam ſcientia convenit cum cæteris cognoſcendi generibus, quæ intellectui tribuuntur: tum hic habitus dicitur ***certus*** ad diſtinctionem opinionis, quæ eſt de rebus probabilibus & incertis: Additur ***evidens*** ad diſcrimen fidei, quæ eſt circa res non apparentes: denique ***partus per demonſtrationes***; quibus verbis inſinuatur modus ille unicus, ſcilicet demonſtrativus, quo comparari poteſt evidentia juncta cum certitudine, ac ſimul ſuggeritur non ſic comparari cæteros habitus intellectivos quatuor, nempe ſapientiam, intellectum, prudentiam, & artem, de quibus aliàs ſuo loco agetur.

II. Quid ſit ars. Notandum *Secundò.* Artem rurſus ſtrictè acceptam definiri ſolere ***habitum cum recta ratione effectivum***, ſive ***factivum***, id verò diſcriminis, ſtabiliunt Logici inter habitum activum & factivum, quod ille prior totus ſit circa opera ipſa rectæ rationis interna; hic autem poſterior verſetur circa opera quæcumque externa prodeuntia ab arbitrio, ſtudio & moderamine rectæ rationis. Hinc accipiendo artem paulo univerſaliùs prout utrumque habitum activum & factivum comprehendit, enaſcitur vulgaris diviſio artium in liberales & mechanicas, quarum præcipuæ hoc uno & altero verſu deſignantur.

Digitized by Google

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra.
Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

ILLÆ igitur quæ priori Hexametro indicantur ſcilicet Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Muſica, Geometria, & Aſtronomia, ad dignitatem habitus activi attinent, & pro liberalibus reputantur: quæ autem poſtriori Pentametro concluduntur ſcilicet Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgica, Textoria, & Nautica cenſentur magis propendere in habitum factivum, & vocantur mechanicæ. Non deſunt tamen, quibus diviſio præfata non placeat: & id recte quidem; quatenus nulla fere eſt ars ſive ex enumeratis, ſive ex cæteris, quæ ad enumeratas revocantur quamtumvis mechanica ac ſervilis, ut aiunt, quæ apud ſui peritos atque inventores non ſecum admittat judicium ac moderamen rectæ rationis: quo pacto pro liberali habenda eſt. Sic ars nautica licet à multis ſive fabris lignariis, quod ſpectat ad navigiorum fabricam, ſive Nautis, quod ſpectat ad navigationem, mechanice ac ſerviliter exerceatur; quis dubitet quin pro liberali & ſcientifica habenda ſit apud Giraldum, Medinam, Hericonium, Merſennum & alios qui de re Nautica præclarè ſcripſerunt, & apud pleroſque cæterorum, qui toties ac tam feliciter univerſa maria metiuntur? Redeo nunc ab his prænotatis ad litem, quæ inter Logicos exagitatur circa titulum ſive ſcientiæ, ſive artis, Logicæ tribuendum.

ASSERTIO UNICA.

Logica eſt abſolutè ſcientia, & nihilominus eſt ars ſecundum quid, ſcilicet liberalis.

PROBATUR *prima* pars. Ad hoc ut Logica ſit abſolutè ſcientia id tantum exigitur, ut certò & evidenter per demonſtrationes adhibitas probet ſuas concluſiones, ſive præcepta ac dogmata, ex quibus conſtat: Atqui hoc totum præſtat: ergo &c. Major conſtat ex definitione quam ad ſcientiæ notionem præmiſi; minor verò ſatis probatur enumeratione aſſertionum, quarum veritas probatur in Logica certò & evidenter; veluti tres eſſe operatio-

III. Logica probat demonſtrativè ſuas concluſiones

nes mentis, tres eſſe modos ſciendi, ſyllogiſmum conſtare ex tribus propoſitionibus, intellectum poſtquam præmiſſis ſemel aſſenſit, neceſſitari ad concluſionis aſſenſum, atque ita de pleriſque aliis: ergo &c. Neque obſtat plurima ex iis, quæ in Logica traduntur, in dubietates & controverſias confuſiſſimas revocari; id verò nunquam contingeret, ſi certò & evidenter demonſtrarentur. Non, inquam, id obſtat, cum in cæteris ſcientiis non abſimiliter idem accidat: neque tamen à ſcientifica dignitate degenerent, quia ad non degenerandum ab illa ſufficit ut principia ac præcepta ſcientiæ cujuſvis ſint certa & evidentia, ſicque idonea ad eruendam ex ipſis veritatem ſimul cum evidentia conſequentiarum: quamvis ex inſcitia hominum accidat, ut non eruatur, aut eruta obvolvatur adhuc tenebris, quæ dubietates ac lites noſtras procreant. Atque idem proinde ſentiendum de Logica, in qua nihil relinqueretur ambiguum, ſi principia illius, ut certa & evidentia ſunt in ſe ipſis, ità à nobis certò & evidenter comprehenderentur.

IV. Cæteræ ſcientiæ habent à Logica ſuas demonſtrationes.

Præterea abſque ſubſidio Logicæ nulla certitudo, nulla evidentia eſſet in ſcientiis cæteris: idque patet cum neutra obtineri poſſit, niſi per diſcurſus demonſtrativos, quorum vim planè penetrare nemo poteſt, qui non didicerit præcepta ac principia Logicæ. Cum itaque, ſi quid in Phyſica, Metaphyſica, Morali, Mathematica, &c. ſcientificum eſt, id totum à Logica derivetur, conſequens eſt Logicam eſſe ſcientiam, quin inſuper ſcientiarum procreatricem & januam. Ac denique cùm in dubium nemini unquam venerit, quin Philoſophia ſit ſcientia, ſuaſque inter partes Logicam complectatur, hinc rurſus patet Logicam eſſe ſcientiam; alioquin ad illius compoſitionem non pertineret; cum abſurdum ſit fingere ſcientiam, cujus partes ad dignitatem ſimilem non accedant: idque tum maxime, quia generaliter loquendo omne totum à ſuis partibus, quidquid in ipſo eſt, emendicat.

V. Artis eſt tradere leges reducibiles ad praxim.

Probatur jam *ſecunda* pars. Ad artem pertinet tradere leges in ordine ad opera unius aut multiplicis generis efficienda, quæ quidem ſi ſervilia fuerint, inde ars ſervilis dicitur; aut è contra liberalis vocatur, ſi liberalia fuerint: ſed Logica leges tradit ad opera diverſi generis efficienda, ſcilicet rationalia ac proinde liberalia; namque leges tradit ad fabricam definitionum, diviſionum, diſcurſuum, univerſalium, &c. Ergo, &c. Et inde eſt quod inter artes liberales enumeratur ſub vocabulo *Rationis*, in verſibus præcitatis.

VI. Logica habet

Quid inſuper vetat quò minùs in Logica perinde ac in Geometrica attendatur duplex ille modus procedendi, nunc per Theoremata,

tùm

Digitized by Google

tùm per problemata ? in Geometria enim quandoque tantum v. g. conſpicitur natura trianguli æquilateri , & ecce Theorema , quod eſt de objecto pure ſpeculabili : quandoque verò traditur methodus prædicti trianguli in plano propoſito deſcribendi ; & ecce problema , quod eſt de objecto factibili. Sic itaque in Logica idem accidit , ſcilicet ut natura ſyllogiſmi v. g. ſpeculationibus noſtris tantùm attingatur , ac deinde ut ejuſdem conſtruendi leges proponantur , & propoſitæ exerceantur. Unde quia ſyllogiſmus , ſicut de Triangulo æquilatero dictum eſt , non ſolum eſt ſpeculabilis , ſed inſuper conſtruibilis ; hinc ſequitur quòd ſicut Geometria ratione ſui objecti prout ſpeculabilis eſt haud dubie ſcientia , & rurſus ars reſpectu ejuſdem ut reducibilis in aliquam praxim ; ita ſimiliter Logica præter dignitatem ſcientiæ , non refugit titulum artis , propter ea , de quibus tractat , quæ non modò ſunt ſpeculabilia ; ſed etiam deduciblilia in operationem.

ſuam praxin artificialem.

Objicies contra primam partem. Omnis ſcientia eſt de rebus neceſſariis atque immutabilibus : ſed Logica non eſt de rebus hujuſmodi : ergo , &c. Major conſtat ex definitione tradita ſcientiæ , ad cujus quidditatem requiritur certitudo cum evidentia ; neutra verò acquiri poteſt de rebus contingentibus & ſubjacentibus mutationi. Minor quoque non minùs patet , quandoquidem nihil tam contingens & mutabile eſt , quàm quidquid conſiſtit in operatione humani ingenii atque arbitrii : utriuſque autem operationes ſunt definitiones , diviſiones , argumentationes , abſtractiones , comparationes , cæteræque omnes ſecundæ intentiones , de quibus ſolis in Logica pertractatur : ergo &c.

VII. Opponitur Logicam non tractare res neceſſarias.

Adde quod quæcunque aſſignantur pro objecto & exercitio Logicæ , ea utique ſunt , nec aliter conſueverunt nominari , quàm entia rationis : ſed de entibus rationis non datur ſcientia : ergo &c. Major conceditur ; minor autem probatur ; quia entia rationis , cum non ſint ſimpliciter entia , non ſunt proinde ſimpliciter ſcibilia ; ſcibile enim , ut fert vulgare axioma , conſequitur ad rationem entis , cujus ſola veritas eſt objectum idoneum intellectus : ergo &c.

VIII. Additur non tractari in ea niſi de entibus rationis.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Omnis ſcientia eſt de rebus neceſſariis atque immutabilibus realiter aut objective , concedo majorem ; realiter tantùm ; nego majorem ; & diſtincta ſimiliter minori , nego perinde conſequentiam. Atque ita ad expoſitionem diſtinctionis contendo ſufficere in rebus , de quibus ſcientiæ pertractant , neceſſitatem objectivam ſive eſſentialem ; minimè verò

IX. Exponitur quid ſint res neceſſariæ.

Digitized by Google

exiſtentialem ac realem deſiderari. Satis quippe eſt ad ſcientiæ quidditatem, ut illa poſſit objecti ſui naturam abſtractam, ac proprietates determinare, quod utique præſtare poteſt independenter ab illius exiſtentia; ut patet non ſolum in Mathematicis diſciplinis, quarum objecta non exiſtunt; ſed etiam in Metaphyſica, quæ pro objecto habet ens abſtractum à ſuis omnibus differentiis. Imo nullius entis creati exiſtentia neceſſaria eſt, & è contra nullius non neceſſaria eſt natura: quo pacto concipis naturam definitionum, diviſionum, argumentationum, &c. eſſe æquè neceſſariam; ac deinde conſtructionem illarum omnium actualem minime pertinere ad conceptum naturalem Logicæ, ſed tantummodò ad ejuſdem exercitium.

X. Exponiturquæ ſit ſcibilitas entium rationis. Ad id verò quod additur admiſſa majori nego minorem, cujus probatio facile ſolvitur animadvertendo ex antè dictis entitatem pure objectivam non minùs ſcibilem eſſe quàm realem; imo entitas realis non eſt ſcibilis, niſi prout efficitur objectiva. Quare falſum eſt entia rationis Logicalia non eſſe ſcibilia ſimpliciter; præſertim quia etiam de entibus pure chimæricis atque impoſſibilibus perinde ac de poſſibilibus & veris datur ſcientia. Nam ſicut v. g. ſcitur mundum alterum eſſe poſſibilem, ita quoque ſcitur impoſſibilem eſſe productionem lapidis rationalis: & paſſim in ſcientiis omnibus quæſtiones multæ de re, ac caſu impoſſibili proponuntur, de quibus tamen traduntur ſcientificæ deciſiones. Ad axioma verò objectum quod ſpectat, vel falſum eſt, vel potiùs ne falſitatem axiomati affingamus, intelligitur de ſcibili conſequente ad rationem entis realis vel objectivi; ens ſiquidem licet purè objectivum ſuam obtinet veritatem non minùs quam reale; aut falſitatem, quæ perinde ac veritas repræſentatur intellectui, & ab eodem dignoſcitur.

XI. Artis non eſt, inquiunt, reddere rationem ſuorum operum. Objicies contra ſecundam partem. Artis eſt operari, & ejuſdem artis non eſt reddere rationem ſuorum operum, quaſi inveſtigando, vel aſſignando cauſam, ob quam hæc & illa opera debeant ſic aut ſic, & non aliter perfici: Atqui Logica ſic operatur, ut ſimul inveſtiget & aſſignet cauſam ſuorum operum, qualia in conſtruendis definitionibus, diviſionibus, argumentationibus, &c. conſiſtunt: ergo &c. Major conſtat experientiâ, quà notum eſt peritiores Fabros ferrarios v. g. qui chalybem optimè temperant, nullam hujuſce effectus plane mirabilis cauſam comprehendere; imò neque ullam inquirere; quemadmodum quoque aurifices, qui in exiliſſima fila aurum ducunt, & exæquant in laminas vix palpabiles, parum curant pro cauſa ductibilitatis ac malleabilitatis hujus deprehendenda. Minor au-

Digitized by Google

tem ſufficienter patet ex modo procedendi ſcientifico, qualis in Logica obſervatur, adhibitis paſſim demonſtrationibus principiorum ac præceptorum, quæ traduntur pro efformandis ſyllogiſticis operibus cæteriſque.

Præterea etiam rationes à nobis ſupra adductæ ad probandam utramque partem aſſertionis, probant logicam eſſe æqualiter artem & ſcientiam; ergo ſaltem ex hoc capite gratis aſſertum fuit Logicam eſſe ſcientiam abſolute, artem verò ſecundum quid. Quamquam ex altero capite vel præcepta logicalia traduntur omnia ſcientifice, vel non: ſi primum: ergo Logica eſt omninò ſcientia: ſi ſecundum: ergo eſt omnino ars: atque ita temere illi tribuitur duplicatus ille titulus ſcientiæ & artis. **XII. Addunt repugnare duplicem titulum ſcientiæ & artis.**

Reſp. Quoſcumque artifices poſſe dupliciter callere regulas ſuæ artis, vel purè mechanice ac ſerviliter; vel liberaliter, ut aiunt, ſeu ſcientifice: & revera quidem illi, qui in priori conditione verſantur, opera ſua perficiunt ſine ulla comprehenſione regularum, quas obſervant; ſecùs alii. Quod idem eſt ac ſi diceretur peritiam quorumdam artificum eſſe pure practicam, aliorum è contra eſſe inſuper ſpeculativam. Jamque ſatis intelligitur qualiter in forma occurrat reſpondendum objectioni adhibita diſtinctione inter artem, quæ tantum practice tenetur; & artem, quæ ſpeculative comprehenditur; illa non reddit, at hæc rationem reddit ſuorum operum. Ergo logica non eapropter degenerat à notione artis, quamvis præter nudam praxim, quam tantùm aliqui noverunt, adſint alii peritiores, qui non modò praxim, ſed præterea cauſas ac principia hujus praxeos, videlicet Syllogiſticæ, comprehendant atque demonſtrent. **XIII. reſpondetur convenire etiam arti peritiam ſcientificam.**

Tum pro ſolvendis inſtantiis quæ adduntur, ad prioris quidem ſolutionem breviter dico, ne quæſtio fiat de nomine, Logicam à nobis dictam fuiſſe ſimpliciter ſcientiam, artem vero ſecundum quid; quia reſpectus ſecundum quem dicitur ſcientia eſt potior ac principalior propiuſque attinens ad illius dignitatem; alter verò eſt minus principalis; aliàs enim ſub eo reſpectu ſecundum quem dicitur ars, eſt ſimpliciter ars, ſicuti eſt ſimpliciter ſcientia, ſub reſpectu altero. Tum ad ſolutionem poſterioris addo dupliciter ſpectari poſſe præcepta Logicalia, ſcilicet prout probantur, & prout in praxim veniunt, vel ordinantur ad illam; ſi priori modo ſpectentur, logica eſt omninò ſcientia; ſi altero, Logica eſt omnino ars: neque aliunde repugnantia ulla eſt in eo, quod duplex titulus duplici reſpectui correſpondeat. **XIV. Diverſitas reſpectuū ſoluit inſtantiam.**

Digitized by Google

ARITCULUS IV.

PROOEMIALIS.

DE SPECVLATIONE ET praxi Logicæ.

I. Quid ſit ſcientia ſpeculativa, quid practica.

EX iis multis, quæ jam præmiſimus circa naturam Logicæ, ſic apertum eſt quidquid de ſpeculatione & praxi illius poteſt adjici, ut otioſum ac ſuperfluum, quidquid adjecero, ſi quis cenſeat, non ſit redarguendus: nihilominus ut parcam conſuetudini ſcholaſticæ, quæ propoſitam materiam ſubmittit ſingulari controverſiæ, dicam aliquid paulo fuſiùs, quo dignoſcatur, ſit ne Logica ſpeculativa vel practica, vel tandem practico-ſpeculativa. Fapropter, & in hunc finem prænotandum eſt ſcientiam illam vocari ſpeculativam, quæ ſimpliciter ordinatur ad inveſtigandam veritatem principiorum, & aſſertionum, quæ in ipſa traduntur circa naturam & proprietates, cæteraſque convenientias & extenſiones ſui objecti: practicam verò eſſe illam, quæ in ſpeculatione & ſtudio præfatæ veritatis non ſiſtitur, ſed ulterius progreditur in aliquam operationem ſibi convenientem, & pendentem à ſuis principiis & aſſertis. Illa autem differentia ſcientiarum non oritur, niſi ex differentia objectorum, & principiorum, quæ ſunt purè ſpeculabilia in ſe ipſis; aut quæ præter ſuam ſpeculabilitatem ſunt aliquatenus operabilia; in quantum ex notione & ad inſtar ipſorum ſolemus, aut certe poſſumus aliquid operari. Hinc ſatis intelligitur Metaphyſicam eſſe ſpeculativam; quia ejus objectum, quod eſt ens in communi, non ſubjacet, niſi humanæ ſpeculationi; Architecturam verò eſſe practicam; quia fabrica, quam obtinet pro objecto, humanæ inſuper operationi ſubjicitur. Hinc etiam colligo quod deinceps aſſeretur Logicam eſſe ſpeculativam & practicam ſimul, non utique praxi pror-

ſus mechanica, hæc enim illi ridicule affingeretur; ſed liberali & conſtituta in operibus ſyllogiſticis, cæteriſque ad ſyllogiſtica referibilibus.

ASSERTIO UNICA.

Logica eſt ſcientia ſpeculativa ſimul & practica.

PROBATUR *Primò.* Scientia, quæ præter ſpeculationem ſui objecti traducit illud in operationem convenientem, eſt ſpeculativa ſimul & practica: ſed Logica talis eſt: ergo &c. Major conſtat ex prænotatis, quibus adjicio admittendum eſſe neceſſariò diſcrimen inter ſcientiam, quæ traducit ſuum objectum in operationem, & ſcientiam quæ non traducit: nullum verò poteſt concinnius aſſignari, quàm decidendo illam ad diſcrimen ab iſta, quæ pure ſpeculativa eſt, eſſe practico-ſpeculativam. Minor autem ſic probatur: nam primò dubitari non poteſt, quin Logica incumbat contemplationi, quin etiam demonſtrationi principiorum ac præceptorum, quorum notitia deſideratur ad objecti ſui comprehenſionem: id verò quid eſt niſi Logicam eſſe ſpeculativam? Secundò adhuc multò minùs dubitari poteſt, quin principia ac præcepta ſyllogiſtica, & ſic de aliis, quæ in Logica traduntur, inſerviant ad conſtructionem ſyllogiſticam, quæ eſt praxis quædam intellectus conſequens ad ejuſdem præviam ſpeculationem: id vero quid eſt, niſi Logicam eſſe practicam? Ergo &c. II. Logica probat & applicat operationi ſua principia.

Probatur *Secundo.* Logica ex omnium conſenſu dividitur in docentem & utentem: atqui hæc diviſio perſpicuè manifeſtat illam eſſe ſpeculativam, & practicam: ergo &c. Major eſt certa; minor ſic probatur. Si Logica docet, utique ea, quæ docet, comprehendit & probat: comprehenſio autem ſupponit præviam inquiſitionem veritatis circa res ex hypotheſi comprehenſas: ergo ex hoc capite Logica eſt ſpeculativa. Deinde ſi Logica utitur, quibus utique utitur niſi principiis ac præceptis ſuis? iſte autem uſus quid eſt niſi definitionum, diviſionum, diſcurſuum, &c. efformatio? Et hanc efformationem, ne aliàs de nomine fiat quæſtio, vocamus praxim: atque ita ex hoc altero capite Logica eſt practica. Nec de cætero minùs practica quàm ſpeculativa, cum non ſit minùs utens quàm docens: ergo rectè vocatur practico-ſpeculativa. III. Aſſertionem probat diviſio Logicæ in docentem & utentem.

Objicies *Primò.* Illa ſcientia non eſt ſpeculativa, cujus finis non IV. Opponi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tur Logicam non occupari in ſola inquiſitione veritatis.

eſt ſola inquiſitio veritatis : atqui finis Logicæ non eſt ſola inquiſitio veritatis, ejus ſcilicet, quæ ſpectat ad res, de quibus edifferit : ergo &c. Major conſtat, quia aliàs omnis ſcientia eſſet ſpeculativa, cum nulla ſit cui non conveniat inquiſitio veritatis : quare in hoc tantum verè differt ſcientia ſpeculativa à practica; quod illa ſolam inquiſitionem veritatis habeat pro fine, nempe ultimo ; hæc verò poſt factam inquiſitionem tendat ulteriùs in aliquam praxim : & ita Moralis dicitur ſcientia practica, non quod non inquirat veritatem ſui objecti; ſed quod non conquieſcat in inquiſitione hujus veritatis, tendendo in ulteriorem praxim legum moralium. Tum verò minor jam ſatis patet ex antè dictis.

V. Sed id non requiritur, niſi pro ſcientiis purè ſpeculativis.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Illa ſcientia, cujus finis non eſt ſola inquiſitio veritatis, non eſt ſpeculativa tantùm, concedo majorem; non eſt ſpeculativa partim, nego majorem; & conceſſa minori nego iterum conſequentiam ſub eadem diſtinctione. Ad cujus notitiam addo omnem ſcientiam (quidquid interim ſit de diviſione ſcientiarum fieri ſolita in ſpeculativas & practicas) eſſe revera ſpeculativam hoc ſenſu, quod nulla eſt, quæ non incumbat verificationi ſuorum principiorum : id tamen non obſtat quominùs aliqua vocari poſſit ſimpliciter practica, quando nimirum illius praxis multo præſtantioris momenti reputatur quàm ejuſdem ſpeculatio. Quâ unicâ de cauſâ, ut puto, Moralis dicitur practica, ſiquidem virtutum v. g. exercitatio præponderat prævaletque ad ſalutem pleniſſimæ comprehenſioni definitionum, quæ de virtutibus edocentur : idque revera inter leges morales cavetur, ut quiſquis eas cum ſollicitudine addiſcit, multò ſollicitior ſit in iiſdem ad praxim ſalutarem revocandis. At ſi in rigore ſcholaſtico agitur, & non potiùs attenditur ad uſum communem loquendi, non video, cur Moralis perinde ac Logica non dicatur practico ſpeculativa.

VI. Logica denominanda eſſet à ſpeculatione tanquam à digniori.

Objicies *Secundò.* Logica denominanda eſt ſpeculativa aut practica ab eo, quod in ipſa prævalet, ſive ſpeculatio, ſive praxis prævaleat : atqui in Logica ſpeculatio prævalet praxi : ergo &c. Major conſtat ex vulgari axiomate, quo præcipitur denominationem excipi à parte digniori, ſive quod idem eſt, à parte aut forma aut quavis alia qualitate, cujus dignitas prævalet in ſubjecto denominando. Minor probatur in hunc modum. Id cenſendum eſt in Logica prævalere, quod illam magis perficit : ſed Logicam ſpeculatio magis perficit quàm praxis : tum quia in omni genere artium multò præſtantiores cenſentur qui ſpeculationi addicti ſunt & magiſterio, quam qui cum ſervili obſequio nihil ambiunt præter praxim : tum etiam

Digitized by Google

quia comprehenſio artium eſt multò difficilior, quàm exercitatio; unde fit ut permulti comperiantur, qui perite illas exerceant: pauci admodùm, qui cauſas earum & principia ſcientificè calleant: ergo &c.

Reſp. Axioma illud de ſubjecto denominando à parte aut forma, quæ in ipſo eſt, nobiliori, non eſſe in uſu quantùm ad pleraſque denominationes licet in pluribus locum habeat: multò quippe uſitatius eſt ut ex partium, aut formarum contemperatura denominatio deſumatur. Vel aliter dico axioma illud valere pro denominationibus vulgaribus, aut de quibus nihil contenditur, non autem pro dignioribus & contentioſis. Quare licet ſpeculatio ſit dignior praxi nihil hinc conſequitur contra id, quod diximus Logicam eſſe practico-ſpeculativam: præſertim quia licet denominaretur tantùm ſpeculativa, nihilominùs numquid verè eſſet practica? denominatio enim nihil circa naturam illius immutaret; & ſic ſupereſt, quidquid de nomine contendatur, Logicam, ut aſſertum fuit, eſſe ſpeculativam ſimul & practicam.

VII. Reſpondetur de nominationem non ſemper deſumi à parte digniori.

ARTICULUS V. PROOEMIALIS.

DE NECESSITATE LOGICÆ ad aliarum ſcientiarum acquiſitionem.

I. Quid ſit neceſſitas abſoluta.

NOTANDUM eſt neceſſitatem, de qua præſens inſtituitur quæſtio, eſſe illam, quæ vocari ſolet ſimplex & abſoluta, & convenit rei, quæ adeo neceſſaria ſit ut nulla alia ſit aſſignabilis, quæ poſſit defectum illius ſupplere: quo pacto cibus & potus ſimpliciter & abſolute neceſſarii ſunt ad tuitionem vitæ animalis; vel ut exemplo utar ad rem quæſitam propiùs accedente, neceſſaria eſt ad ſcribendum latine notitia characterum hujuſce idiomatis. Tum rurſus acquiſitio,

Digitized by Google

de qua inquiritur, eſt acquiſitio perfecta: tunc autem aliqua ſcientia dicitur acquiſita perfecte ſeu, ut aiunt, in ſtatu perfecto, quando plene comprehenduntur omnia illius principia cum conſequentiis, quæ ex talibus principiis eruuntur: itaque præſens quæſtio intelligenda eſt velut in hunc modum propoſita, ſcilicet utrum Logica ſit abſolute, & ſimpliciter neceſſaria ad aliarum ſcientiarum perfectam acquiſitionem.

ASSERTIO UNICA.

Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad cæterarum ſcientiarum perfectam acquiſitionem.

II. Principia cæterarũ ſcientiarum neſciuntur ſine Logica.

PROBATUR *Primò.* Ad acquiſitionem perfectam alicujus ſcientiæ competit intelligere non modò omnia ejus principia, & concluſiones ex principiis deductas; ſed inſuper talium concluſionum illationem & dependentiam à principiis: ſed hæc intelligentia ſufficienter obtineri non poteſt abſque ſubſidio Logicæ: ergo &c. Major eſt certa, quatenus cognitio ſcientifica alicujus concluſionis non eſt nuda cognitio rei concluſæ, vel etiam principii unde concluditur; ſed rationis, ob quam ea res ex tali principio concludi debeat; ſive modi, quo ejus rei concluſio in tali principio continetur. Cognitio quippe ſcientifica non eſt quæcumque cognitio, per quam aliquid ſcias, ſed ulterior & reflexa, per quam ſcias te ſcire, videlicet comprehendendo rationem, ob quam pro certo tueri debeas id, quod noſti. Minor ſic probatur. Ad ſufficienter intelligendam dependentiam concluſionum à principiis oportet non ignorare leges omnes, & conditiones, quæ ad valorem illationis legitimæ requiruntur: ſiquidem dependentia illa per iſtas leges, & conditiones limitatur: at ut nemini ignotum eſt, ſola Logica tradit & demonſtrat illas: ergo &c.

III. Omnis cognitio demonſtrativa pendet à Logica.

Probatur *Secundò.* Scire perfecte eſt cognoſcere demonſtrative: ſed abſque ſubſidio Logicæ nulla obtineri poteſt cognitio demonſtrativa: ergo &c. Major eſt certa, quia ſola cognitio demonſtrativa eſt certa & evidens, qualis ad ſcientiæ dignitatem requiritur juxta definitionem ſcientiæ art. 3. ſupra enarratam. Minor probatur ſic. Ad obtinendam cognitionem demonſtrativam non tantùm neceſſe eſt ſcire methodum demonſtrationis conſtruendæ; ſed etiam comprehendere, cur demonſtratio ſit taliter conſtruenda: at ſola Logica tradit & probat methodum demonſtrationis conſtruendæ: ergo &c. Imo

methodus

Digitized by Google

methodus demonſtrativa eſt veluti quoddam ſcientificum Logicæ totius compendium; cujus proinde notitia tam impoſſibilis eſt homini Logicam ignoranti, quàm impoſſibile ſit hominem, qui de Geometria nihil unquam audierit, captu ſuo ſtatim aſſequi geometricum quoddam ex omnibus intricatiſſimum theorema. Demum quamvis ſæpiſſime accidat, ut qui Logicam plane ignorant, ratiocinentur abſque erroris vitio; nihilominus non poſſunt perinde ac cæteri, qui ſtuduerint, firmum & indubium judicium ferre, quo ſe non errare audacter aſſerant: quia nimirum non noverunt leges ratiocinandi infallibiliter, neque res vacat exemplo conſimilis diſcriminis, quod eſt inter eum qui linguam latinam v. g. ſolo uſu colloquendi; & alium, qui cum peritia grammaticalium regularum didicerit: ille enim, etiam cùm recte loquitur, non eſt liber ab erroris periculo, hic verò plane eſt immunis propter intelligentiam regularum, quas in promptu proferet ſi opus fuerit ad comprobandam ſermonis ſui rectitudinem. Quid tum? hic loquitur ſcienter; ille, ut ſic dixerim, inſcienter.

IV. Lumen naturale, inquiût, ſufficit ad acquiſitionem cujuſvis ſcientiæ.

Objicies *Primò*. Lumen naturale ſufficit ad perfectam acquiſitionem Logicæ: ergo etiam ſufficit ad perfectam acquiſitionem cæterarum quarumlibet ſcientiarum: & ſic Logica non eſt neceſſaria ad illas ut aſſerimus, acquirendas. Antecedens conceditur, neque enim aſſignata fuit hactenus alia ſcientia, cujus acquiſitio Logicæ ſtudium antecedere debeat. Conſequentia autem ſic probatur primo, quia comperiuntur plures ſcientiæ & in primis Mathematicæ, quæ humano captui multò facilius accommodantur quam Logica: & ſic lumen naturale, quod ſufficit pro iſta acquirenda, multo abundantiùs ſufficiet ad comparationem illarum. Secundo quia materiæ Logicales non majorem connexionem habent cum iiſdem Mathematicis, quàm Mathematicæ cum Theologicis: & ſic non eſt potior ratio cur Logica Mathematicæ, quàm Mathematica Theologiæ debeat præaddiſci: ergo &c.

V. Sed quævis ſcientia præſupponit Logicam.

Reſp. Ut permiſſo antecedente nego conſequentiam, ad cujus priorem probationem dico demonſtrationes Mathematicas nullius fore roboris, niſi conſtruerentur cohærenter ad regulas Logicæ ſyllogiſticas: atque ita cùm Mathematica includat notitiam Logicæ, non ſatis poteſt dijudicari quænam ſit alterâ facilior: præterea licet ſupponatur Mathematicam eſſe Logicâ faciliorem, nihilominus hinc non ſequitur poſſe perinde ac iſtam ſolo lumine naturali addiſci, ac ſine ſubſidio iſtius præconceptæ, quemadmodum quamvis admitteretur Rhetoricam eſſe faciliorem Grammatica, numquid tamen à Grammatica incipiendum eſt? Deinde ad ſolutionem poſterioris alte-

D

Digitized by Google

rius probationis ſubjicio & contendo multò majorem eſſe connexionem inter materias Logicales & Mathematicas, quàm inter Mathematicas & Theologicas, ſcilicet connexionem ordinis, licet ut verum fatear, non ſit major connexio ſimilitudinis. Connexio autem ordinis illa, quam tueor majorem, in hoc conſiſtit quòd ad conſtruendas demonſtrationes Mathematicas neceſſe ſit præaddiſci methodum, quâ in hunc finem utendum eſt: at materiæ omnes Logicales mediate vel immediate ordinantur ad eam methodum edocendam.

VI. Opponunt Logicam nihil habere cõmune cũ cæteris notitiis ſcientificis.

Objicies *Secundò*. Non opus eſt Logica præaddiſcenda, niſi illa inclinet & habilitet intellectum ad cæteras ſcientias addiſcendas: ſed eſt inutilis, imo impotens ad id præſtandum: ergo &c. Major conſtat; ſi enim intellectus eſt per ſe ſatis inclinatus, & habilis ad cæteras ſcientias addiſcendas, quid ſupereſt niſi ut iiſdem addiſcendis operam ſuam applicet? Minor ſic probatur. Cæteræ ſcientiæ addiſci non poſſunt, niſi per actus ſui reſpectivè generis ſcientificos: ergo Logica eſt inutilis imo impotens pro inclinando, & habilitando intellectu ad cæteras ſcientias acquirendas: & hæc conſequentia manifeſta eſt, quia Logica eſt habitus, qui non poteſt inclinare & habilitare intellectum, niſi ad actus ſui generis; id quippe habituum omnium commune eſt: ſic habitus canendi non inclinat ad actus ſaltandi, atque ita de aliis. Atqui actus ſcientifici, per quos cæteræ ſcientiæ acquiruntur, ſunt alterius generis: ergo &c. Neque deeſt frequentiſſima experientia hominum, qui abſque ſubſidio Logicæ, quam nec à limine ſalutarunt, ſcientificos tamen conceptus ac ſermones promunt de rebus civilibus; canonicis, œconomicis, bellicis, phyſicis, mathematicis, &c. Ac tandem ante tempora Ariſtotelis, cui adinventio vel certe reſtauratio Logicæ refertur, nunquid in Græcia, & Ægypto quam plures Phyſici & Mathematici floruerunt? Ergo &c.

VII. Reſpondetur Logicam nihilominus diſponere intellectum ad cæteras notitias ſcientificas.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Non opus eſt Logica præaddiſcenda, niſi illa inclinet & habilitet intellectum &c. efficienter vel diſpoſitive, concedo majorem; efficienter, nego majorem: & diſtincta ſimiliter minori nego conſequentiam. Dico igitur non poſſe quidem Logicam inclinare & habilitare efficienter, intellectum ad actus cæterarum ſcientiarum; quia nullus habitus id ita præſtare poteſt, niſi ad actus ſui generis, ſive conſimiles iis, per quorum iterationem fuerit acquiſitus; poſſe tamen inclinare & habilitare diſpoſitive hoc ſenſu, quòd prænotiones Logicales, ut dictum eſt, neceſſariæ ſunt pro conſtruendis ac comprehendendis cæterarum ſcientiarum demonſtrationibus. De cætero quicunque de rebus ad ſcientias attinentibus

Digitized by Google

ſcientifice diſcurrunt abſque prævio Logicæ ſtudio, vel non diſcurrunt ſcientifice niſi in ſpeciem; vel Logicam etiam incogitantes prædidicerunt; poteſt enim Logica, ut opinor, addiſci dupliciter, vel per exercitationes ſcholaſticas, vel per lectiones, & collocutiones eruditas, quarum uſus frequentiſſimus tandem procreat habitum ſcientificum Logicalem. Ac denique ante tempora Ariſtotelis pernego non floruiſſe Logicam perinde ac cæteras ſcientias, cum illæ non poſſent florem ac ſpendorem ſuum demonſtrativum, niſi à Logica mutuari: nec puto quidquam aliud referendum Ariſtoteli, quàm laborem, quem collocavit feliciter in coordinandis logicalibus regulis, quas à Platone ſuo magiſtro, cæteriſve ſcriptoribus ſui temporis edidicerat.

ARTICULUS VI.

PROOEMIALIS.

DE OBIECTO LOGICÆ.

NOTANDUM *Primò* objectum alicujus ſcientiæ nihil aliud eſſe quàm id totum, quod in ea objicitur, ſive offertur tractandum; nam ut objectum viſionis eſt id, quod videtur, ſic objectum ſcientiæ eſt id, quod docetur & diſcitur. Plura autem ſunt, quæ in qualibet ſcientia tractantur, & hac quidem methodo ob ipſorum connexionem & dependentiam, ut alia ad aliorum notitiam præmittantur: ſic in Logica, ne exemplum conquiramus extraneum, nec de ſyllogiſmis agitur niſi poſtquam de propoſitionibus actum eſt, nec de iſtis, niſi poſt tractatum de terminis inſtitutum &c. Unde jam intelligis tot eſſe cujuſlibet ſcientiæ objecta partialia, quot ſunt particulares materiæ, quæ in ea tractantur: at quia omnes, ut inter ſe connectuntur, ſic referuntur ad unam aliquam principalem; hinc ex pluribus objectis partialibus

I. **Quid ſit objectum alicujus ſcientiæ.**

conſurgit unum quoddam totale & adæquatum, dividi præterea ſolitum in materiale & formale ratione ſcilicet ſubjecti, & reſpectus ſive formæ ſubjectum afficientis: ut ſi interim ſupponatur, quod deinde probabitur, operationes mentis dirigibiles eſſe objectum adæquatum Logicæ, operationes quidem aſſignabuntur pro objecto adæquato materiali; illarum verò dirigibilitas pro objecto adæquato formali.

II. In quo differant objectū & finis ſcientiæ.

Notandum *Secundò* objectum alicujus ſcientiæ differre ab ejuſdem fine: objectum enim, ut jam dixi, eſt id totum, quod ſcientia pertractat; finis verò eſt id, quod intenditur, & conſequitur naturaliter ex cognitione eorum omnium, quæ pertractantur. Exemplum eſto in Medicina, cujus objectum, ut omnes annuunt, eſt corpus ſanabile, ideo ſcilicet quia Medecina ex profeſſo non tractat, niſi de morbis ſanabilibus, & remediis ad eos ſanandos utilibus: At finis Medicines eſt corpus ſanandum, ſive ea corporis ægri ſanitas, quæ intenditur & naturaliter conſequitur ex cognitione morbi & applicatione remedii. In hunc modum ſi verum eſt operationes humanæ mentis dirigibiles eſſe objectum Logicæ, non alius eſt Logicæ finis, quàm ipſa operationum directio intenta & conſequens ex notitia eorum omnium, quæ circa prædictam dirigibilitatem traduntur. Utrumque autem poſtmodum aſſeretur & probabitur; verùm abſque prolixitate illa, quæ faſtidioſa eſt apud pleroſque ſcriptores litigantes circa objectum Logicæ multo ſeriùs & diffuſiùs, quàm ſi de ſalute Reipublicæ ageretur.

ASSERTIO UNICA.

Logica pro objecto ſuo, ſcilicet adæquato, habet operationes mentis dirigibiles; & eaſdem dirigendas pro fine.

III. Tota Logica refertur ad operationes mentis dirigibiles.

PROBATUR *Prima* pars. Objectum Logicæ adæquatum illud eſt circa quod verſantur, & ad quod referuntur omnia, quæ in illa pertractantur: atqui omnia, quæ pertractantur in ea, verſantur circa operationes mentis dirigibiles, & ad eaſdem referuntur: ergo &c. Major conſtat ex prænotatis; minor verò ſic probatur. Et primò quidem nihil in Logica pertractatur, quod non verſetur circa operationes mentis dirigibiles; quia niſi mens eſſet dirigibilis per notionem ſingularum quæſtionum, quæ pertractantur, hoc ipſo reputarentur pro ſuperfluis; ſicut in Medicina ſuperflua

conferentur quæſtiones agitatæ de remediis, quorum ſubſidio ſanari non poſſet corpus humanum. Secundò etiam nihil in Logica pertractatur, quod non referatur ad eaſdem operationes dirigibiles; quia particulares materiæ, de quibus in ea pertractatur, ſunt veluti ſingulares inſtructiones, quæ ſingulari dirigibilitati reſpondent: unde ſicut ſingulares illæ inſtructiones ad unam completam referuntur, ita hæc completa inſtructio reſpondet totali dirigibilitati: ergo, ut patet per inductionem, omnia, quæ tractantur in Logica referuntur ad dirigibilitatem operationum mentis.

IV. Tota Logica explicat qualiter prædictæ operationes ſint dirigibiles.

Præterea nulla eſt quæſtio, vel aſſertio in Logica, quæ non explicet modum aliquem peculiarem, quo operationes mentis ſunt dirigibiles; ergo hæc dirigibilitas rectè aſſignatur pro objecto Logicæ adæquato. Conſequentia ſatis manifeſta eſt; ad probationem verò & intelligentiam antecedentis dico. Si Logica pro ſuo fine intendit, ut deinde probabitur, directionem operationum mentis veluti neceſſariam ad cæterarum ſcientiarum acquiſitionem, ſupponit proinde operationes mentis eſſe dirigibiles; & requirit qualiter ſint dirigibiles, ita ut quæſtiones omnes particulares ad hanc generalem revocentur, ***qualiter operationes mentis ſint dirigibiles.*** Cui quæſtioni reſpondetur eas eſſe dirigibiles per notionem terminorum, & ideo tractatur de terminis: per notionem propoſitionum, & ideo tractatur de propoſitionibus: per notionem univerſalium, regularum ſyllogiſticarum &c. de quibus proinde tractatur. Ergo cum ſingulares quæſtiones Logicales non ſint niſi veluti totidem lectiones, quæ explicant ſingularem aliquam dirigibilitatem operationum mentis, conſequens eſt omnes ſimul ſumptas explicare totalem & completam dirigibilitatem earum, quæ ea propter certiſſime aſſignatur pro objecto Logicæ totali, & adæquato.

V. Directio mentis ſola intenditur & obtinetur

Probatur ***Secunda*** pars. Finis Logicæ eſt id, quod intenditur, & conſequitur naturaliter ex notione materiarum, quæ in Logica tractantur: ſed directio operationum mentis intenditur, & conſequitur naturaliter ex notione materiarum, quæ in Logica tractantur: ergo &c. Major conſtat ex vulgatiſſima definitione, quâ finis dicitur id, gratiâ cujus aliquid fit, id eſt gratiâ cujus obtinendi, & jam præintenti aliquid fit: finis enim ſemper præintenditur obtinendus, ſicut deinceps obtinetur modò media, quæ ad illum obtinendum ſufficiant, applicentur. Minor probatur experientia, quâ compertum eſt eorum, qui ſeriò addiſcunt materias, quæ in Logica tractantur, mentem perfici dirigique ut par eſt & tandem pervenire ad eam ratiocinii rectitudinem, quâ opus eſt pro cæteris ſcientiis acquirendis.

VI. Et hæc directio præquiritur aliis ſcientiis. Præterea Logica, ut dictum eſt ſupra, eſt veluti quædam janua ſcientiarum: ergo Logica non addiſcitur niſi eo fine, ut ulteriùs perveniatur ad cæterarum ſcientiarum acquiſitionem, ſicut non acceditur ad januam domicilii, niſi ad illud invadendum, nec ad caput viæ, niſi ad illam decurrendam. Atqui certum eſt inutilem fore acceſſum Logicæ, niſi hæc menti conferret rectitudinem de quâ agitur; donec enim mens illam obtinuerit, vaga ſemper eſt in ſuis diſcurſibus & incerta, ac proinde ſcientifici judicii omnis incapax; ergo denique non alius eſt Logicæ finis, quàm hæc rectitudo ſive directio obtinenda.

VII. Opponitur cæteras ſcientias mentem pariter dirigere. Objicies contra primam partem. Omnes ſcientiæ dirigunt mentem, & nihilominus non habent operationes mentis dirigibiles pro objecto: ergo operationes mentis dirigibiles non ſunt objectum Logicæ. Antecedens certum eſt, nam v. g. Arithmetica mentem dirigit, ne aberret in numerando; Muſica ne aberret in cantando; Phyſica ne aberret in experiendo; &c. conſequentia ſic probatur. Potiſſima ratio ob quam à nobis aſſeritur operationes mentis dirigibiles eſſe objectum Logicæ, petitur ex eo quòd Logica eas dirigat: ergo cum cæteræ ſcientiæ mentem æque dirigant & nihilominus non habeant illam dirigibilitatem pro objecto, ſequitur operationes mentis dirigibiles, non eſſe objectum Logicæ; ſed potiori jure propugnaretur ens rationis eſſe objectum illius; quia termini, propoſitiones, definitiones, diviſiones, ſyllogiſmi, & uno verbo cætera omnia, quæ in Logica tractantur, ſunt entia rationis: vel è contra potius contendendum eſſet in gratiam ſyllogiſmi demonſtrativi, ad cujus leges & conditiones comprehendendas certum eſt ordinari principia ac dogmata Logicæ univerſa.

VIII. Et dirigibilitaté mentis non tractari in Logica, ſed ſupponi. Prætera objectum ſcientiæ eſt id, quod in ea potiſſime eſt ſciendum; ad hoc enim traditur ſcientia ut ſciatur id, circa quod præſertim illa verſatur: ſed dirigibilitas operationum mentis non eſt id, quod occurrit potiſſime ſciendum in Logica: quandoquidem licet in ea tractetur obiter de numero operationum mentis, ne vel unum fere verbum de illarum dirigibilitate inquiritur, imo etiam præterit innominata hæc dirigibilitas. Ergo &c.

IX. Cæteræ ſcientiæ non dirigunt mẽtem niſi *Reſp.* Diſtinguendo antecedens. Omnes ſcientiæ dirigunt mentem directione particulari & determinata, concedo antecedens: directione univerſali & indeterminata, nego antecedens, & conſequentiam. Dico igitur id eſſe diſcriminis inter Logicam cæteraſque ſcientias, quod cæteræ ſingularibus quidem præceptis mentem dirigant ad conſequendam notitiam alicujus objecti particularis: at Logica

Digitized by Google

univerſalibus ſuis præceptis illam dirigit ad notitiam omnium objectorum ſcibilium : atque hinc vocatur ſcientia univerſalis, meritòque obtinet ad diſcrimen operationes mentis dirigibiles pro objecto. Vel potius reſpondeo negando antecedens ; nam cæteræ ſcientiæ mentem perficiunt, ſed non dirigunt ; imo directam ſupponunt ea ſcilicet rectitudine, quâ ſi deſtituta eſſet, in ipſis acquirendis inutiliter laboraret. Quod verò inſinuat Adverſarius de ente rationis, vel syllogiſmo demonſtrativo potius obtenturo dignitatem objecti, nullius eſt roboris ; nam primò quamvis de terminis, propoſitionibus cæteriſque enumeratis verificetur, quod ſint entia rationis in eo ſenſu, quem ſuis locis explicabimus, attamen illorum omnium notitia nunquid ultrà ordinatur ad mentis operationes prout ſubſunt directioni per talem notitiam comparabili, id eſt ad operationes mentis dirigibiles ? Secundò id ipſum adhuc clarius patet de ſyllogiſmo demonſtrativo, cujus notitia non requiritur, niſi quia menti conciliat eam rectitudinem, cujus utique capaces ſunt operationes mentales, quas proinde vocamus dirigibiles & pro objecto Logicæ aſſignamus. particulariter.

Ad id verò quod inſuper additur dico & contendo in primis neceſſe eſſe in Logica, ut ſciatur operationes mentales eſſe per eam dirigibiles, ſi enim id ab ipſo lumine neſciretur, quâ ſuaſione inchoarentur Logicalia ſtudia ? At id facile ſcitur, quis enim neſciat mentem humanam eſſe errori obnoxiam & retrahibilem ab errandi periculo, quod idem eſt ac eſſe dirigibilem ? Quapropter non mirum ſi ad probandam illam dirigibilitatem nullus ſingularis tractatus inſtituitur. Verùm id non impedit quominùs pro objecto Logicæ ſtabiliantur operationes prædictæ dirigibiles, ſicut nihil impedit quominus colores viſibiles admittantur pro objecto Opticæ ; quamvis hæc viſibilitatem illam multo minùs probet, quàm ſupponat : ex quibus ſatis patet ſolutio inſtantiæ. X. Satis eſt prædictā dirigibilitatem ſciri & ſupponi.

Objicies contra ſecundum partem. Finis Logicæ eſt id, quod per illius notitiam obtinendum intenditur : atqui non intenditur ſola directio operationum mentis obtinenda : ergo ſaltem hæc directio ſola non eſt finis Logicæ totalis & adæquatus. Major conſtat ex terminis ; minor etiam patet propter experientiam & conceſſionem omnium, qui in addiſcenda Logica non ſolam illam rectitudinem mentis acquirendam ſibi proponunt, ſed prætereà cujuſdam alterius ſcientiæ ſuperioris notitiam ; & meritò quidem ; quia cum Logica ſit quædam janua ſcientiarum, non alio fine addiſcitur, quàm ut viam cæteris ſcientiis comparandis aperiat. XI. Oponitur ſolam directionem mentis non intendi à Logica.

Adde quod rectitudo illa mentis non intenditur, niſi ad certò & XII. Et de-

Digitized by Google

monſtrationem veritatis potiùs intendi.

infallibiliter demonſtrandam in cæteris ſcientiis, ac quibuſcunque rebus humanis veritatem: ergo potius notitia demonſtrativa aſſignanda eſſet pro fine Logicæ, vel veritas ipſa prout dignoſcenda per demonſtrationes adhibitas.

XIII. R. Aſſertionem intelligi de fine proximo & neceſſario.

Reſp. Duplicem eſſe Logicæ perinde ac cujusvis alterius ſcientiæ finem ſcilicet proximum & remotum: ſicut inſuper alius eſt finis neceſſarius, & alius eſt arbitrarius, ſive accidentalis. Tum dico directionem, de qua agitur, eſſe finem Logicæ proximum & neceſſarium, & hoc ſenſu intelligenda eſt noſtra aſſertio: acquiſitio autem ſcientiarum illa, quam objiciunt adverſarii, non poteſt obtinere niſi rationem finis remoti & arbitrarii; quo pacto non omnium ſcientiarum acquiſitio intenditur ab omnibus, qui Logicis ſtudiis incumbunt, ſed alius quidem Phyſicam, alius Mathematicam ambit, &c. & ſic patet ſatis quid reſpondendum ſit in forma.

XIV. R. notitiam demonſtrativam ſubſervire directioni, de qua agitur.

Ad inſtantiæ verò additæ ſolutionem hoc uno tantum verbo opus eſt, ſcilicet rectitudinem illam, quæ à nobis pro fine, ſive motivo Logicæ addiſcendæ propugnatur, conſurgere ex notitia regularum, quæ demonſtrationibus conſtruendis inſerviunt; perinde ac ex notitia earum, quæ ad rectè definiendum, dividendum, &c. obſervantur, quapropter non rectitudo illa ad notitiam demonſtrativam, ſed hæc notitia demonſtrativa ad rectitudinem illam cauſandam refertur: ergo non illa; ſed iſta eſt finis Logicæ; ut fuit aſſertum. Et hæc pro exercitationibus proœmialibus dicta plus quàm abunde ſufficient.

DISPUTATIO

Digitized by Google

DISPUTATIO PRIMA.

DE OPERATIONIBUS MENTIS.

DISPUTATIONIS hujus partitio erit in quatuor articulos: In quorum *Primo* agetur de numero operationum mentis: In *Secundo* de prima operatione, quæ eſt apprehenſio: In *Tertio* de ſecunda operatione, quæ eſt judicium: & in *Quarto* denique de tertia operatione, quæ eſt diſcurſus.

ARTICULUS I.

DE NUMERO OPERATIONUM mentis.

NOTANDUM eſt operationes mentis, de quibus hîc agitur, eſſe actiones ejus potentiæ cognoſcitivæ, quæ una eſt ex potentiis animæ rationalis, & vocatur à Philoſophis *ratio*, *intellectus*, & *mens*: quo poſtremo nomine frequentiùs illam deſignant, ac præſertim ut ejus ſingularem perſpicaciam, & activitatem ſignificent. Præterea operationes iſtæ mentis vocantur dupliciter *conceptus* & *intentiones*, I. Quid ſint operationes mentis.

E

ideo ſcilicet, aut quia mens cogitationes ſuas ad inſtar fœtuum ſive conceptuum in ſe procreat ; aut quia , ad hoc ut inveſtiget objecta ſuarum cogitationum , in ea veluti tendit , quaſi ferendo ſe extra ſe ipſam. At quidquid interim ſit de iſtis , ac conſimilibus metaphoricis denominationibus prædictarum operationum , certum eſt Logicam tum inſtitutam , tum inſtituendam fuiſſe ad earum directionem ; ut enim ad componendos motus corporeos ſaltandi , equitandi , bellandi , &c. artes inſtitui debuerunt ; quia homines à ſola natura inſtructi in iis perſæpe errant : quantò æquius erat artem , ſive ſcientiam inſtitui, quæ fallibiles mentis ſibi ſoli relictæ operationes præſcriptis in eum finem legibus eximeret ab erroris periculo. Nunc ergo inquiritur quot ſint hujuſmodi operationes dirigendæ , ſive quot ſint ſpecies aut quaſi ſpecies diſtinctæ talium operationum.

ASSERTIO UNICA.

Operationes mentis ſunt tres, ſcilicet apprehenſio , judicium & diſcurſus.

II. Operationes mentis ſibi mutuò ſubordinantur.

PROBATUR. Tot admitti debent operationes mentis diſtinctæ, quot ſunt ejuſdem operationes , quarum una alteri præſupponitur , & una alteram non includit : ſed hujuſmodi operationes ſunt tres , ſcilicet apprehenſio , judicium & diſcurſus : ergo &c. Major certa eſt juxta leges rectæ diviſionis ſuo loco inferius exponendas. Probatur minor per partes. Et *Primò* quidem apprehenſio præſupponitur judicio: apprehenſio enim nihil aliud eſt,quàm ſimplex veluti intuitio unius objecti vel plurium æque primò ac per modum unius : talis eſt apprehenſio, quâ primo aſpectu conſpicio vel unum hominem vel plures per modum unius turmæ : at evidens eſt talem intuitionem præſupponi judicio , quo ſcilicet affirmatur , vel negatur conjunctio proprietatum in objecto apprehenſarum , uti vel illum hominem eſſe pilearum , vel illos plures eſſe numero decem , aut quid ſimile. *Secundò.* Judicium non minùs præſupponitur diſcurſui ; quia diſcurſus nihil aliud eſt , quàm veluti quidam excurſus ex uno judicio in aliud , qualiter accidit quoties ex una propoſitione infertur altera : ut ſi ex iſta propoſitione præjudicata *ſol lucet* , hæc altera inferatur *ergo dies eſt.* Tum neque apprehenſio judicium ullum includit ; nec in judicio ſimplici diſcurſus qualiſcunque comperitur , ut ſatis patet : ergo &c.

III. Expe-

Præterea experientiâ aſſiduâ conſtat mentem noſtram quandoque

hærere in ſola conſideratione, quaſi in ſola intuitione alicujus objecti, de quo quicquam nec affirmat, nec negat. Tum quandoque ulteriùs progreditur, & negat convenire illi prædicatum aliquod, vel affirmat; tale inquam prædicatum, cujus in eo privationem vel exiſtentiam apprehenderit. Ac denique præter & ultra ſententiam, quæ de objecto apprehenſo lata ſupponitur, mens quandoque ex illa deducit aliam, attenta ſcilicet connexione, quæ eſt, vel deeſt inter varia rerum præcognitarum attributa. Neque poteſt niſi his tribus modis mens circa quodcunque objectum exercere ſuam cognitionem. Ergo tres tantummodò operationum ſpecies ei meritò tribuuntur, ut magis conſtabit ex objectionum ſolutione. ticentia probat hanc triplicem operationem.

IV. Volunt non eſſe niſi duas operationes.

Objicies. Omnis operatio mentis vel eſt apprehenſio, vel eſt judicium: ergo &c. Probatur antecedens. Si quædam alia eſſet mentis operatio, ea utique eſſet, quam vocant diſcurſum. Sed in diſcurſu quidquid eſt, id tantùm obtinet rationem judicii: ergo &c. Major admittitur; minor verò ſic facilè probatur adducto in exemplum iſto diſcurſu ***ſol lucet; ergo dies eſt***: in quo nihil eſt aſſignabile præter unam & alteram illam propoſitionem ***ſol lucet, dies eſt***, uniuſque ex altera illationem, quæ per particulam ***ergo*** demonſtratur. At primò ſi quælibet propoſitio ſeorſim ſumitur, evidens eſt in neutra quicquam eſſe præter rationem judicii, quo affirmatur ſolem lucere, & diem eſſe. Secundò quod ſpectat ad illationem non minùs patet eam rurſus nihil eſſe, niſi judicium, quo affirmatur poſteriorem propoſitionem eſſe in priori contentam, & eapropter ex illa deducendam. Unde eſt ut diſcurſus non aliter à multis vocari ſoleat, quàm nomine judicii illativi ad diſcrimen à judicio ſimplici.

V. Et id confirmant exemplo duplicis apprehéſionis.

Adde quòd non eſt majus diſcrimen inter judicium & diſcurſum, quàm inter apprehenſionem, quam vocant incomplexam, ſive ſimplicem; & complexam ſive compoſitam: nam ut explicabitur in articulo ſequente apprehenſio complexa eſt apprehenſio ordinis unius objecti apprehenſi ad aliud: diſcurſus ſimiliter ſecundùm quòd eſt formaliter illatio propoſitionis unius ex alia, nihil aliud eſt, quàm ordinatio unius judicii ad aliud. Sed nihilominus apprehenſio complexa & incomplexa non conſtituunt duas operationes ſpecie diſtinctas: ergo non illas conſtituent judicium & diſcurſus. Ac proinde vel admittendæ forent quatuor operationes, quod nemo dixerit: vel non admittendæ erunt, niſi duæ, ut multis Philoſophis placuit; & in primis Ariſtoteli lib. 3. de Anima cap. 9. quem ſequitur Guilhelmus Duvallius in ſua ſynopſi analytica doctrinæ Peripateticæ.

VI. Verùm

Reſp. Negando antecedens, ad cujus probationem neganda eſt mi-

Digitized by Google

diſcurſus ſublimior eſt omni judicio.

nor, cujus ſolutio hæc eſt. Diſcurſus formaliter ſpectatus conſiſtit non in propoſitione antecedente, aut conſequente; ſed in ea operatione, quâ mens conſequentem ex antecedente deducit: at illa operatio eſt multò ſublimior omni judicio, quare etiam legibus multò magis ſublimibus & numeroſis innititur, ut ſatis patebit ex decurſu. Neque obſtat quòd cum diſcurſu conjungatur judicium, quo mens approbat vim ac valorem diſcurſus; nam ſimiliter cum omni judicio reperies conjunctam apprehenſionem, quâ mens advertit vim ac valorem ſui judicii: idque accidit propter connexionem talium operationum. Igitur diſcurſus non eſt judicium, licet cùm diſcurro judicem me diſcurrere; ad eundem modum, quo judicium non eſt apprehenſio, quamvis cùm judico apprehendam me judicare. Quod autem aliqui diſcurſum vocant judicium illativum, id novam difficultatem non ingerit; ſed inſinuat quæſtionem de nomine, de quo nulla me torquet major ſollicitudo, quàm ſi quis judicio tribueret nomen apprehenſionis judicativæ: ſicut enim non propter novum nomen confunderetur cum apprehenſione judicium; ita nec propter illud confunditur judicium cum diſcurſu.

VII. Et ſublimior eſt ordo unius judicii ad aliud, quàm unius apprehenſionis ad aliam.

Ad id verò quod additur reſpondeo negando majorem, cujus ſolutio non minus patet ex jam dictis: quatenus ut concipiatur quantùm ſuperioris ſive difficultatis, ſive etiam dignitatis ſit ordo ille propoſitionis conſequentis ad antecedentem; quàm unius objecti apprehenſi ad aliud, id tantummodo adverti debet, quòd ad directionem prioris plurimæ ſunt, quæ traduntur leges in Logica; ad directionem verò poſterioris nullæ; ideo ſcilicet quòd in iſto nullus; & è contra in illo multiplex poteſt error committi. Quod autem adjicitur de ſuffragio Ariſtotelis, illud Ariſtotelici varie explicant dicentes, vel Ariſtotelem loco citato non loqui de rigoroſa diviſione operationum mentis, vel alibi mentem ſuam clariùs aperuiſſe de ternario illarum numero: noſtra autem ſolutio expeditior eſt authoritatem Ariſtotelis, etſi plurimùm apud nos valeat, communiendam tamen fuiſſe, ratione, quam neglexit, vel certe Adverſarii ſubticent.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE *PRIMA MENTIS* *operatione, quæ eſt apprehenſio.*

NOTANDUM eſt apprehenſionem, quamvis metaphorice deſignet operationem mentis manu veluti quâdam trahentis objecta, vel quæ jam traxerit retinentis, in re tamen nihil aliud eſſe, quàm primam illam intuitionem, quâ mens objecta ſua conſpicit. Duplex autem diſtinguitur apprehenſio, incomplexa ſive ſimplex, & complexa ſive compoſita. Illa eſt, quâ unicum objectum mens intuetur, vel plura æque primò, & per modum unius; ut cum procul vitem unam conſideras, aut plures æque primò ac per modum unius quaſi multipliciter propagatæ: iſta verò ſcilicet complexa ea eſt, quâ mens plura objecta conſpicit, quatenus plura, & ad invicem ordinata; ut cùm propiùs vites plurimas intueris, eaſque diſtinctè conſpicis cum illo, quem obtinent complantationis ordine ſive in teſſeram, ſive in decuſſim, &c. Nunc autem circa utramque pariter apprehenſionem inquiri à Logicis ſolet utrum ſit alicui errori obnoxia; motivum autem inquiſitionis in eo poſitum eſt, quod cæteræ operationes judicii videlicet & diſcurſus ſubjaceant errori, proinde que ſint dirigendæ per logicales præceptiones: unde cum aliàs generaliter pronuncietur operationes mentis dirigendas eſſe, ſicut revera ſunt dirigibiles; hinc nata eſt occaſio ſuſpicandi in aprehenſione perinde ac in judicio, & diſcurſu poſſe falſitatem occurrere: nihilominùs oppoſitum probabitur in aſſertione ſequente. I. Quid & quotuplex ſit apprehenſio.

ASSERTIO UNICA.

Apprehenſio nunquam poteſt eſſe, aut vocari falſa.

PROBATUR *Primò.* Falſitas apprehenſionis non poteſt contingere, niſi per diſconvenientiam illius cum re apprehenſa: atqui nunquam contingere poteſt talis diſconvenientia; ergo &c. Major conſtat ex communi notione, quâ compertum eſt veritatem ali- II. Apprehenſio nunquam diſconve-

Digitized by Google

nit rei apprehenſæ.

cujus cognitionis nihil eſſe : niſi convenientiam ejuſdem cum re cognita ; talem ſcilicet ut res ſic ſe habeat , ſicut cognoſcitur : unde ſatis patet falſitatem non conſiſtere niſi in diſconvenientia oppoſita. Probatur minor. Ad prædictam diſconvenientiam opus eſt , ut res apprehendatur aliter , quàm appareat : ſed nunquam poteſt apprehendi aliter quàm appareat : ergo &c. Major rurſus conſtat ex terminis ; minor verò probatur ; quia ſi res aliqua aprehenderetur aliter quàm appareat , apprehenderetur ipſa & non ipſa ; ipſa quidem ex hypotheſi , ac tum non ipſa; quia juxta Adverſarios quando contingit apprehenſionem eſſe falſam , tunc res , quæ apprehenditur non eſt ipſa, quæ apparet : at contradictorium eſt apprehendi rem ipſam , & non ipſam: ergo &c.

III. Comparatur apprehenſio cum viſione.

Probatur *Secundò*. Diſcurrendum eſt de apprehenſione circa res intelligibiles , ſicut de viſione circa res viſibiles : ſed viſio nunquam poteſt eſſe falſa : ergo &c. Major probatur , quia apprehenſio eſt illa prima intuitio , quâ mens rem conſpicit ; minor etiam probatur ſic. Viſio eſt perceptio objecti producta per eam impreſſionem , quam efficiunt in oculo ſpecies viſibiles ab objecto immiſſæ ; & hæc propoſitio probabitur in Phyſica , cùm agendum erit de viſione : ſed talis perceptio nunquam poteſt eſſe falſa ; impoſſibile enim eſt , ut impreſſio omnis paſſiva non reſpondeat activæ ; talis autem perceptio non eſt , niſi impreſſio quædam paſſiva reſpondens impreſſioni activæ , quam objectum exercet mediantibus ſpeciebus viſibilibus, ſive, ut phyſicè loquar , mediante immiſſione luminis modificati. Ergo &c.

IV. Apprehenſio poteſt eſſe occaſio errandi.

Non eſt tamen diſſimulandum ſæpe contingere ut viſio ſit occaſio erroris , ſive judicii falſi , quo decernitur rem in ſe ipſa eſſe , qualis videtur. Exemplum eſto baculi partim ſub aquis merſi , qui diſtortus aut fractus videtur , licet ſit rectus & integer. Viſio itaque illa baculi diſtorti , aut fracti non eſt falſa ; quia lumen ob refractionem , quam patitur tranſeundo ex aere in aquam & rurſus ex aqua in aerem, partem baculi ſubmerſam repræſentat in loco non vero ; & ſic gignitur viſio baculi diſtorti , quæ proinde eſt vera, quia eſt conformis objecto repræſentato. Nihilominus errabit qui protulerit baculum eſſe fractum , aut diſtortum , aſſerens talem eſſe qualis conſpicitur ; neque enim objecta talia ſunt ſemper qualia videntur , licet ſemper talia videantur , qualia apparent. Sic montes , turres , urbes , arbores , & alia id genus quæcunque procul poſita conſpiciuntur ſubobſcura ; errabis tamen ſi ſubobſcura eſſe dixeris ; cum propiùs conſpecta rutilent , nihilque habeant coloris illius ; quem procul conſpexeris ſubobſcurum.

Digitized by Google

Objicies *Primò.* Operatio quæ poteſt eſſe vera, ac denominari vera, poteſt etiam eſſe, ac denominari falſa: atqui apprehenſio poteſt eſſe ac denominari vera: ergo &c. Minor conſtat, quia apprehenſio rei ſicuti eſt, haud dubie eſt apprehenſio vera; ſic enim ſi quis in Sole apprehenderet magnitudinem, quantam obtinet; nunquid talis apprehenſio eſſet vera, nunquid poſſet vera denominari? Major autem probatur: quia veritas & falſitas ſunt duo contraria accidentalia; contrariorum autem accidentalium ea eſt natura, ut ſucceſſive poſſint ſuis ſubjectis convenire; ita calor & frigus poſſunt per vices convenire ligno, &c. Et ut id ipſum magis probetur exemplo jam propoſito Solis, dico magnitudinem Solis poſſe dupliciter apprehendi qualis eſt, & qualis non eſt: ſi apprehenderetur qualis eſt, apprehenſio eſſet vera.; ergo eſt falſa quando non apprehenditur qualis eſt: id autem eſt commune rebus omnibus poſſe apprehendi ut ſunt, & aliter quàm ſint: ergo &c. **V. Opponitur apprehenſionem poſſe eſſe veram, ideoque falſam.**

Reſp. Veritatem quæ convenit apprehenſioni non eſſe niſi indeterminatam & implicitam, non verò determinatam & explicitam, qualis eſt in aſſertione judiciali: de iſta autem procedit quæſtio, non de illâ, quam potius occaſionalem vocabis; cùm non ſit niſi occaſio proferendi judicium verum. Quapropter ad ſummum non poterit convenire apprehenſioni niſi falſitas ſimiliter indeterminata, & implicita, vel potius, ut dixi, occaſionalis. Aliter reſponderi poteſt non eſſe generaliter verum, quòd contraria etiam accidentalia poſſint eidem ſubjecto convenire per vices: ſic enim licet lignum poſſit modò calefieri, modo frigefieri, atque ita de multis aliis; de igne tamen id ipſum non poteſt verificari, quaſi modò calidus eſſe poſſit, & modò frigidus: addictus enim eſt uni contrario; ſcilicet calori: atque ita nihil impedit, quominus apprehenſio ſic veritati addicta ſit, ut non ſit obnoxia falſitati. Ex quibus probè intellectis non unam tantùm: ſed multiplicem facilè crucis ſolutionem objectionis. **VI. Diſtinguitur veritas conveniens apprehenſioni.**

Objicies *Secundò.* Operatio, quæ eſt dirigibilis, poteſt eſſe falſa: ſed apprehenſio eſt operatio dirigibilis: ergo &c. Major conſtat ex terminis, quibus attentis perſpicuum eſt operationem dirigibilem idem eſſe, ac operationem retrahibilem ab errore, in quem poſſet incidere; minor verò ſatis probatur ex ſupra dictis quando aſſertum indiſcriminatim fuit operationes mentis eſſe dirigibiles, eaſque ſub tali reſpectu eſſe objectum Logicæ. Error autem, cui operationes mentis obnoxiæ ſunt, non alius eſt, quàm falſitatis: ergo &c. **VII. Appreheñſio, inquiunt, ſubjacet directioni, ideoque errori.**

Reſp. Negando majorem, ideoque neganda eſt; quia ad hoc ut operatio mentis ſit dirigibilis, ſatis eſt, ut ſit obnoxia confuſioni, **VIII. Sed ſub-**

jacet tan-tùm confu-ſioni.

at quamvis apprehenſio non ſit obnoxia falſitati ; eſt tamen obnoxia confuſioni ; quoties enim id accidit ut mens objecta confuſe apprehendat perinde ac oculus confuſe illa conſpicit, ſive ob nimietatem diſtantiæ, ſive ob debilitatem ſpecierum, ſive ob indiſpoſitionem medii, &c. ? Cum itaque apprehenſio ſubjaceat confuſioni, eapropter Logica illam dirigit cavendo ne mens ſuum de rebus apprehenſis ferat imprudenter judicium, ad quas utique neceſſe eſt ut mature ſerióque attendat, antequam decernat rem ſic ſe habere, ſicuti apprehenditur. Unde ſequitur omnes operationes mentis eſſe dirigibiles ſingulas ſuo modo, apprehenſionem, ne confuſione decipiatur; judicium, ne quid decernat temere; & diſcurſum, ne abducatur paralogiſticis conſequentiis.

ARTICULUS III.

DE SECUNDA MENTIS operatione, quæ eſt judicium.

I. Quid ſit judicium.

NOTANDUM eſt judicium nihil aliud eſſe, quàm aſſertionem, quâ mens ſive apud ſe ipſam verbo interno, ſive apud alios verbo externo vocali, aut ſcripto determinat rem aliquam ſic ſe habere, vel non ſic ſe habere : talis eſt hujuſmodi enunciatio, quâ deciſive aſſeritur ſolem lucere, aut ſolem non lucere. Hæc autem operatio judicativa evidenter præſupponit, & ſubſequitur apprehenſionem ; neque enim ferri poteſt judicium de re non apprehenſa, ſeu non præcognita ; ubi per rem præcognitam intelligo ſubjectum ſimul & prædicatum, quod de illo affirmatur aut negatur. Hinc duplex eſt judicium, affirmativum ſcilicet, quod etiam vocant compoſitivum ; & negativum, quod aliter diviſivum nuncupatur. Affimativum fit quando ex duobus, aut pluribus apprehenſis, ſive per complexam, ſive per incomplexam apprehenſionem, copulatur unum cum alio per particulam copulativam *eſt*, aut expreſſam aut ſubintellectam ; & è contra negativum elicitur, cùm ad illorum ſeparationem enunciandam

adhibetur

Digitized by Google

adhibetur particula negativa *non*, aut alia æquivalens. Quæ omnia ſic clara ſunt, ut expoſitione nulla indigeant: quare venio ad difficultatem: quæ circa judicium excitari poteſt: ſcilicet utrum ex ſua natura exigat determinationem, & certitudinem præviam notitiæ; vel utrum ei ſufficiat cognitio quæcumque dubia & incerta; agitur autem de judicio, quod eſt vere judicium, in quo mens quieſcit.

ASSERTIO UNICA.

Ad quidditatem formalem veri judicii exigitur prævia determinatio, ac certitudo notitiæ.

PROBATUR *Primò.* Judicium exigit in judicante motivum ſufficiens aſſerendi alteram partem contradictionis: ſed motivum ſufficiens nullum eſt ſine prævia determinatione, & certitudine notitiæ: ergo &c. Major eſt certa; quia ſublato illo motivo ſufficiente mens hæret, inquiritque apud ſe ipſam utra pars contradictionis ſit illa, in quam debeat propendere: ut v. g. in motum aut non motum telluris, quando contenditur de alterutro. Minor etiam non minus certa eſt; ſi attenditur mentem ſublatâ ſimiliter certitudine omni præviâ notitiæ non habere rationem firmam ac tutam aliquid aſſerendi; illa enim ſola dubietatem & anxietatem omnem excludit: quia non poteſt dubietas cum certitudine ſociari, ut ſatis patet: ergo &c. II. Judicii præexigit motiva certa ſic vel aliter judicandi.

Probatur *Secundò.* Ad quidditatem formalem veri judicii requiritur, ut mens in eo confidat, & quieſcat: atqui nec confidere, nec quieſcere in eo poteſt ſine prævia notitia certa rerum, de quibus judicat: ergo &c. Major probatur, quia ſi mens non confidit & quieſcit in judicio, quod profert; ſignum eſt illam perinde habere motiva judicandi oppoſitum; id verò quid aliud eſt, quàm utrumque pariter aut neutrum potiùs judicare? Minor etiam probatur: quatenus non poteſt mens confidere & quieſcere in aliquo judicio, quandiu non eſt convicta de validitate rationum, quibus ad id judicandum fuerit inducta: at quæ convictio eſſe ulla poteſt abſque certa præcognitione talium rationum? ergo &c. III. Ad judicandum requiritur confidentia judicii.

Objicies *Primò.* Judicium apud Logicos omnes nihil aliud eſt quàm ea mentis operatio quâ affirmatur vel negatur rem ſic aut ſic ſe habere, ut cùm dicitur, lepus currit, lepus non currit: ſed ad hujuſmodi affirmationes & negationes non requiritur certitudo ulla præviæ IV. Opponitur judicium perinde

Digitized by Google

ferri ab ignorante rationem ſui judicii.

notitiæ; ſive enim ſcias, ſive neſcias leporem currere, hæc nihilominùs propoſitio ***lepus currit*** eſt affirmativa; & ſimiliter hæc propoſito ***lepus non currit*** eſt negativa. Aliunde etiam, ut evidens eſt, neutra propoſitio referri poteſt ſive ad primam operationem, quæ eſt apprehenſio; ſive ad tertiam quæ eſt diſcurſus: igitur referenda utraque eſt ad ſecundam, quæ eſt judicium: ergo &c.

V. *Sed diſtinguendum eſt inter judicium certum & incertū.*

Reſp. Logicos confundendo judicium cum quacunque propoſitione affirmativa, aut negativa accipere illud in ſenſu quodam univerſali, & prout abſtrahit à judicio vero & ficto, certo & incerto. At nos judicium hic ſumimus in ſenſu ſtricto, & prout habet rationem aſſertionis, cui mens adhæret abſque ulla fluctuatione; ſicque contendimus illud præexigere notitiam certam. Itaque ad reſponſionem concinnandam in forma diſtinguenda eſt major, & concedenda quidem ſi intelligitur de judicio late ſumpto; ſed neganda ſi intelligitur de judicio ſtricte & rigoroſe ſumpto, qualiter à nobis in præſenti caſu accipitur.

VI. *Opponitur non requiri evidentiam, ideoque nec certitudinem.*

Objicies ***Secundò***. Si judicium præexigeret certitudinem præviam, præexigeret quoque evidentiam præviam: atqui iſtam non præexigit: ergo neque illam. Sequela majoris conſtat, quatenus ideo à nobis deſideratur certitudo prævia, ut removeatur hæſitatio ac fluctuatio mentis: at ubi eſt inevidentia, quomodo aberit fluctuatio illa mentis in incertum? Minor verò probatur; quia aliàs nullum poſſet ferri judicium de rebus fidei, de quibus utique evidentia nulla eſt: ergo &c. Ac deinde cùm ſæpe contingat homines cum ſumma ſecuritate mentis falſa pro veris, aut aliter vera pro falſis reputare; hinc rurſus ſequitur judicium humanum eſſe independens ab illa certitudine quam exigimus.

VII. *Sed reſpondetur requiri evidentiam, exceptis rebus fidei.*

Reſp. Diſtinguendo ſequelam majoris. Si judicium &c. in rebus humanis, & de quibus evidentia obtineri poteſt, concedo ſequelam majoris: in rebus fidei, & de quibus evidentia nulla eſt, nego ſequelam majoris: ac tum ſimiliter diſtincta minori, nego conſequentiam. Igitur de rebus fidei fertur judicium proprie dictum independenter ab evidentia, quia fides licet inevidens certitudinem parit, at in rebus humanis non eſt certitudo ſine evidentia, & ſic in iſtis deſiderari meritò poteſt pro vero ac firmo judicio evidentia perinde ac certitudo prævia. Verum id nihil obſtat veritati noſtræ aſſertionis; multoque minùs id, quod adjicitur homines ſæpe cum ſumma ſecuritate mentis judicia falſa, eaque proinde ſine ulla certitudine prævia promere: nam hæc judicia falſa, non ſunt illa ſtricte ſumpta, de quibus agitur; hæc enim ſecum veritatem important, quæ ad

Digitized by Google

hoc ut mentem firmet eximatque ab omni anxietate præexigit, ut probatum eſt, certitudinem præviæ alicujus notitiæ.

ARTICULUS IV.

DE TERTIA MENTIS operatione, qua eſt diſcurſus.

NOTANDUM eſt diſcurſum eſſe operationem illam, quâ mens notitiam ſuam promovet veluti excurrendo, ſeu veniendo, ex notitia unius rei in notitiam alterius; id autem accidit quoties poſtquam ſeriò introſpexit vim ac naturam alicujus propoſitionis, infert ex illa aliam propter connexionem; quam apprehendit inter utramque: quia verò connexio illa vulgò deſignari ſolet per iſtam particulam *Ergo*, vel aliam æquivalentem; hinc fit ut particula iſta vocari ſoleat illativa. Neque neceſſe eſt, ut advertatur operationem diſcurſivam eſſe inter cæteras præſtantiſſimam, multóque ſplendidiùs collucere in ea perſpicaciam mentis explorantis in hunc modum, & accumulantis mirabiliter veritates. De cætero quæcumque de regulis ſyllogiſticis infra traduntur, ea omnia ſpectant ad hanc tertiam mentis operationem, circa quam hic tantum inveſtigabitur, quid potiſſimùm opus ſit ad rectitudinem diſcurſus inſtituendi, id eſt, ad rectè inferendam propoſitionem unam ex alia. I. Quid ſit diſcurſus.

ASSERTIO UNICA.

Ad rectè inferendam propoſitionem unam ex altera, neceſſe eſt illam, unde ſit illatio, comprehendi.

PROBATUR & explicatur ſimul in hunc modum. Per propoſitionem comprehenſam intelligo propoſitionem talem, quæ non ſit purè, & ut ſic loquar, extrinſecè cognita, ſed inſuper intrinſecè & ſecundùm capacitatem, quam habet continendi aliam, ſive ſit una, II. Illatio exigit comprehenſionē.

Digitized by Google

propoſitionis continentis illatam.

ſive ſit multiplex: Atqui propoſitio, unde fit illatio alterius, debet eſſe taliter cognita: ergo &c. Major ſatis intelligitur: quatenus certum eſt ſingulas propoſitiones ſuam habere latitudinem, ratione cujus non nudè agnoſcuntur: ſed occaſionem ingerunt veniendi in cognitionem propoſitionum ex ipſis deducibilium: ſic illa propoſitio ***Omnis homo eſt rationalis*** continet iſtam ***Petrus eſt rationalis***: quia Petrus continetur ſub homine; & rurſus iſtam ***Petrus eſt riſibilis***; quia riſibile continetur ſub rationali. Minorem ſic probo. Propoſitio quæ non eſt cognita intrinſece, ut dictum eſt, non poteſt eſſe occaſio veniendi in cognitionem alterius, quæ intra ipſam continetur: Quomodo enim, ut exemplo utar familiari: niſi crumenam introſpicias, poteris venire in cognitionem pecuniæ incluſæ, cùm ſola externa crumenæ oſtenſio ad diſtinctam hujuſmodi notitiam non ſit ſatis? Ergo propoſitio, unde fit illatio, debet eſſe intrinſeca, & ſecundum capacitatem ſeu latitudinem ſuam cognita, id eſt comprehenſa.

III. Propoſitiones aliæ in aliis continentur.

Præterea non poteſt recte inferri una propoſitio ex alia, niſi cognoſcatur prout exiſtens in illa: Sed non poteſt cognoſci in hunc modum, niſi illa altera, unde fit illatio, comprehendatur: ergo &c. Major conſtat: quia illatio eſt veluti quædam eductio: ad aliquid autem educendum neceſſaria eſt notitia ſubjecti, unde illud eſt educendum: atque ita niſi præcognoſcatùr propoſitionem aliquam contineri in alia, quomodò poterit ex illa educi, ſive inferri? Minor autem intelligitur ex præmiſſis, quibus monitum eſt, quid per comprehenſionem intelligamus, ſcilicet notitiam intrinſecam rei: aut quod idem eſt, notitiam capacitatis ſeu latitudinis, quæ in ea eſt. Atque ut adhuc magis innoteſcat quod aſſeruimus, finge propoſitiones univerſales veluti fœtas particularibus, quæ proinde niſi in iis præcognoſcantur, non poſſunt ex iiſdem inferri; & inde eſt, ut propoſitiones univerſales non poſſint ex particularibus reciproce inferri, quia non continentur in illis. Uno verbo non poteſt inferri una propoſitio ex alia niſi contineatur in illa; & rurſus niſi agnoſcatur ſub ea ratione, quâ continetur; Atque ita illa altera propoſitio, unde fit illatio, non tantùm debet pure apprehendi; ſed etiam comprehendi: ut dictum eſt.

IV. Non requiritur cognitio perfecta, ideoque

Objicies, Comprehendere propoſitionem eſt concipere illam ſecundum omnem latitudinem, quam habet: Sed ad aliquid ex illa inferendum non eſt ſic concipienda: ergo &c. Major conſtat, quia comprehenſio eſt cognitio perfecta: implicat verò propoſitionem aliquam perfectè cognoſci, quin concipiatur quidquid in tota illius

Digitized by Google

latitudine continetur. Minor autem probatur, ſive quia nulla cognitio humana poteſt omnem latitudinem cujuſvis propoſitionis concipere; alioquin Deus non illam perfectiùs cognoſceret; quod eſt abſurdum. Sive etiam quia ad aliquid recte inferendum ex alio ſufficit advertere connexionem inter utrumque: ad iſtam autem connexionem advertendam non requiritur conceptio prædicta, ut ſatis patet, ergo &c. nec comprehenſio.

V. Inferuntur ſæpe propoſitiones aliæ ex aliis non comprehenſis.

Deinde ſæpiſſime accidit, ut legitimæ conſequentiæ deducantur ex propoſitionibus incomprehenſis; primò quia indocti legitimas conſequentias ſæpe deducunt, quin & contra artem ſyllogiſticam: ut ſi quis indoctus diceret ***Petrus eſt rationalis***, ergo ***omnis homo eſt rationalis***. Secundò, quia propoſitiones fidei non comprehenduntur: & nihilominus ex illis propoſitiones aliæ deducuntur; ut ſi quis diceret, Deus eſt trinus, ergo eſt adorandus. Igitur ad inferendam propoſitionem unam ex alia non requiritur prædicta comprehenſio.

VI. Requiritur ſaltem comprehenſio inadæquata.

Reſp. Et diſtinguo majorem. Comprehendere propoſitionem comprehenſione adæquata eſt concipere &c. Concedo majorem: comprehenſione inadæquata, nego majorem: ac tum conceſſa minori nego conſequentiam ſub eadem diſtinctione. Igitur aſſertionem noſtram non intelligimus, niſi de comprehenſione inadæquata, ratione cujus ſaltem cognoſcatur propoſitio unde illatio fit: ſecundùm quòd continet inferendam. Neque enim neceſſe eſt, ut quoad omnem ſuam latitudinem cognoſcatur; niſi ageretur de inferendis ex illa omnibus, ac ſingulis propoſitionibus, quæ poſſunt inferri. De cætero fateor cognitionem hominum non poſſe eſſe adæquate comprehenſivam, licet intra limites comprehenſionis inadæquatæ alii aliis profundiùs, ſubtiliùſque propoſitiones penetrent, ex quibus proinde plures ac tutiores eruunt conſequentias. Tum ad recte inferendam unam propoſitionem ex alia nego ſatis eſſe, ſi connexio quæ inter utramque eſt cognoſcatur; præterea enim neceſſe eſt cognoſci unius ab alia dependentiam: ad hujus autem dependentiæ notitiam requiritur comprehenſio, qualem explicuimus.

VII. Tales illationes non ſunt formales, ſed materiales.

Ad id verò quod ſubjicitur dico conſequentias, quas indocti indocte deducunt, non eſſe, niſi per accidens legitimas: idque ſi præſtiterint aliunde contra regulas artis, non tunc conſequentiæ ſed inconſequentiæ ſunt. Sic enim non eſt conſequens; ſed eſt potiùs inconſequens omnem hominem eſſe rationalem, ex eo quòd Petrus ſit rationalis: aut ſi nihilominus id volueris vocare conſequens, adde id eſſe conſequens vi materiæ, ſed non vi formæ. Denique propoſitiones ſupernaturales fidei perinde ac naturales ſuam habent latitu-

Digitized by Google

dinem , quam licet non perfecte ; at certe utcunque cognoſcimus : unde fit ut ex propoſitionibus fidei perinde ac ex cæteris eruere poſſimus conſequentias ; nunquam tamen id legitime poteſt fieri, quin propoſitiones conſequentes in antecedentibus cognoſcantur , ſive quod idem eſt, quin antecedentes comprehendantur modo ſupradicto. Ex quibus ſatis patet ſolutio omnium objectorum.



Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

DE ENTE RATIONIS.

PROLIXAM de ente rationis diſputationem inſtituere, & quæ de illo plerique fuſiùs tractant propugnare vel impugnare non propoſui; ſed ea tantùm perſtringere, quæ alicujus utilitatis eſſe videantur ad Logicum inſtitutum, ut quid enim in ſuperfluis immorari? Quare hæc diſputatio quatuor tantùm articulos complectetur; In *primo* agetur de ente rationis reali; In *ſecundo* de ente rationis chimærico; In *tertio* de ente rationis logico; Et In *quarto* demum de ente rationis denominato, ſive de denominationibus extrinſecis.

ARTICULUS I.

DE ENTE RATIONIS REALI.

1. **Quot ſint genera entium rationis.**

NOTANDUM eſt juxta præmiſſam partitionem hujuſce diſputationis diſtinguenda occurrere quatuor genera entium rationis, quorum alia ſunt realia, alia chimærica, alia logica, alia denominata aut denominantia. Per entia rationis realia, quæ aliter effectiva vocantur, intelligo operationes omnes, quæ à ratione proficiſcuntur, nihilque aliud ſunt, quàm ejuſdem rationis exercitatio-

nes : tales uno verbo ſunt intellectiones omnes , quæ cum haud dubiè ſint computandæ inter entia , non poſſunt convenientiùs vocari, quàm entia rationis , cùm intellectus ſit ratio ipſa , perinde ac mens, ut ſupra dictum eſt. Tum entia rationis chimærica ea ſunt , quæ ſic à ratione confinguntur, ut extra illam nullum eſſe obtineant ; Sic lapis aureus , mons deambulans , oculus audiens, & alia id genus , quæ à mente ſi libuerit , confinguntur, vocantur entia rationis chimærica. Deinde inter entia rationis logica enumeramus omnes ſecundas intentiones generis , ſpeciei , differentiæ &c. item definitionis, diviſionis &c. de quibus agitur in particulari ſuis locis. Sicut denique per entia rationis denominata , aut denominantia intelligimus denominationes omnes pure extrinſecas , quales utique ſunt denominationes alicujus viſi , auditi , dextri , ſiniſtri , æqualis inæqualis , &c. ut infra explicabitur. Nunc itaque circa entia rationis realia , de quibus agendum proponitur in hoc articulo, id tantùm *obiter* inquirendum videtur , an hæc realitas , quæ actionibus rationis tribuitur, ſit diſtincta à realitate ipſius *rationis*, dico *obiter* , quia aliàs deciſio hujus difficultatis pertinet ad Phyſicam , ubi generaliter quæritur utrum actiones à ſuis agentibus diſtinguantur. Nihilominùs non erit ſuperfluum , ſi occaſione datâ aliquid in particulari præoccupetur , quo probemus entia illa , quæ vocamus entia rationis realia , non aliam realitatem obtinere , quàm quæ eſt ipſius *rationis* , id eſt, mentis.

ASSERTIO UNICA.

Realitas illa , quæ actionibus rationis tribuitur , eſt ipſa realitas rationis ; ſive, quod idem eſt , actiones mentis , quas vocamus entia rationis , quatenus mens & ratio idem ſunt , non habent realitatem diſtinctam ab illa ipſa , quæ eſt realitas mentis.

II. Actionũ rationalium realitas alia non eſt quàm realitas ipſa mentis.

PROBATUR. Si actiones rationis haberent realitatem diſtinctam à ratione, obtinerent utique illam vel intra , vel extra rationem : atqui neutrum poteſt verificari : ergo &c. Sequela majoris eſt evidens ; minor autem probatur per partes , & *Primò* quidem realitas illa diſtincta, non poteſt eſſe extra rationem ; quia actiones rationis ſunt immanentes , nec aliud habent ſubjectum , quàm rationem ipſam ; alioquin illud pariter denominarent , & ſic præter rationem

nem

Digitized by Google

nem aſſignabile eſſet aliud ſubjectum , cui conveniret ratiocinari, quod nemo dixerit. Neque ſecundò poteſt realitas illa diſtincta locum habere intra ipſam rationem , quia ſic ratio præter entitatem ſibi propriam , tot entitates diverſas in ſe ipſa complecteretur , quot genera , imo quot individua actionum eliceret ; unde reſultaret compoſitio prorſus oppoſita ſimplicitati rationis ; ratio enim perinde ac anima , inter cujus potentias numeratur , eſt ens ſimplex , & indiviſum : ergo &c.

III. Tales actiones cōſiſtunt in ſolo exercitio mentis.

Adde quod actiones , quas ratio elicit , non ſunt niſi ejuſdem rationis exercitatio , per quam tranſit , ut aiunt , de potentia in actum ; ſed hæc exercitatio non importat realitatem diſtinctam ab ea , quæ eſt ipſius rationis : ideo ſcilicet , quia hæc realitas , ſi quæ eſſet , producenda utique eſſet ; neque aliunde producibilis eſſet , niſi per creationem : actiones enim prædictæ cum ſint actiones potentiæ pure ſpiritualis , ſunt etiam ipſæ purè ſpirituales , ideoque ſola creatione producibiles, At certiſſimum eſt rationem , imo vel quamcunque aliam potentiam animæ rationalis , non obtinere vires ſufficientes ad quicquam creandum. Supereſt igitur , ut aſſeratur entitatem realem , quam actionibus rationis tribuimus , eſſe realitatem ipſam rationis ; quod erat probandum , nec alio fine inſinuatum hîc fuit , quàm ut paulatim lectores ſtudioſi aſſueſiant rejiciendis iis omnibus generibus formularum , quas Ariſtotelici contendunt eſſe realiter diſtinctas à ſuis potentiis & ſubjectis.

IV. Opponunt rationem non ſemper agere & ita diſtingui à ſuis actionibus.

Objicies. Ratio non ſemper agit : ergo actiones illius , ſi quam habent realitatem , eam utique obtinent diſtinctam à realitate , quæ rationi tribuitur. Antecedens conſtat ; tum quia ſomno , phrenesi , amentiâ , cæteriſque multis impedimentis uſus rationis adimitur ; tum etiam quia etſi ratio ſemper eſſet in actu , non certe tamen circa idem objectum ; idque ſufficit ad vim objectionis. Conſequentia ſic probatur. Inter realitatem exiſtentem , & non exiſtentem admittenda eſt diſtinctio : atqui ſi ratio non ſemper agit , verificatur realitatem rationis ſemper exiſtere , ſed non ſemper exiſtere realitatem actionum illius : ergo &c.

V. Ac præterea realitatem rationis eſſe ſubſtantialem , ſeq.

Deinde realitas , quæcunque illa eſt , actionum rationis , non eſt niſi accidentalis ; poteſt enim ratio agere & non agere : at realitas rationis , quæ eſt ipſa potentia intellectiva , eſt realitas ſubſtantialis : ergo inter utramque datur diſtinctio , tamque evidens , ut nemini non perabſurdum videatur hanc & illam confundere. Imo nec aperta abſurditate caret hoc ipſum quod dicimus , actiones illas eſſe entia rationis realia : vel enim vocari non debent entia rationis , vel ſi ſic nuncupantur , abſtinendum eſt à vocabulo *realitatis* , cum ex communi

Digitized by Google

ctûs illam actionum

uſu loquendi contradictoria ſint ad invicem hinc *entia realia*, hinc *entia rationis*. Ergo &c.

VI. Sed oppoſitio illa non probat niſi diſcrimen Logicum

Reſp. Et conceſſo antecedente nego conſequentiam; vel diſtinguo hoc ſenſu, quòd actiones, de quibus agitur, obtineant realitatem diſtinctam à realitate rationis præcisè & in abſtracto conſideratæ; non autem conſideratæ in ſtatu ſui exercitii: quatenus actio rationis eſt ipſa ratio exercitata; neque fingi poteſt iſtud exercitium ſuperaddere rationi realitatem ullam diſtinctam. Ad ampliorem ſolutionem dico quòd quando ratio non agit, illa nonexiſtentia actionis non eſt poſitiva, qualis intelligitur convenire rebus, quæ quidem per ſe non exiſtunt, ſed tamen poſſent exiſtere: ſed tantùm negativa, qualis convenit rebus, quæ non poſſunt habere niſi exiſtentiam communem cum aliis. Atque ita ſe habent actiones rationis, quæ non poſſunt habere niſi exiſtentiam, ac proinde realitatem communem cum illa.

VII. Et nihil vetat ſubſtantialitatẽ jungi cũ accidentalitate Logica.

Tum verò ad inſtantiam, quæ ſubjicitur, ſolvendam addo realitatem actionum, de quibus agitur, non eſſe accidentalem niſi logice, id. eſt ſecundùm modum concipiendi, & loquendi: accidentalitas autem logica non eſt incompoſſibilis cum ſubſtantialitate; nam aurum v. g. ut ſuo loco dicetur, eſt accidens Logicum reſpectu calicis, qui deauratur; & nihilominùs eſt ſubſtantia. Denique non video, quæ abſurditas deprehendatur ab Adverſariis in eo, quòd opus rationis dicatur ens rationis, & rurſus dicatur ens rationis reale ad diſcriminandum illud à cæteris entibus rationis, quibus realitas nulla convenit: nam non modò id abſurdum non eſt; ſed potiùs multùm ſcitu ac notatu dignum pro majori intelligentia eorum omnium, quæ hic de ente rationis tractanda ſunt.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE ENTE RATIONIS Chimærico.

NOTANDUM *Primò.* Ens chimæricum ex communi notione, quam de illo jactant Philoſophi, tale eſſe ens, quod nullum obtineat eſſe niſi ab intellectu, à quo confingitur; ita ut ceſſante fictione intellectus illud penitùs evaneſcat. Inde eſt quòd hujuſmodi ens rationis ſit proles rationis: at fragilis, & evanida, minimèque ſubſiſtens. Sic v. g. ſi quis cogitet terram eſſe ſole majorem; exceſſus ille magnitudinis, cùm revera nullus ſit, eſt ens rationis: ideoque deſinit eſſe, ubi primùm deſinit cogitari. I. Quid ſit ens chimæricum latè ſumptum.

Notandum *Secundo.* Ens rationis chimæricum ſtrictiùs ſumptum non modò nullum obtinere eſſe, niſi ab intellectu; ſed nec illud obtinere, niſi ab eo vel fingente, vel errante abſque ſufficiente ullo vel fictionis adinveniendæ; vel erroris aſtruendi fundamento. Sic ens rationis fingentis erat animal illud flammivomum, quod Poetæ fabulabantur habens caput ac pectus leonis, ventrem capræ, & caudam draconis, non alia de cauſa, quàm quia in Lycia mons erat nomine Chimæra, in cujus cacumine habitabant leones; in medio, ubi paſcuis abundabat, capræ; in radicibus verò ſerpentes: hinc tota Chimæræ fabula, quam Ovidius lib. 9. Metam. ſic enarrat. II. Quid ſit ens chimæricum ſtrictè acceptum.

Quoque Chimæra jugo, mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudam ~~draconis~~ Serpentis *habebat.*

HINC etiam chimærica vocari conſueverunt omnia entia illa, quæ nullum eſſe obtinent, niſi quod ipſis provenit ab intellectu gratis aut fingente aut decepto: quantòque fictio aut deceptio eſt abſurdior, tantò digniùs pro chimæricis reputantur. De iſtis itaque entibus rationis jam inquirendum eſt an & qualiter dentur.

Digitized by Google

ASSERTIO UNICA.

Datur ens rationis chimæricum; ſed non aliter quàm pure objectivè.

III. Multa ſunt quæ Mens gratis fingit.

PROBATUR *Primò.* Dari ens rationis chimæricum, eſt dari tale ens quod *eſſe* nullum habeat extra intellectum gratis fingentem: atqui datur hujuſmodi ens gratis confictum: ergo &c. Probatur minor. Nihil impedit quominùs quis cogitatione ſua effingat compoſitionem animalis, quod ad inſtar chimæræ illius poeticæ ore leonem, ventre capram, caudâ draconem referat: ſed tale animal ſic effictum *eſſe* nullum habet extra intellectum gratis fingentem: ergo &c. Neque aliàs negari poteſt abſolute, ut aliqui ſolent, animali ſic conficto convenire ullam entitatem, per quam differat à *nihilo*; tum quia de illo multa affirmari & negari poſſent valde diverſa ab attributis *nihili*; habet enim *nihilum* ſua quædam intelligibilia attributa, uti quod careat exiſtentia, & actione; quod de illo Deus omnia fecerit, &c. Tum etiam quia animal prædictum differret ab alio, quod aliter intellectus effingeret ſub forma dimidiata cameli v. g. & leonis: talis autem differentia ſupponit entitatem aliquam, ſcilicet objectivam; atque in hoc ſenſu verum eſt dari ens rationis chimæricum.

IV. Item multa, de quibus mens falſò judicat & diſcurrit.

Probatur *Secundò.* Intellectus poteſt tum falsò judicare, tum falsò diſcurrere: ſed falsò judicare, & diſcurrere nemo poteſt, quin hoc ipſo efficiat ens rationis chimæricum: ergo &c. Probatur minor. Nemo poteſt falsò ſive judicare, ſive diſcurrere, quin cogitet de re, quam attingit ſuo ſive judicio, ſive diſcurſu, omninò aliter quàm ſit: uti ſi cogitet illam exiſtere, quamvis revera non exiſtat: ſed hoc ipſo efficitur ens rationis chimæricum: nam ſi ſupponatur Petrum v. g. non exiſtere, ille qui cogitat, aſſeritque Petrum exiſtere, habet pro objecto ſuæ tum cogitationis, tum aſſertionis exiſtentiam, quæ præter rationem entis objectivi aliam nullam habet: igitur exiſtentia illa eſt chimærica: atque idem dicendum de cæteris omnibus, quæ falsò cogitantur & aſſeruntur.

V. Opponitur ens chimæricum non

Objicies *Primò.* Si daretur ens rationis chimæricum, illud utique efformaretur ab intellectu: ſed ab intellectu efformari non poteſt: ergo &c. Major conceditur; minor verò facilè probatur in hunc modum: quia intellectus non poteſt id præſtare, niſi per ſuas intellectiones; cùmque

intellectiones iſtæ ſint reales, non poſſunt terminari niſi ad aliquid reale; minimè verò ad aliquid chimæricum: ſicuti enim actiones potentiæ vegetativæ non poſſunt, ex eo quod ſint reales, producere augmentum chimæricum; nec actiones potentiæ locomotivæ motum chimæricum; ita nec actiones intellectivæ, cum ſint pariter reales, producere poterunt prolem chimæricam, quale eſt ens rationis. Ergo &c. — poſſe fieri per intellectionem realem.

VI. Item totum eſſe entis chimærici præſupponi ad intellectionem.

Adde quòd intellectus creditur non aliter efformare ens rationis, quàm tribuendo illi ſuum *eſſe* objectivum: atqui hoc repugnat: ergo &c. Probatur minor. Omne *eſſe* objectivum præſupponitur intellectioni. Ergo repugnat illud *eſſe* objectivum, quod tribuitur enti rationis, provenire illi ab intellectu. Probatur iterum antecedens, quia ſic ſe habet intelligibile ad intellectionem, ſicut viſibile ad viſionem: omne autem viſibile præſupponitur viſioni; neque enim viſio reddit illud viſibile: ita ergo intelligibile præſupponitur intellectioni: at *eſſe* intelligibile, & *eſſe* objectivum ſunt unum & idem: ergo &c.

VII. Sed reſpondetur objecta etiam non realia attingi ab intellectu.

Reſpondere ſolent aliqui actiones intellectus, ex eo quòd ſint reales, terminari tantùm ſecundario ad ens rationis; primariò autem ad ens reale: ſic ut primarió apprehendat intellectus hinc montem, hinc aurum, ac deinde ſecundario tranſeat ad apprehenſionem montis aurei; ſicque ſecundarió tantúm effingat ens rationis. Neque ſperno hanc reſponſionem; ſed expeditior alia eſt, quâ abſolute contenditur intellectiones licet reales poſſe perinde terminari ad objecta ſive realia ſive non: nam dum intellectus ſeu præterita recolit, ſeu futura proſpicit, nunquid hæc objecta ſunt non realia? Ita dum diluvium illud recolo, quod contigit temporibus Noe, objectum meæ apprehenſionis eſt diluvium illud, quod nunc non magis reale eſt, quàm ſi nunquam contigiſſet: & ſimiliter ſi cogitaverim de Antichriſto futuro, objectum meæ cogitationis nunc non magis eſt reale, quàm ſi Antichriſtus futurus non eſſet. Neque prodeſt quicquam exemplum, quod Adverſarius affert actionum potentiæ vegetativæ, quatenus iſtæ actiones ſunt corporeæ, actiones autem potentiæ intellectivæ ſunt ſpirituales, ac proinde fœcundiores.

VIII. Et præſuppoſitionem quæ opponitur, non eſſe, niſi inadæquatā

Ad id verò quod additur reſpondeo ſatis eſſe, ſi *eſſe* objectivum præſupponatur intellectioni inadæquate: ſic ad fictionem montis aurei ſatis eſt ſi præſupponatur *eſſe* objectivum hinc montis, hinc auri; mox enim intellectus ſua fœcunditate componit ex monte, & auro ſeorſim cognitis montem aureum. Igitur non eſt neceſſe, ut totum *eſſe* objectivum entis chimærici præſupponatur intellectioni; ſed tantùm ut ei præſupponatur utcunque *eſſe* objectivum, ſcilicet rerum, unde

Digitized by Google

intellectus occaſionem deſumit confingendi ens chimæricum. Et paritas adduci poteſt ex conſtructione ædificii, cujus partes ad fabricam concurrentes præſupponuntur labori ac induſtriæ Architecti: at tota moles ædificii non præſupponitur, imo eſt effectus laboris, atque induſtriæ. Ex quibus recte attentis facile intelliges, qualiter in forma ſcholaſtica reſpondendum occurrat.

IX. Opponunt rurſus tale ens chimæricum neque poſſe intelligi.

Objicies *Secundò*. Ens rationis ſi datur, totum conſiſtit in eo, quod eſt ipſum intelligi: ſed neque poteſt intelligi: ergo non datur. Major conſtat ex prædictis, minor verò probatur vulgatiſſimo illo axiomate, ***Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu***: at ens rationis nullo ſenſu poteſt percipi, cum nihil poſſit à ſenſibus percipi ſine aliqua realitate, quæ ſe illis objiciat: ita viſus non percipit niſi colores, nec auditus niſi ſonos reales &c. ergo &c.

X. Neque poſſe ſubjectari.

Præterea ſi daretur ens rationis, aſſignabile eſſet ſubjectum illius: at nullum ſubjectum illius eſt aſſignabile; neque enim aſſignabile eſt aliud præter intellectum; & nihilominùs facilè oſtenditur intellectum non eſſe aſſignabilem pro ſubjecto illius, quia naturale eſt omni enti objectivo, ut ſit extra potentiam, cui objicitur; ſic color eſt extra oculum à quo videtur, & ſonus extra aurem à qua auditur &c. Igitur ens rationis erit pariter extra intellectum, à quo percipitur, & ſic non ſubjectabitur in illo.

XI. R. Diſtinguendo axioma, quod objicitur.

Reſp. Et conceſſa majori nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda dico axioma illud ſic exponendum eſſe, ut dicatur nihil eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu vel adæquatè, vel inadæquatè; ac rurſus vel explicitè vel implicitè. Quo pacto mons aureus v. g. qui pro ente rationis ſupponitur, etſi nunquam fuerit viſus adæquatè, inadæquatè tamen & per partes viſus fuit: quis enim ſeorſim non vidit montem & aurum?

XII. Et oſtendo non requiri ſubjectationem, qualem requirunt.

Tum ad inſtantiam additam dico duplex eſſe ens objectivum: aliud ſcilicet, cujus realitas objicitur; & aliud cujus objicitur ſola apparentia: priùs eſt pariter intra & extra intellectum, poſterius verò tantùm eſt intra. Quamquam aliundè non repugnat ens rationis in ratione entis objectivi conſiderari extra intellectum; licet in ratione entis ſubjectati, ſit intra; niſi quod etiam non eſt neceſſe, ut ens rationis concipiatur ad modum alicujus formæ accidentalis exigentis ſuum ſubjectum.

XIII. Aliter de Deo

Cùmque ex jam dictis intelligatur efformationem entis chimærici conſiſtere in tali operatione, quâ intellectus ſibi repræſentat rem aliter quàm ſit, non video quomodo poſſit in Scholis ſeriò proponi an Deus poſſit facere ens rationis: quaſi verò Deus ſit capax er-

roris , aut certè fictionis , quam prædicta repræſentatio ſecum importat. Verum quidem eſt Deum advertere entia rationis à nobis conficta, & per errorem formata : at videre fictiones & errores aliorum id nec eſt fingere, nec errare : ſed rem apprehendere qualis eſt, & de illa judicare qualiter ſe habet : & hoc eſt quod multi vocant facere entia rationis ſpeculativè ; ſed non practicè , & in ſenſu, de quo quæſtio procedit. De Angelis autem non eſt eadem ratio , habent enim intellectum non incapacem erroris , ac proinde etiam fictionis ; & ſic Angeli poſſunt , ut opinor , efficere entia rationis chimærica , de quibus jam ſatis actum ſit.

ſentiendum quoad efformationem entium rationis.

ARTICULUS III.

DE ENTE RATIONIS Logico.

I. Quid ſit ſecunda intentio apud Logicos.

NOTANDUM *Primò* Ens rationis logicum eſſe illud quod Logici aliter vocant ſecundam intentionem : quare illicò ſciendum eſt duplicem eſſe intentionem , ſcilicet formalem , & objectivam. Intentio objectiva ſe tenet ex parte objecti , & nihil aliud eſt , quàm objectum ipſum conſideratum ab intellectu. Intentio autem formalis ſe tenet ex parte intellectus , & eſt ipſa conſideratio intellectus, tendentis in objectum, eo ſcilicet fine, ut illud cogitatione ſua veluti apprehendat & aſſequatur ; intellectus enim proprium eſt pertrahere ad ſe objectum , ut eo fruatur ; ſed trahere non poterit niſi attigerit , & attingere non poteſt niſi ſe ſua conſideratione transferat verſus illud : quod eſt in illud tendere : ſicut nec oculus poteſt objectum attingere , niſi ſe dirigat verſus illud eo, quo par eſt , modo ad receptionem ſpecierum objectivarum idoneo.

II. Quotuplex ſit

Notandum. *Secundò* Intentionem formalem rurſus duplicem eſſe, primam , & ſecundam. Intentio formalis prima eſt conſideratio rei , ut eſt in ſe ; intentio formalis ſecunda eſt conſideratio rei relatæ ad

Hæc ſecunda intentio. aliam. Rurſus intentio objectiva duplex eſt; ſcilicet prima, & hæc eſt res conſiderata in ſeipſa; & ſecunda, quæ eſt res conſiderata relativè ad aliam. Quâ diviſione præmiſsâ quidquid deinceps de primis & ſecundis intentionibus dicetur, nunc formalibus, nunc objectivis poterit applicari: atque ut id totum planiùs fiat, ſic me explico. Natura humana poteſt dupliciter conſiderari, vel in ſeipſa, ac præcisè ſecundùm prædicata eſſentialia, quibus perſpectis concluditur hominem eſſe animal rationale; vel aliter in ordine ad individua, à quibus complete participatur, & de quibus proinde apta eſt prædicari in quid completum, ut intelligetur ex dicendis infra de univerſalibus; & ſic concluditur hominem eſſe ſpeciem. Igitur conſideratio naturæ humanæ in ſe ipſa dicitur prima intentio, ſicut ſecunda intentio vocatur conſideratio ejuſdem naturæ in ratione ſpeciei, atque idem dicendum de genere, differentia,, proprio, accidente, ſubjecto, prædicato, termino, cæteriſque hujuſmodi plurimis, de quibus paſſim agitur in Logica. Nunc itaque de iſtis ſecundis intentionibus, ſive quod idem eſt, de iſtis entibus rationis logicalibus quæritur an habeant aliquod eſſe præter objectivum: & in quo differant à chimæricis, de quibus actum eſt in articulo proximè præcedente.

ASSERTIO UNICA.

Entia rationis Logica à Chimæricis differunt per idoneum & reale fundamentum, quod intellectus habet illa efformandi; quale utique pro iſtis effingendis non obtinet.

III. Secundæ intentiones habent fundamentum idoneum. PROBATUR *Primò.* Natura humana conſiderata quatenus prædicabilis de ſuis individuis in quid completum, & ſub hoc reſpectu deſignata vocabulo *Speciei*, eſt ens rationis logicum: ſed iſtud ens rationis efformatur cum fundamento idoneo & reali: & idem verificatur de cæteris omnibus entibus rationis logicalibus: ergo &c. Probatur minor. Prædicabilitas illa ſpeciei humanæ de ſuis individuis habet pro fundamento ſimilitudinem, quæ inter individua reperitur: at tale fundamentum eſt reale, & idoneum, ut patet: Tale autem nullum eſt in efformatione entium chimæricorum: nam v. g. quodnam eſt idoneum ac reale fundamentum fictionis chimæricæ, quâ ſibi quis repræſentaret vel oculum audientem, vel aurem videntem, vel quid aliud ſimile? ergo &c.

Probatur

Digitized by Google

Probatur *Secundò*. Entia rationis Logica ſunt ſcientifica: ergo fictio illorum exigit idoneum aliquod, & reale fundamentum: per quod à chimæricis differant. Probatur antecedens: tum quia pro illis efformandis traduntur regulæ Logicales, uti cum docetur quid eſſentialiter requiratur ad rationem generis, ſpeciei &c. ſubjecti, prædicati, &c. Tum etiam quia intelligentia illorum non minùs neceſſaria eſt ad comparationem ſcientiarum, quàm Logica ipſa, quæ tota ex illis plane componitur. Rurſus conſequentia etiam probatur; tum quia omne fundamentum ac motivum omnis cognitionis ſcientificæ, quæ utique realis eſt, non caret convenientc ſua realitate, tum etiam quia entia rationis chimærica ad nullam ſcientiam pertinent; ſed tantùm fiunt ad varias ac ſuperfluas humani ingenii deluſiones, ergo &c. **IV. Et formantur ſecũdùm regulas à Logica traditas.**

Objicies *Primò*. Entia rationis chimærica habent totum ſuum eſſe ab intellectu: ſed entia rationis Logica ſimiliter ſe habent; ergo nullum eſt ſufficiens diſcrimen aſſignabile inter illa. Major ſatis conſtat, minor verò probatur, quia, ſi ſemoveamus fictionem omnem intellectus: quæro ubi eſt *Species*, ubi eſt *Genus*? Certè nullibi; aut certe non alibi, quàm ubi eſt mons aureus: neque enim ſpecies, & ita de aliis, eſt aliquid productum, quæro enim rurſus quâ actione? quo tempore? quo artificio, nec occurret quid ad hæc quæſita reſpondeatur: ergo &c. **V. Opponunt nõ eſſe ſufficiens diſcrimẽ inter iſta entia.**

Reſp. & conceſſa majori, nego abſolutè minorem intellectam de omnimoda aſſimilatione, vel ſic diſtinguo. Similiter ſe habent quantùm ad eſſe formale, concedo minorem, quantùm ad eſſe fundamentale, nego minorem, & conſequentiam. Neque attentis præmiſſis obſcura eſt ratio diſtinctionis adductæ; nam entia rationis logica habent ſuum eſſe fundamentale aſſignabile: ſic quippe ſpecies pro ſuo eſſe fundamentali obtinet convenientiam ſimilitudinis, quæ inter illius individua reperitur & meritò prædicatur de illis æqualiter. Itaque ubi eſt illa ſimilitudo, ibi eſt ſpecies quoad ſuum eſſe fundamentale; at nullibi reperies fundamentum fictionis chimæricæ; uti montis aurei, oculi audientis, &c. **VI. Oſtenditur ſufficientia diſcriminis.**

Objicies *Secundò*. Ad confictionem entis chimærici intellectus omninò eget præcognitione alicujus objecti, quod ſit fundamentum talis confictionis; Ergo ex hoc capite ens rationis chimæricum non differt ab ente rationis logico. Conſequentia eſt evidens: ac tum antecedens evidenter probatur, quia intellectus nunquam fingere potuiſſet montem v. g. aureum, niſi montem & aurum præcognoviſſet: Sicut neque idem intellectus unquam finxiſſet ſpeciem veluti exiſtentem in multis individuis & prædicabilem de illis, niſi illa **VII. Opponunt entia chimærica non fieri ſine fundamento.**

Digitized by Google

VIII. At fundamentum iſtud eſt extraneū & inſufficiens. illorumque aſſimilationem naturalem præcognoviſſet. Unde patet pro utriſque entibus rationis fundamentum ſimiliter aliquod prærequiri: ergo &c.

Reſp. confictionem entis chimærici præſupponere quidem aliquod fundamentum ſcilicet extraneum, & inſufficiens ad rationabiliter quicquam fingendum; at fundamentum, quod habet confictio entis logici, eſt proprium, & ſufficiens pro fictione rationali, imo ſcientifica, ut ſupra dictum eſt. Fateor itaque ab auro & monte ſeorſim cognitis intellectum deſumere occaſionem fingendi montem aureum; at cui bono & quare ſufficiat illa præcognitio? non certe magis, quàm præcognitio hinc ſtellæ, hinc ferri ſufficeret ad fictionem ſtellæ ferreæ; aut præcognitio hinc Philoſophiæ, hinc lapidis, ad fictionem lapidis philoſophantis. Unde jam ſatis intelligitur qualiter entia rationis logica diſcrepent à chimæricis.

ARTICULUS IV.

DE ENTE RATIONIS denominativo.

I. Quid & quotuplex ſit denominatio. NOTANDUM *Primò* denominationem nihil aliud eſſe, quàm appellationem à forma denominante provenientem; forma autem quæ denominat, vel inhæret ſubjecto denominato, vel tantùm adhæret, aut utcunque aliter ad illud refertur: unde provenit diviſio illa denominationis in intrinſecam & extrinſecam. Itaque denominatio intrinſeca illa eſt, quæ provenit à forma inhærente, vel adhærente: quo pacto corpus denominatur ab anima, quæ afficit illud intrinſece; & paries denominatur albus ab albedine, quæ concipitur illum afficere ad inſtar formæ adhærentis. Et hæc licet abſolutè loquendo ſit extrinſeca, nihilominùs quia intelligitur veluti habens realem connexionem cum ſuo ſubjecto, & ad internam illius aptitudinem, aut exigentiam pertinet: ideo juxta communem uſum loquendi fundat ſufficienter denominationem intrinſecam; idque ad evidentius diſcrimen denomi-

Digitized by Google

nationis hujus intrinſecæ ab extrinſeca, quæ provenit à forma abſolutè externa nec inhærente, nec adhærente ſubjecto denominato, ſed tantùm utcunque per relationem terminata ad illud, quo pacto paries denominatur viſus à viſione, ex eo præciſè quod ſit terminus viſionis: & in turba hominum unus eſt qui vocatur primus propter enumerationis ordinem arbitrarium. Tales uno verbo ſunt denominationes omnes dextri, ſiniſtri; æqualis, inæqualis: ſublimis, profundi; jacentis, erecti: &c. quæ fundantur in reſpectu quodam pure extrinſeco.

Notandum *Secundò* Denominationes intrinſecas *non ſolere* computari inter entia rationis propter realitatem formæ ſive inhærentis, ſive adhærentis, quæ ſubjectum ſuum denominat, eique conjuncta eſt independenter ab omni operatione intellectus. Dico *non ſolere*, quia aliàs ſi in rigore logico procederetur, perinde computarentur inter entia rationis ac cæteræ, quia nulla eſt denominatio per ſe ſubſiſtens, nulla quæ alibi quàm in intellectu locum habeat. Nihilominùs quia cum multis loquendum eſt, ac ne quæſtiones iſtæ ſatis ſuperque intricatæ intricatiores evadant, ſatis erit ſi deinceps oſtendatur quare, & qualiter denominationes extrinſecæ computandæ ſint inter entia rationis. At id non præſtabitur, antequam monuerim quod de formis inhærentibus & adhærentibus præmiſſum eſt, id dictum interim utique à nobis fuiſſe in ſenſu ac verbo vulgi Ariſtotelici; namque de iſtis, tum inhæſionibus, tum adhæſionibus formarum omninò aliter ſentiemus, ac colloquemur in Phyſica. **VI. Denominationes intrinſecæ in rigore entia rationis.**

ASSERTIO UNICA.

Denominationes extrinſecæ computandæ ſunt inter entia rationis.

PROBATUR *Primò*. Illa omnia quæ non ſunt objectivè niſi in intellectu, computanda ſunt inter entia rationis: atqui denominationes extrinſecæ ſunt hujuſmodi: ergo &c. Major conſtat ex hactenus dictis circa communem notionem, quæ de ente rationis admittitur: Probatur minor, denominatio parietis viſi v.g. eſt denominatio extrinſeca, at hæc denominatio, & idem dic de aliis conſimilibus, nullum habet eſſe objectivum niſi in intellectu, ſi enim alicubi illud obtineret extra intellectum, obtineret utique illud in pariete denominato, in quo tamen illud non obtinet: ut facilè probatur, propterea quòd viſio **VII. Nihilominùs de ſolis extrinſecis id aſſeritur & probatur.**

Digitized by Google

ſit omnino aliena & extranea realitati parietis: id enim quod eſt parietem eſſe viſum, nihil ſuperaddit realitati illius: quare nec eapropter eſt compactior, nec altior, nec rectior, &c. ergo &c.

I V. Poſſunt mutari ſine mutatione ulla reali. Probatur *Secundò.* Illud omne cujus nulla eſt realitas, computari poteſt inter entia rationis: ſed nulla eſt realitas in denominationibus extrinſecis: ergo &c. Probatur minor. Nulla eſt realitas in eo, quod mutari poteſt abſque ulla mutatione reali aſſignabili: ſed denominationes extrinſecæ ſunt hujuſmodi: ergo &c. Major conſtat: quia entia realia quoties mutantur, realitatem aliquam vel acquirunt, vel amittunt, uti cum mutatur collis in montem ob ſaxa in unum congeſta; vel mons in collem ob tranſlationem ſaxorum, ex quibus mons ſuccreverat. Probatur minor. Columna, quam denomino dextram ex hoc tantùm, quòd mihi reſpicienti verſus aquilonem ſit ad dexteram, mihi in auſtrum verſo eſt ad ſiniſtram, & ſiniſtra denominatur: at iſta denominatio ſic commutata nullam in columna mutationem realem importat, ut patet: omnino enim eſt eadem, æque alta, æque gravis, &c. ſive ego ad aquilonem, ſive ad auſtrum me convertam: idemque dicendum de aliis quibuſcunque hujuſmodi denominationibus: ergo &c.

V. Non videtur ad quod genus entium rationis poſſint referri. Objicies *Primò.* Si denominatio extrinſeca eſt ens rationis, utique vel eſt ens rationis chimæricum, vel Logicum: atqui ad neutrum refertur: ergo &c. Probatur minor. Et *primò* quidem non eſt ens rationis chimæricum: namque ens iſtiuſmodi ſecum infert impoſſibilitatem, vel certe non exiſtentiam rei, quæ fingitur: at denominatio extrinſeca parietis v. g. viſi nihil impoſſibile, aut non exiſtens ſecum importat: nam nunquid verum eſt parietem eſſe viſum? Neque *Secundò* aſſumi poteſt pro ente rationis Logico: quia entia rationis Logica pendent ab arbitrio intellectus: at non ſic denominationes extrinſecæ; dato enim quòd paries videatur, non poteſt aliter denominari quàm viſus: ergo &c.

V I. Aſſignatur genus unum & alterum. *Reſp.* In denominatione extrinſeca eſſe aliquid entis chimærici, & aliquid entis logicalis: & *primò* quidem in eo eſt aliquid entis chimærici, in quantum forma denominans, quæ eſt pure extrinſeca, fingitur velut intrinſeca ſubjecto denominato: ſic quippe fingitur viſionem activam, quæ ſe tenet ex parte videntis, producere in pariete viſo viſionem paſſivam ad inſtar formæ, à qua paries viſus denominetur: quod certè falſum eſt, ac impoſſibile. *Secundò* eſt etiam in eo aliquid entis logicalis; quia ſicut confictio entis Logicalis habet fundamentum ſufficiens, ita neque deeſt fundamentum ſufficiens in denominatione extrinſeca; cùm hoc tamen diſcrimine, quòd illud

Digitized by Google

eſt intrinſecum, iſtud purè extrinſecum. Sic natura humana dicitur ſpecies propter intrinſecam prædicabilitatem de ſuis individuis; at paries denominatur viſus per relationem purè extrinſecam viſionis ad illum terminatæ. Unde ſatis patet ſolutio objectionis.

Objicies *Secundò*. Omnia entia rationis ſunt vel errores, vel ſaltem fictiones: ſed denominationes extrinſecæ neque ſunt errores, neque fictiones: ergo &c. Probatur minor: & *primò* quidem in denominatione extrinſeca nullus error committitur, quia cum paries v. g. denominatur viſus, ſupponitur parietem verè videri: quare ſi denominatio illa erronea eſſet, perinde dicendum eſſet nos inter colloquendum, ac ſcribendum continuò errare, cùm ſingulis rebus ſua aptamus nomina. Sed neque *Secundò* fictio ulla eſt in denominatione extrinſeca, quatenus viſio illa, quæ parietem denominat viſum, non eſt viſio ſimulata; ſed ſic ſe habet, ſicut cæteræ omnes reales operationes, in quibus nihil eſt fictum: imo viſio illa denominans non modò non eſt ficta; ſed eſt fingendi incapax: ergo &c. **VII. Opponũt nec fictionem nec errorem eſſe in illis.**

Reſp. In denominationibus extrinſecis comperiri ſemper fictionem, ac perſæpe errorem: & *primò* quidem nunquam in denominatione extrinſeca deeſt fictio; quia quiſquis hujuſmodi denominationes imponit, ſic utique imponit propter formam, quam conſiderat velut intrinſecam ſubjecto denominato, licet ſit omninò extrinſeca; aut potiùs conſiderat non formam ad inſtar formæ; at nunquid id eſt fingere? Quin etiam *Secundò* neque deeſt error in hujuſmodi denominationibus ſaltem occaſionatus; quatenùs plurimi, iique etiam illuſtriores Philoſophi, deſumunt ex illis occaſionem admittendi reſpectus reales inter formas denominantes & ſubjecta denominata: uti cùm dicunt inter viſionem, & parietem viſum dari relationem, quæ utrinque eſt realis: quod eſt eximiè erroneum, ut oſtendetur, cùm diſputabitur in Metaphyſica de prædicamento relationis. **VIII. At oſtenditur fictio & error, cui ſubjacet.**

Digitized by Google

DISPUTATIO TERTIA.

DE VNIVERSALIBVS.

DISPUTATIONEM hanc de univerſalibus perutilem ad multa, ſive quæ de rebus ſyllogiſticis in Logica, ſive quæ de prædicamentalibus in Metaphyſica tradi ſolent, intelligenda abſoluam ſex articulis, in quorum *primo* requiretur quid, & quotuplex ſit univerſale; in *ſecundo* an detur univerſale à parte rei; in *tertio* quomodo fiat univerſale; in *quarto* poſtmodùm agam de genere & ſpecie; in *quinto* de differentia & proprio; ac denique in *ſexto* edifferam de accidente, & individuo, cæteroquin ſic omittens omnes tricas illas, & apinas, quas in hanc Porphyrianam iſagogen inducunt multi, ut quidquid utile eſt non prætermittatur, vel ſaltem ſufficienter inſinuetur.

ARTICULUS I.

QVID ET QVOTVPLEX SIT Vniverſale.

I. *Variæ acceptiones univerſalis.* NOTANDUM *Primò* Univerſale multipliciter accipi pro variis modis, quibus aliquid licet in ſe unum poteſt ordinari ad multa: ita ſol dicitur univerſalis in efficiendo, ob ea multa, ad quorum generationem concurrit; & ſpeculum univerſale in repræſentando, ob ea plurima objecta, quæ repræſentat. Sic etiam nomen quod pluribus

aut ſpeciebus aut individuis adaptatur vocari ſolet univerſale in ſignificando, perinde ac intellectus vocatur univerſalis in intelligendo ob multiplicitatem objectorum illam, quam cognitione ſua conſequitur, &c. At iſtæ acceptiones ad præſens inſtitutum non attinent.

Notandum *Secundò* Univerſale in ſenſu Logico, ac ſtricto acceptum definiri ***unum aptum ineſſe, & prædicari de multis*** : ubi utramque conjungo aptitudinem ; quatenus poſterior neceſſariò conſequitur ad priorem, ſicut vulgò dicitur ***prædicari ſequitur eſſe*** ; & ratio eſt, quia ſicuti nihil niſi ſubjecto vel inexiſtat, vel quaſi inexiſtat prædicari de illo poteſt, ita quidquid aut inexiſtit, aut quaſi inexiſtit cuivis ſubjecto, aptum eſt prædicari de illo. Nihilominus quia ***ineſſe*** ad Metaphyſicam, ***prædicari*** verò ad Logicam ſpectat, inde eſt quod multi ſic diſtinguant univerſale metaphyſicum à logico, quaſi illud ſit ***unum aptum ineſſe multis***, iſtud autem ***unum aptum prædicari de multis*** : quæ diſtinctio non eſt contemnenda ; quamvis nullum aut modicum omninò locum habeat in difficultatibus, quæ circa naturam, & exiſtentiam univerſalis proponendæ occurrunt ; quia iiſdem rationibus ſtabilitur natura utriuſque, ac eum exiſtentia reprobatur pariter, vel probatur. His prænotatis jam quæritur quotuplex ſit univerſale ; quod idem eſt, ac ſi quæratur quot modis aliquid unum poſſit ineſſe & prædicari de multis.

II. In quo differat univerſale logicum à metaphyſico.

ASSERTIO UNICA.

Dantur quinque univerſalia ſcilicet genus, ſpecies, differentia, proprium & accidens.

PROBATUR *Primò*. Tot ſunt univerſalia, quot modis ſpecialibus poteſt aliquid unum ineſſe, ac proinde prædicari de multis : atqui ſunt quinque modi ſpeciales quibus id poteſt fieri : ergo &c. Probatur minor. Quidquid in alio eſt, aut in eo eſt per modum totius, aut per modum partis : ſi per modum totius : jam obtinemus ***ſpeciem***, quæ eſt quid unum prædicabile de multis, in quid totale, & completum, ſi verò per modum partis, aut utique per modum partis perfectibilis, & ecce ***genus*** ; quod eſt quid unum prædicabile de multis in quid incompletum perfectibile : aut per modum partis perficientis, & hæc eſt ***differentia***, quæ eſt prædicabilis de multis in quid incompletum perfectivum. Rurſus quidquid in alio eſt, vel in eo eſt per modum eſſentiæ ſcilicet totalis, aut par-

III. Argumentum conſuetum.

tialis ; quo pacto tria prædicta univerſalia conſtituuntur ; vel per modum accidentis , quo pacto conſtituentur duo alia univerſalia , ſcilicet ***proprium*** , quod eſt accidens inſeparabile , & prædicabile , ut aiunt, in quale neceſſariò de ſubjectis , à quibus inſeparabile eſt , & ***accidens*** ſimpliciter dictum prædicabile in quale contingenter de ſubjectis, à quibus ſeparabile eſt.

IV. Idem argumentum aliter proponitur.

Aliter , & breviùs proponi poteſt illud idem argumentum ſub hac formâ. Quidquid alicui convenit , ei convenit aut ut tota eſſentia , & ecce ***ſpeciem*** ; aut ut pars eſſentiæ perfectior : & ecce ***differentiam*** ; aut ut pars eſſentiæ imperfectior , & ecce ***genus*** , aut extra eſſentiam , ſed neceſſariò tamen conjunctum cum eſſentia , & ecce ***proprium*** ; vel ſine ulla neceſſitate conjunctum , & ecce ***accidens***. Quæ omnia ex dicendis in decurſu clariùs intelligentur : at interim non erit inutile ſi obiter advertatur , qualiter prædicta illa quinque univerſalia competiantur in homine, in quo rationale eſt ***differentia*** , quia eſt pars eſſentialis perfectiva , animal eſt ***genus*** , quatenus eſt pars eſſentialis perfectibilis , aggregatum autem ex genere & differentia eſt ***Species*** , quia conſtituit totam hominis eſſentiam. Tum riſibilitas eſt ***proprium***, quia neceſſariam habet connexionem cum prædicta eſſentia ; & tandem albedo v. g. aut doctrina , aut ſanitas , &c. eſt ***accidens*** , quia ſeparari ab eſſentia poteſt : aliundè autem ſingula enumerata habent prædicabilitatem convenientem pro univerſalitate conſtituenda , ut infra magis explicabitur.

V. Quot modis poſſit aliquid ſubjici & prædicari.

Probatur ***Secundò***. Tot admitti debent univerſalia , quot requiruntur , & ſufficiunt ad formandos conceptus idoneos prædicabilitatis , & ſubjicibilitatis naturarum , ſive rerum , de quibus propoſitiones inſtituuntur : atqui ad id requiruntur , & ſufficiunt quinque univerſalia : ergo &c. Major conſtat , quia ad hoc præſertim conducit tractatus iſte de univerſalibus , ut rectè concipiatur quid ſit ſuperioritas , & inferioritas , id eſt prædicabilitas , & ſubjicibilitas rerum , de quibus propoſitiones inſtituuntur : nam propoſitiones non fiunt niſi ex ſubjectis , & prædicatis , quorum hæc debent eſſe univerſaliora aliis ; unde fit ut hæc propoſitio ſit vera, ***omnis homo eſt animal*** : & è contra hæc falſa ***omne animal eſt homo*** : atque ita de aliis. Minor poſtmodùm probatur : quatenus cùm ex una parte omnis natura ſit vel generica , vel ſpecifica &c. reſpectu alterius , cui ſubjicitur , aut de qua prædicatur ; ac tum ex alia parte dignoſcatur ampliorem eſſe latitudinem generis v. g. quàm ſpeciei , hinc relinquitur manifeſtum qualiter naturæ , de quibus propoſitiones inſtituuntur, ſubjici debeant , aut prædicari ad hoc ut propoſitiones ſint veræ : ergo &c.

Objicies.

Digitized by Google

Objicies *Primò.* Tot ſunt univerſalia, quot ſunt genera prædicabilium: ſed ſunt plura quàm quinque genera prædicabilium: ergo &c. Major ſatis patet ex prædictis. Minor probatur. Omnes Philoſophi admittunt decem prædicamenta: atqui quot ſunt prædicamenta tot ſunt genera, ſcilicet diverſa prædicabilium; & ratio evidens eſt: quia quot ſunt prædicamenta, tot ſunt notabiles entium differentiæ, ad quas cæteræ omnes revocantur; ex his autem differentiis nulla eſt prædicabilis de alia, neque enim poteſt prædicari ſubſtantia de quantitate; nec quantitas de qualitate; nec qualitas de relatione; &c. atque ita conſtituunt diverſa genera prædicabilium. Igitur pro numero denario prædicamentorum convenienter admitteretur numerus denarius univerſalium; tantòque convenientiùs, quantò certius eſt tractatum iſtum de univerſalibus, quem Porphyrio referunt adinventum, non eſſe niſi apparatum quemdam, aut ut alii loquuntur, iſagogen ad obtinendam deinceps prædicamentalis diſtributionis notitiam.

VI. Opponitur decem prædicamenta eſſe decem univerſalia.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Tot ſunt univerſalia, quot ſunt genera prædicabilium tali prædicabilitate, quæ non ſit reducibilis ad aliquam ex illis, quæ prædictis quinque univerſalibus conveniunt, concedo majorem; ſi fuerit reducibilis, nego majorem; & diſtinctâ ſimiliter minori, nego conſequentiam. Ratio diſtinctionis eſt, quia ſubſtantiæ, quantitates, qualitates, & cæteræ omnes entis conſiderationes, quæ componunt prædicamentalem diſtributionem, non habent prædicabilitatem, quæ non ſit vel generis, vel ſpeciei, vel differentiæ, vel proprii, vel accidentis: atque ita numerus prædicamentorum nihil habet commune cum numero univerſalium: ſi quidem ille attenditur circa differentias entium, hic verò circa modos differentes, quibus illæ inter ſe poſſunt, ac de ſe invicem prædicari. Neque obſtat proinde notitiam univerſalium conferre ad alteram prædicamentorum: nam quid tum? aut certe multiplicandus eſſet numerus oculorum pro multiplicitate objectorum viſibilium.

VII. Oſtenditur prædicamenta nihil habere commune cum numero univerſalium

Objicies *Secundò.* Diviſio univerſalium in genus, differentiam, ſpeciem, proprium & accidens non eſt legitima: ergo gratis omninò admittuntur prædicta illa quinque univerſalia. Probatur antecedens; tum quia inter regulas legitimæ diviſionis ſtatuitur, ut membra dividentia non ſe includant; at evidens eſt genus & differentiam includi in ſpecie, quæ utique reſultat ex genere & differentia conjunctis; uti homo ex animali & rationali. Tum etiam, quia ſi genus & differentia conſtituunt totam ſpeciem, ſequitur proinde ſpeciem nihil utrique ſuperaddere, ſicut corpus humanum nihil ſuperaddit partibus, ex quibus coagmentatur;& ſic poſt enumerationem generis & differentiæ

VIII. Opponuntur ſimul variæ difficultates.

Digitized by Google

gratis omninò *ſpecies* additur. Tum denique, quia quidquid alteri convenit, utique vel convenit illi eſſentialiter, vel accidentaliter ſicque de illo vel eſſentialiter, vel accidentaliter prædicatur: igitur non erunt, niſi duo univerſalia; aut ſi plura deinceps admittuntur, ea non ad diviſionem; ſed ad ſubdiviſionem aliquam potiùs attinent: hîc autem agitur non de ſubdiviſione; ſed de diviſione primaria univerſalium; qualiter animal primariò dividitur in rationale & irrationale, licet deinceps irrationale multipliciter ſubdividatur in leonem, equum, canem, &c. ergo &c.

IX. *Et ad ſingulas reſpondetur.*

Reſp. Et nego antecedens, pro cujus triplici probatione ſolvenda dicam primò genus & differentiam includi quidem materialiter in ſpecie, ſed non formaliter, id eſt ſecundum modum formalem prædicationis utrique convenientem; neutri enim convenit prædicari, niſi in quid incompletum: at ſpecies prædicatur in quid completum. Subjiciam ſecundò genus & differentiam non debere attendi conjunctim, ſed ſeorſim; quatenus cùm de illis ſeorſim ſumptis multa prædicanda occurant aut iiſdem ſubjicienda, neceſſe fuit in enumerandis univerſalibus utriuſque univerſalitatem ſejungere, & recenſere. Tertiò denique addam revera quintuplicem illam univerſalitatem, quam admittimus, oriri non ex primaria; ſed ex ſecundaria diviſione: at id non obſtat veritati noſtræ aſſertionis, quæ non procedit de diviſione univerſalium rigoroſiſſime accepta; ſed taliter intellecta, ut inſinuet quintuplicem illum modum, quo naturæ univerſales poſſunt de ſe mutuò, aut de individuis prædicari. Sic in diſtributione prædicamentorum variæ differentiæ accidentis enumerantur uti quantitas, qualitas, &c. licet diviſione generali, ac primaria omne ens non niſi in ſubſtantiam, & accidens dividatur: & ſic ſoluta manet tota objectio.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

AN DETUR UNIVERSALE à parte rei.

NOTANDUM *Primò* præſentis difficultatis, quæ inſtar litis omnium periculoſiſſimæ hinc inde inter Logicos agitatur, ſcopum & nodum in hoc conſiſtere, ut ſciatur utrum aliqua natura poſſit independenter ab intellectu eſſe apta ineſſe & prædicari de multis; de iſta enim aptitudine tota, ut opinor, quæſtio eſt; minimè verò de actuali ſive prædicatione, ſive inexiſtentia. Ad actualem quippe prædicationem quod intereſt, nemo eſt mentis adeò parum ſanæ, qui non advertat illam ex toto pendere ab intellectu: tum quod attinet ad inexiſtentiam actualem, non video cui venire in mentem unquam potuerit adeſſe in uno v. g. individuo humano aliquid realiter & phyſice unum, quod in altero individuo pariter reperiatur; quid enim eſſet illud quod unum & commune reputatur? Non certe anima, nam cuilibet ſua ac diſtinctiſſima competit, & capax diverſiſſimæ ſortis: ſed neque corpus; utrumque enim voluptate privata fruitur; & privato dolore cruciatur; & anticipate vivit aut moritur &c. quod evidenter probat nihil corporeum in prædictis individuis eſſe unum, & commune. I. Statuitur caput difficultatis.

Notandum *Secundò* duplicem concipiendam eſſe aptitudinem exiſtendi in multis, ſcilicet fundamentalem ſive remotam, & formalem ſive proximam. Illa, ut deinceps magis explicabitur, nihil aliud eſt, quàm ſimilitudo quæ inter individua ejuſdem ſpeciei, aut inter ſpecies ejuſdem generis, &c. reperitur; ſed quæ nihilominus ſimilitudo conjungitur cum differentiis realibus, per quas individua ejuſdem ſpeciei, & ſpecies ejuſdem generis, &c. ab invicem diſtinguntur. Hæc autem, ſcilicet formalis & proxima importat prædictam ſimilitudinem, ſed ſeorſim ſumptam ab omni diffi- II. Duplex aptitudo exiſtendi in multis.

Digitized by Google

militudine ſive ab omnibus illis differentiis, per quas naturæ individuales, & ſpecificæ licet aliàs ſimiles, ut dictum eſt, diſcernuntur: & ratio eſt, quia cùm omnes illæ differentiæ ſint imparticipabiles, reddunt proinde naturam, cui cohærent, pariter imparticipabilem, ac proinde nulla natura poteſt obtinere exiſtentiam communem in multis v. g. individuis, donec ſit ſpoliata differentiis, quæ illam contrahunt, & determinant ad exiſtendum in uno, nuſquam in alio. Deinde cum ea quæ jam dicta ſunt de aptitudine inexiſtendi, facilè intelligantur de aptitudine prædicandi, tantùm addo quæſtionem inſtitutam verſari circa univerſalitatem formalem, per quam ſcilicet natura aliqua ſit formaliter, & proxime apta eſſe una in multis, & prædicari de illis; & hæc natura ſic apta illa eſt, de qua inquiritur, an talem ſtatum obtineat, aut obtinere poſſit independenter ab intellectu.

ASSERTIO UNICA.

Repugnat omninò dari univerſale formaliter à parte rei, id eſt independenter ab intellectu.

III. **Nulla natura poteſt exiſtere in multis.**

PROBATUR. *Primò.* Natura, quæ independenter ab intellectu non poteſt eſſe formaliter & proximè apta inexiſtere multis, & prædicari de illis, non poteſt independenter ab eodem intellectu eſſe formaliter univerſalis: Atqui nulla natura poteſt prædictam illam aptitudinem obtinere independenter ab intellectu: ergo &c. Major ſatis patet ex prænotatis; minor verò ſic probatur. Nulla natura poteſt aptitudinem illam obtinere, niſi ſit libera & privata differentiis, quæ in ſuis ſubjectis illam contrahunt, limitant, determinant, & tandem efficiunt particularem: atqui ſolus intellectus poteſt illam liberare, & privare prædictis differentiis: ergo &c. Major rurſus ſatis conſtat; quia omnes ac ſingulæ differentiæ, quæ naturam afficiunt in ſuis ſubjectis, ſunt totidem illius coarctationes, ac proinde totidem impedimenta ejus aptitudinis illimitatæ, quæ ad univerſalitatem requiritur. Minor quoque non minùs conſtat; neque enim abſque fictione plus quàm chimærica ullus concipiet poſſe naturam v. g. humanam, quæ eſt in Petro, ſpoliare ſe differentiis, per quas efficitur ſingularis, & ſingulariter addicta Petro, tamque incommunicabilis Paulo, quàm impoſſibile ſit coarctari utrumque ad ſortem unius, & ejuſdem individui: ergo &c.

Digitized by Google

Probatur *Secundò*. Natura, de qua inquiritur an ſit formaliter univerſalis à parte rei, vel eſt concluſa in aliquo ſubjecto; vel eſt extra omne ſubjectum: ſed in quocunque ſtatu admittatur, repugnat illam eſſe formaliter univerſalem à parte rei; ergo &c. Maior eſt neceſſariò concedenda; Minor autem probatur. Et *Primò* quidem ſi natura, de qua proponitur quæſtio, ſupponatur extra omne ſubjectum, hoc ipſo aſſumitur pro chimæra, aut una ex ideis Platonicis, & de qua proinde non minùs gratis aſſeritur capacitas inexiſtendi multis ſubjectis, ſeu ſpeciebus, ſeu individuis &c. quàm ſi quis aſſereret poſſe vinum, quod ex vineis in concavo Lunæ occultis prodierit, in noſtris hiſce doliis aſſeruari. *Secundò* ſi natura, quæ venit in quæſtionem, ſupponitur concluſa in aliquo ſubjecto, ut v. g. ſi quæſtio ſit de natura humana, quæ intra aliquod individuum continetur, probo ſic evidenter illam non poſſe fieri formaliter univerſalem à parte rei. Ad hoc ut natura illa ſit formaliter univerſalis, id eſt apta eſſe una in multis, neceſſe eſt quòd ſit transferibilis ad plura individua; atqui implicat illam eſſe ſic transferibilem à parte rei, vel enim ſuam illam transferibilitatem haberet per modum agentis liberi: quod nemo hactenus finxit, vel per modum agentis neceſſarii, & ſic neceſſariò ſe ipſam transferret ad illa plura individua, quòd non minùs gratuitò fingeretur; optatemque ego plurimum, ut quis mihi referret modos, conditiones, & viciſſitudines hujuſmodi translationis: ergo &c. Itaque quidquid ad naturarum univerſalitatem attinet, id totum pendet ab operatione quadam logica aut metaphyſica intellectus, uti fuſiùs in articulo ſubſequente explicabitur. IV. Sive ſupponatur intra, ſive extra omne ſubjectum.

Objicies *Primò*. Natura quæ à parte rei eſt apta eſſe una in multis, eſt univerſalis à parte rei; ſed natura v. g. humana eſt à parte rei apta eſſe una in multis: ergo &c. Probatur minor, & primò quidem natura humana à parte rei eſt una, neque enim eſt duplex, aut triplex, aut quadruplex, &c. neque diverſitatem ullam obtinet, propter quam aliquis ſit magis, minùſve homo quàm alter. Secundò etiam eſt apta eſſe in multis; ſi quid enim obſtaret, id maximè quòd vel non eſſet communicabilis, & nihilominùs communicatur ut patet; vel non eſſet communicabilis eadem: & nihilominùs iterum conſtat eam non eſſe aliter communicabilem quàm eandem: quia, ut probatum fuit, cum non ſit niſi una; ſi communicatur, neceſſariò communicatur una, & eadem. Inde fit ut una eademque naturæ humanæ definitio peræque omnibus individuis conveniat; quod utique non contingeret, niſi in illis eſſet unum, & commune definitum. Ergo &c. V. Opponitur naturam non eſſe multiplicem, ideoque eſſe unã.

Digitized by Google

VI. Diſtinguitur unitas naturæ.

Reſp. Et conceſsâ majori nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda dico Primò naturam humanam non eſſe unam niſi unitate ſimilitudinis, in quantum ſcilicet omnes, & ſinguli homines naturam obtinent comparatam ad loquendum, amandum, ratiocinandum, ſtudendum, deambulandum &c. ſimiliter; ſed ultra omnem menſuram fictionis eſt, ſi cogitetur naturam in omnibus eſſe unam unitate identitatis; neque enim quid minùs ad hanc identitatem requireretur, quàm ut unica omnium eſſet anima, unica indoles, unica compago corporis, unica diuturnitas vitæ, &c. Secundò. Neque proinde ulla natura habet aptitudinem inexiſtendi pluribus ſubjectis, niſi per communicationem ſimilitudinariam; nequaquam verò per communicationem identicam: & illa quidem ſimilitudinaria communicatio ſufficit ad hoc, ut eadem definitio conveniat omnibus ſubjectis, in quibus illa naturæ aſſimilatio reperitur. Vel ſi ultra hanc ſimilitudinem major quædam unitas reperitur, per quam natura ab omnibus differentiis ſubjectivis præſcindatur, id totum operationi intellectivæ adſcribendum eſt: unde advertis hoc argumento non probari univerſale formale à parte rei, ſed tantùm fundamentale, de quo nihil ambigitur.

VII. Opponitur individua inter ſe cóvenire.

Objicies *Secundò*. Individua naturæ v.g. humanæ in aliquo conveniunt à parte rei, ſed in nullo convenirent à parte rei, niſi illa eſſet etiam à parte rei formaliter univerſalis: ergo &c. Major conſtat, quia nullo etiam cogitante intellectu multò magis inter ſe conveniunt individua naturæ humanæ ad invicem comparata, quàm ſi conferantur cum leoninis: at iſta major convenientia nonne aliquam præſupponit? Minor ſic probatur. Si natura humana non eſt univerſalis à parte rei, quidquid à parte rei eſt in Petro, id totum abeſt à Paulo: Sed ſi ita eſt, Petrus & Paulus in nullo conveniunt à parte rei, propterea quòd alter cum altero nihil communius obtineat quàm cum leone, aut bucephalo; ergo &c.

VIII. Talis convenientia diſtinguitur.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Individua naturæ humanæ conveniunt à parte rei in aliquo ſimili, concedo majorem; in aliquo uno, nego majorem, & diſtincta ſimiliter minori nego conſequentiam. Ratio diſtinctionis jam ſatis patet ex prædictis: nam non alia eſt talium individuorum convenientia, quàm quæ ex ſimilitudine petitur: At quia ſimilitudo ſuſcipit magis, & minus: hinc fit ut unius ejuſdemque ſpeciei individua magis conveniant inter ſe, quàm ſi cum individuis ſpeciei alterius conferuntur: licet quantumvis conveniant, nuſquam tamen hæc convenientia pertingat ad unitatem, ſcilicet identitatis, formalem ullam à parte rei, qualis ad propoſitam univerſalita-

Digitized by Google

tem rquiritur. Vno verbo quiſquis quæſtionem iſtam de univerſalitate formali naturarum à parte rei attente circumſpicit, illicò mirabitur potuiſſe Logicos in ea controvertenda tam ſeriò occupari; cum quidquid de illa utrinque propugnatur, redoleat meram artem & fabricam intellectus, ſicut poſtmodùm exponetur.

ARTICULUS III.

QVOMODO FIAT VNIverſale?

I. Actus præſcindendi & comparandi quid ſint.

NOTANDUM eſt duplicem diſtingui ſolere à Logicis actum intellectus fabricantis univerſalitatem formalem, de qua agitur; ſcilicet actum præciſivum, & actum comparativum, quem alii reflexum vocant. Actus præciſivus ille eſt, quo intellectus per ſuam conſiderationem ſeparat à ſubjectis alicujus naturæ differentias omnes, per quas illa ab invicem diſcernuntur: quia verò neceſſe eſt, ut conveniant inter ſe quæcumque in nullo differunt: hinc fit, ut natura ab omnibus ſubjectorum quibus inexiſtit, differentiis jam libera, aut, ut loquar aliter, viduata pro una & communi reputetur. Actus deinde comparativus ille dicitur, quo natura à ſuis omnibus differentiis ſubjectivis jam præabſtracta, deinceps iiſdem ſubjectis redditur, ac veluti communicatur, vel ſaltem conſideratur ut apta inexiſtere illis: quia verò quidquid eſt unum & aptum inexiſtere multis, eſt hoc ipſo univerſale, hinc intelligis prædictos duos actus præſcindendi, & comparandi concurrere ad fabricam univerſalitatis formalis. Sed quæſtio eſt uter è duobus attingat illam propiùs & efficiat: atque huic quæſtioni ſatisfiet in aſſertione ſequente,

ASSERTIO UNICA.

Natura ſit formaliter univerſalis per actum intellectus comparativum.

II. Actus comparandi efformat univerſale. PROBATUR *Primò*. Natura ſit formaliter univerſalis per illum actum, per quem attenditur quatenus una apta ineſſe multis: atqui talis attenditur per actum intellectus comparativum; ergo &c. Major conſtat ex prædictis; nam univerſalitas formalis nec unitatem, nec aptitudinem inexiſtendi multis quaſi ſeparatim importat, ſed conjunctim: ita ut natura ſit ſimul una, & ſimul apta ineſſe multis; & ut talis neceſſariò attendenda eſt ad hoc, ut formalem univerſalitatem obtineat. Minor verò ſic probatur. Actus comparativus eſt ille, per quem natura à ſuis differentiis omnibus ſubjectivis præabſtracta, attenditur quatenus non jam diverſa, ſed una, quæ antecedenter ad abſtractionem erat participata à multis: atqui ſic in tali ſtatu non aliter attenditur, quàm prout una apta ineſſe multis: nam evidens eſt naturam, quæ fuit participata à pluribus ſubjectis, in quibus erat diviſa propter differentias individuales, ſi deinceps ab iſtis differentiis abſtrahatur, fieri hoc ipſo unam, & participabilem ab iiſdem ſubjectis, à quibus præabſtracta eſt: ergo &c. Sic, ut me magis explicem, natura humana in multis individuis multiplex eſt propter differentias individuales, ratione quarum Petrus differt à Paulo, &c. Tum verò poteſt intellectus conſiderare naturam illam non conſideratis differentiis, per quas individuatur; ſic autem conſiderata, non eſt jam multiplex, ſed una. Rurſus poteſt natura illa conſiderari relative ad individua, quæ propter differentias præabſtractas, illam ſub una & communi ratione poſſunt proinde participare, atque ita per hujuſmodi comparationem natura concipitur, quatenus una apta ineſſe multis: quid verò aliud id totum eſt, quàm illam fieri formaliter univerſalem?

III. Actus præſcindendi non eſt ad hoc ſufficiens. Probatur *Secundò*. Si per aliquem alium actum natura fieret formaliter univerſalis, id maximè per præciſivum: ſed per actum præciſivum non poteſt fieri formaliter univerſalis: ergo ſupereſt, ut talis evadat per actum comparativum, qualem jam explicui. Major concedi ſolet, minor probatur. Natura non poteſt fieri univerſalis per actum, per quem non ordinatur ad multa ſubjecta, tanquam ab illis participabilis: ſed per actum præciſivum non ordinatur taliter:

liter : ergo &c. Major conſtat , quia ſcilicet ex prædictis id pro principio logico inconcuſſo tenendum eſt , univerſalitatem formalem hæc duo ſimul importare nempe quid unum , & ordinem unius ad multa. Minor autem facilè probatur : quia tantùm abeſt , ut per actum præciſivum natura ad pluralitatem ſubjectorum ordinetur , ut per eum potiùs ab illâ ſeparetur ; nam præſcindere ſeparare eſt ; ſic namque per actum præciſivum id tantùm conſideratur , in quo ſubjecta diſconveniunt ; ſed non in quo conveniunt ; quod utique fit per comparationem adhibitam. Ergo ſupereſt ut iſti comparationi tribuatur univerſalitas formalis , de quâ agitur.

Objicies *Primò*. Natura fit formaliter univerſalis per illum actum, per quem deſinit eſſe ſingularis: ſed deſinit eſſe ſingularis per actum præciſivum: ergo &c. Major eſt manifeſta, quatenus ſola ſingularitas univerſalitati opponitur. Minor autem ſic probatur. Natura deſinit eſſe ſingularis per illum actum, per quem ſeparatur à ſuis differentiis, à quibus utique ſolis ſuam obtinet ſingularitatem : ſed ab iſtis differentiis ſeparatur per actum præciſivum , ut conſtat ex prænotata definitione actus præciſivi : ergo &c. Unde conſequitur naturam uno eodémque actu & ſuam ſingularitatem amittere , & acquirere ſuam univerſalitatem ; vel ex hoc maxime ; quia inter ſtatum ſingularitatis , & ſtatum univerſalitatis nullus medius reperitur. **IV. Natura præciſa , inquiunt, non eſt ſingularis.**

Reſp. Diſtinguendo majorem. Natura fit formaliter univerſalis , ſcilicet fit complete , aut incomplete per illum actum &c. concedo majorem , complete , nego majorem ; ac tum conceſſa minori diſtinguo ſimiliter conſequentiam. Ratio diſtinctionis eſt ; quia ad completam univerſalitatem non tantùm requiritur , ut natura à ſuis ſubjectivis differentiis ſit abſtracta ; ſed inſuper ut ad ſua ſubjecta ordinetur in ratione participabilis : at evidens eſt actum præciſivum non importare ordinem ad ſubjecta , ſed à ſubjectis. Quapropter iſte actus diſpoſitive tantùm concurrit ad naturam formaliter univerſalizandam , in quantum non poteſt eſſe participabilis à multis ſub una quadam & communi ratione , niſi priùs ſeparata fuerit à rationibus differentialibus , per quas in ſuis ſubjectis diverſificatur ſeu multiplicatur. Quod autem dicunt inter ſtatum ſingularitatis , & univerſalitatis nullum occurrere medium , id falſum eſt , ſi de univerſalitate completa agitur ; nam inter ſtatum ſingularitatis hinc , & illinc univerſalitatis completæ medius occurrit ſtatus univerſalitatis incompletæ ; qualis ille eſt , qui competit naturæ à differentiis ſuis tantummodò præciſæ. **V. Sed non ideo eſt univerſalis, ſcilicet completè.**

Objicies *Secundò*. Natura , cujus univerſalitas præcedit omnem ac- **VI. Univerſ-**

Digitized by Google

ſalitas, inquiunt præcedit comparationem.

tum comparativum, non obtinet illam ab actu quocunque comparativo: ſed univerſalitas naturæ præcedit omnem actum comparativum: ergo &c. Major patet ex terminis; minor ſic probatur. Univerſalitas alicujus naturæ conſiſtit in comparabilitate, ſeu referibilitate illius ad ſua ſubjecta: at talis comparabilitas, ut rurſus patet ex terminis, ſupponit omnem actum comparativum: neque enim comparatio reddit rem comparabilem, ſed ſupponit, ut amor rem amabilem, viſio rem viſibilem, &c. Ergo &c. Quia verò hoc ipſo, quod aliqua natura à ſuis omnibus differentiis ſubjectivis eſt præciſa, hoc ipſo, inquam, eſt referibilis ad ea ſubjecta, quorum differentiæ præciſæ fuerint, propter communitatem, quæ ipſi ex tali præciſione advenit; hinc ſequitur naturam fieri formaliter univerſalem per actum præciſivum.

VII. Diſtinguitur univerſalitas proxima à remota.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Natura cujus univerſalitas proxima & ſtabilita præcedit &c. concedo majorem; remota & ſtatuenda, nego majorem; & diſtinctâ ſimiliter minori, nego conſequentiam. Dico itaque naturam etiam antequam præſcindatur, eſſe comparabilem remotè; ſed non proximè; ad hoc enim ut ſit proximè comparabilis, debet per conſiderationes prævias reponi in certo aliquo ſtatu, in quo advertatur meritò comparanda: at in ſtatu illo non reponitur, niſi in quantùm attenditur convenientia, & participabilitas illius reſpectu individuorum, quæ ad invicem comparantur: hujuſmodi autem attentio, comparatio quædam eſt, ut patet. Deinde in his, quæ omninò pendent ab intellectu, non ſola eorum actualitas tribuenda eſt intellectui, ſed ipſa etiam illorum poſſibilitas: talia autem ſunt entia rationis; quare nihil obſtat, quin aſſeratur naturæ cujuſvis univerſalis ſive genericæ, ſive ſpecificæ &c. comparabilitatem non minùs, quàm comparationem actualem pendere ab intellectu. Deinde etiam, quod maximè advertendum eſt, duplex poteſt concipi comparatio: una, quæ efficit univerſalitatem; altera quæ ſupponit: nam poſtquam natura per comparationem idoneam acquiſivit ſtatum univerſalitatis, haud dubie poteſt rurſus comparari quantùm quis voluerit: at non hæc poſterior comparatio, ſed prior illa talis eſt, cui tribuitur tanquam cauſæ efficienti univerſalitas, de quâ agitur.

VIII. Qualiter deperdatur univerſalitas.

Ex dictis jam facilè conſtabit qualiter poſſit intellectus naturæ alicui adimere univerſalitatem, quam ante illi contulerit; ſcilicet per actum oppoſitum ei, cui efficientia prædictæ univerſalitatis tribuitur. Ita ut ſicut natura ſpecifica fit univerſalis per conſiderationem convenientiæ communis, quam habet cum ſuis omnibus individuis; ita reddatur particularis per conſiderationem convenientiæ particularis,

quam obtinet cum determinato aliquo individuo ; ſic enim conſiderata hoc ipſo inveſtitur , & rurſus limitatur differentiis individualibus , quibus per conceptum univerſalem fuerat ſpoliata. Eapropter quia per prædicationes actuales ***Petrus eſt homo*** , ***Paulus eſt homo*** ; &c. natura humana iterum revocatur ad ſuas differentias individuales, non alia ratione opus eſt , quâ probetur illam , & ſic de aliis , non retinere ſuam univerſalitatem in actuali prædicatione. Præſertim verò , quia quando dicitur ***Petrus eſt homo , ly homo*** non ſupponit pro omni homine , aliàs propoſitio eſſet falſa ; ſed tantùm pro aliquo homine : ergo natura per illum aliquem hominem deſignata non eſt ultra univerſalis. Neque obſtat quod circa hanc difficultatem ſatis agitatam à quibuſdam objicitur naturam humanam ex hoc , quòd eſt univerſalis, eſſe prædicabilem de ſuis omnibus individuis ; ergo licet prædicetur de uno , id non obſtat quominùs ſit prædicabilis perinde de aliis : hæc autem prædicabilitas probat univerſalitatem non amiſſam. Non , inquam , id obſtat , quia ſufficit prædicatio de uno ad prædicabilitatem omnem de multis deſtruendam : & ratio evidens eſt , quia cum dicitur ***Petrus eſt homo*** , ille aliquis homo , qui de Petro prædicatur , non eſt prædicabilis de Paulo ; ſed homo alius , & de Jacobo alius : ubi autem eſt homo alius & alius , jam non adeſt homo unus , ſeu univerſalis. Verum quidem eſt itaque naturam ſpecificam univerſalem eſſe indifferenter prædicabilem de quibuſcunque individuis ; ſed ſtatim atque vel de uno prædicatur , non eſſe ultra univerſalem , ad eundem modum quo ſpeculum , quod ſupponitur univerſale in repræſentando propter indifferentiam repræſentandi quidquid ipſi objicitur , ſuam illam univerſalitatem amittit per repræſentationem vel unius objecti ; hoc ipſo enim determinatur ad particularem repræſentationem ; ſicque evadit ſpeculum particulare.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

DE GENERE ET SPECIE.

I. Definitio generis, ejuſque multiplicis.

NOTANDUM *Primò*. Genus, quod eſt primum univerſale, ſic communiter definiri. Genus eſt id, quod eſt aptum ineſſe ac prædicari de multis ſpecie differentibus in quid incompletum perfectibile; cujus definitionis ſenſus eò tendit, ut intelligas naturam illam vocari genericam, quæ reperitur in multis ſpeciebus; obtinetque in illis locum partis equidem eſſentialis, ſed ignobilioris. Tum verò quia Logici ſic loquuntur, ut apud eos idem ſit prædicari ad modum partis eſſentialis, ac prædicari in quid incompletum; & aliunde quia pars ignobilior concipitur tanquam exigens perfici, ideo præmiſſa definitio traditur in hunc modum Genus eſt id &c. Hoc pacto quia animal reperitur in multis ſpeciebus diverſis, ut in humana, leonina, caprina, &c. obtinetque in illis locum partis perfectibilis, ideo natura animalis vocatur generica. Unde jam ſatis intelligetur qualiter ſit major latitudo generis, quàm ſpeciei; quia genus in multis ſpeciebus reperitur; licet in alio ſenſu genus latitudine minori potiatur, in quantum non eſt niſi pars altera, eaque ignobilior ſpeciei. Neque difficilè concipies qualiter genus dividi debeat in ſupremum, ſubalternum & infimum; quatenus quæcunque aſſignabilia genera ſunt ſic inter ſe ſubordinata, ut neceſſe ſit unum prædicari de cæteris omnibus, aliud cæteris omnibus ſubjici: ac tandem adeſſe alia, quæ hinc ſubjiciantur, hinc prædicentur: quo pacto genera quæ ſubjiciuntur ſuperioribus, reſpectu illorum vocantur ſpecies; ſic ſubſtantia corporea & incorporea ſunt ſpecies reſpectu entis in communi; jam enim dictum eſt genus non eſſe niſi id, quod in multis diverſis ſpecie reperitur.

II. Definitio ſpe-

Notandum *Secundò* Speciem, quæ à Logicis pro ſecundo univerſali aſſignatur, definiri ſolere in hunc modum. Species eſt id, quòd eſt aptum ineſſe ac prædicari de multis in quid completum,

Digitized by Google

id eſt, ad inſtar cujuſdam totius complentis ea multa, quibus in- exiſtere apta eſt, ac de quibus proinde apta eſt prædicari. Sic homo reſpectu Petri & Pauli vocatur ſpecies, quatenus eſt totum complementum utriuſque, & ſic de aliis: homo enim ex ſuo conceptu importat aggregatum ex genere & differentia, id eſt ex animali, & rationali, nihilque præter hoc unum & alterum in humanis individuis reperitur. De cætero præmiſſa definitio intelligi debet de ſpecie infima, quæ ſcilicet nihil ſub ſe habet niſi individua; nam ſive ſpecies ſupremæ, quæ immediate ſupremo generi ſubjiciuntur, ſive ſubalternæ, quæ ſubjiciuntur generibus ſubalternis, potiùs pro generibus reputari debent, quàm pro ſpeciebus; quia nimirum ſub ſe alias habent ſpecies: at ſpecies infima poteſt de ſolis individuis prædicari. Tum quia hæc ſpecies duplicem obtinet reſpectum, unum ſubjicibilitatis propter genus, cui ſubjicitur, alterum prædicabilitatis propter individua, de quibus prædicatur, hinc orta eſt inter Logicos quæſtio, an ſpecies quatenus ſubjicibilis ſit univerſalis: & rurſus altera, an hæc eadem ſpecies foret univerſalis, ſi eſſet tantùm prædicabilis de uno individuo: quod aliter inquiritur in hunc modum, an ſpecies poſſit conſervari in unico individuo. Itaque utrique difficultati ſatisfiet in aſſertione ſequente.

ciei, ejuſque multiplicitas.

ASSERTIO UNICA.

Species quâ ſubjicibilis non eſt univerſalis; nec poteſt in unico individuo conſervari.

PROBATUR *prima* pars. Illud non eſt univerſale, quod non eſt unum aptum prædicari de multis: ſed ſpecies quâ ſubjicibilis non eſt una apta prædicari de multis: ergo &c. Major conſtat ex definitione univerſalis ſuperiùs explicata: minor ſic probatur. Species quâ ſubjicibilis non refertur niſi ad genus, quod unum eſt, ut patet ex terminis: atqui juxta talem relationem non eſt apta prædicari de multis, neque enim eſt apta prædicari de genere, cùm ſit inferior illo; neque ſi de illo eſſet apta prædicari, poſſet propterea prædicari de multis, cùm illud ſit unum, ut rurſus ſatis patet: ergo &c.

III. Subjici & prædicari de multis contraria ſunt.

Adde quod univerſalitas conſiſtit in reſpectu aliquo ſuperioritatis; & ratio eſt, quia conſiſtit in unitate communi prædicabili; omne autem quod eſt prædicabile, eſt ſuperius iis ſubjectis, de quibus præ-

IV. Univerſalitas importat

Digitized by Google

ſuperioritatem. dicabile eſt, unde fit ut prædicabilitas non ſit reciproca; ſic enim recte dicitur *Omnis homo eſt animal*; ſed non viciſſim *Omne animal eſt homo.* At ſpecies quà ſubjicibilis nullam obtinet ſuperioritatem; quin è contra nullum, niſi ſubjectionis conceptum involuit; ut evidens eſt: ergo &c.

V. Non eſt prædicabile de multis niſi id quod ineſt multis.

Probatur *Secunda* pars. Species, quæ eſſet tantùm prædicabilis de unico individuo, non eſſet univerſalis: ſed ſpecies quæ eſſet in unico individuo, eſſet tantùm prædicabilis de illo: ergo non eſſet univerſalis; & ſic ſpecies, qualis ſcilicet pro ſecundo univerſali aſſumitur, non poteſt conſervari in unico individuo. Major conſtat, quia univerſalitas non eſt, niſi unitas quædam prædicabilis de multis, ut generaliter ſtatutum fuit: & ſic univerſalitas ſpeciei nulla eſt, ubi adeſt ſola prædicabilitas de unico individuo. Minor ſic probatur. Ad veritatem alicujus prædicationis neceſſe eſt ut inexiſtat ſubjecto, aut certe quaſi inexiſtat quidquid de illo prædicatur; & ratio eſt, quia quidquid de alio prædicatur, de illo utique prædicatur ad inſtar formæ afficientis, aut quaſi afficientis, uti cum dico *Paries eſt albus, Antichriſtus eſt futurus*, albedo afficit parietem, & futuritio quaſi afficit Antichriſtum: ergo ſpecies, quæ eſſet in unico individuo, eſſet tantùm prædicabilis de illo; quod idem eſt ac ſi dicatur illam non fore univerſaliter prædicabilem.

VI. Natura individuata & univerſalis inter ſe pugnant.

Adde quod ut ſpecies ſit univerſalis, debet fieri univerſalis: ſed ſi eſſet in unico individuo, non poſſet fieri univerſalis: ergo non eſſet univerſalis in unico individuo. Major eſt certa, quia ex ante dictis nulla datur univerſalitas formalis à parte rei; ſed ſi quæ eſt, pendet illa omnino initialiter quidem ab actu præciſivo, completive autem ab actu altero comparativo intellectus noſtri, ſicuti ſupra explicuimus. Minor jam probatur ex modo, quo univerſalizatio naturarum ſolet fieri attendendo ad ſimilitudinem & convenientiam ſubjectorum, à quibus ratio quædam communis abſtrahitur; ac tum abſtracta rurſus conſideratur tanquam apta inexiſtere illis, & prædicari de illis ad invicem utique ſub prædicta communi ratione comparatis: at quomodo poſſet totum hoc negotium peragi ſi natura univerſalizanda in uno tantùm individuo ſubjectaretur? ergo &c.

VII. Univerſalitas ſpeciei importat ſubjectionem ad genus.

Objicies contra *primam* partem. Species niſi ſubjiceretur generi, non eſſet univerſalis: ergo eſt univerſalis etiam quà ſubjicitur generi. Antecedens conſtat, quia niſi ſubjiceretur generi, non haberet ſub ſe pluralitatem individuorum, quæ ſpeciei utique non ſubjiciuntur, niſi quia ſubjiciuntur generi ut pote univerſaliori, ac veluti radici totius latitudinis, quæ eſt in ſpecie. Conſequentia ſic probatur. Id quod

confert univerſalitatem, non obſtat univerſalitati: ergo rectè conſequitur ſpeciem eſſe univerſalem etiam quà ſubjicitur generi, ſi verum eſt eam non fore univerſalem ſecluſo reſpectu, quo ſubjicitur generi.

Præterea non minùs eſſentiale eſt ſpeciei, ut ſupra ſe habeat genus, quàm ut ſub ſe obtineat individua; utrumque enim pariter neceſſarium eſt ad completam illius latitudinem, id eſt, univerſalitatem, per quam generi ſubordinatur, & præeſt individuis. Ergo univerſalitati ejuſdem nihil obſtat reſpectus ille, per quem ſubjicitur generi; imo verò favet, quia ex illo reſpectu ſubſequitur neceſſariò alius, per quem, ut omnes annuunt, univerſalis efficitur. VIII. Et importat illam eſſentialiter.

Reſp. Et permiſſo antecedente nego conſequentiam primi hujus enthymematis, & rurſus alteram ſecundi: neque deeſt ratio evidens negandi utramque ſtabilita hoc familiari exemplo. Niſi prorex ſubderetur ipſe Regi, nullos haberet ſubditos in Provincia, quam adminiſtrat, & nihilominus certum eſt dignitatem illius proregiam non deſumendam eſſe ex eo reſpectu, quo Regi ſubditur, alioquin omnes ſubditi Regis eſſent Proreges; ſed ex reſpectu altero, quo præeſt Provinciæ ſibi commiſſæ. Ita quoque ſimiliter ſpecies niſi ſubderetur generi, non præeſſet individuis, eſto: at nihilominus reſpectus ille quo ſubeſt, omnino differt ab iſto altero, per quem præeſt: unde quia reſpectus ſuperioritatis ad univerſalitatem efformandam requiritur, hinc ſatis patet ſpeciem præciſe ut ſubjicibilem non eſſe univerſalem. IX. Non agitur de ſubjectione ipſa, ſed de reſpectu ſubjectionis.

Hinc quoque ſatis patet ſolutio inſtantiæ quæ adjicitur: nam licet ſpecies æquè eſſentialiter ſubſit generi, ac præeſt individuis; nihilominus non ſubeſt illi quatenus univerſalis, ſed potiùs quatenus particularis, ſive quatenus una ex pluribus illis, de quibus genus aptum eſt prædicari. Uno verbo quæcunque adduci ſolent, aut poſſunt argumenta adversùs aſſertionem noſtram, probant quidem ſpeciem ſubjicibilem eſſe univerſalem; ſed non probant, quod probandum incumbit, illam eſſe univerſalem præciſe ſive reduplicative quatenus ſubjicibilem. X. Et idem advertitur pro ſolvenda inſtantia.

Objicies contra *ſecundam* partem. Si quid obſtat quominus ſpecies conſervari poſſit in unico individuo, id maximè quod ſic coarctata non poſſet prædicari de multis: atqui nihilominus poſſet prædicari de multis: ergo &c. Probatur minor. Homines v. g. futuri tam verè ſunt homines, quàm qui exiſtunt; ſic enim hæc propoſitio vera eſt *Petrus, qui naſcetur, eſt homo*, & ſic de aliis: ergo licet ſpecies humana coarctaretur in unico individuo, nihilominus poſſet præ- XI. Species poteſt prædicari de individuis non exiſtentibus.

Digitized by Google

XII. Individua non exiſtentia poſſunt cogitari & comparari.

dicari de aliis, quamvis ſcilicet non exiſtentibus : & hæc haud dubie prædicabilitas ad illius univerſalitatem ſufficeret.

Præterea ſi præter unum hominem cæteri omnes, qui hactenus extiterint, annihilarentur, ſpecies humana juxta iſtam hypotheſim coarctaretur in unico individuo : at nihilominus in eo conſervaret ſuam univerſalitatem ; nam poſſet homo unus ille reſiduus cogitare de cæteris annihilatis, ſeque ipſum conferre cum illis, & tandem ab omnibus abſtrahere, & cum omnibus comparare communem humanitatis convenientiam ; quo pacto humanitas fieret haud dubie univerſalis : ergo &c.

XIII. Sed neque plura individua debent eſſe cogitata.

Reſp. Et conceſſa majori nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda dico difficultatem propoſitam non intelligi de natura coarctata in unico individuo exiſtente : ſed de illa eadem coarctata in unico individuo cogitato, ſive quod idem eſt, de illa eadem conſiderata relativè ad unicum individuum. Quare licet natura humana reſidens in unico individuo exiſtente poſſit prædicari perinde de aliis non exiſtentibus ſeu futuris, ſeu præteritis, ſeu pure poſſibilibus, ut fateor, id non contrariatur veritati noſtræ aſſertionis, imo ſuffragatur, quatenus hinc colligitur ſpeciei univerſalitatem nullam eſſe ſine ordine ad multa individua ſaltem cogitata.

XIV. Et ſic inſtantia ſolvitur.

Quæ etiam eſt idonea & ſufficiens ſolutio inſtantiæ alterius ſubjacentis, in qua nec ullam, ut puto, vim facerent Adverſarii, ſi nobiſcum de ſtatu vero quæſtionis propoſitæ concordarent ; ſed ut obiter id notem ſimul ac redarguam, apud Philoſophos ſummo ſcientiarum diſpendio inolevit, qualis apud vitiligatores, mala conſuetudo proponendi ſuas quæſtiones ſub quibuſdam ambagibus eo fine ut ſemper ſuperſit aliqua diſputandi materia ; quaſi non eſſet oportunius ac conformius puritati veritatis eas ſincere proponere, ac ſolvere abſque ulla ſubauditæ ambiguitatis injuria.

ARTICULUS

Digitized by Google

ARTICULUS V.

DE DIFFERENTIA ET proprio.

NOTANDUM *Primò*, differentiam, quæ in loco tertii univerſalis reponitur, rectè definiri in hunc modum. Differentia eſt id quod aptum eſt ineſſe & prædicari de multis in quid incompletum perfectivum: quatenus illa eſt de eſſentia ſpeciei, & ideo prædicatur *in quid*, ſed non eſt niſi pars ſpeciei, & ideo prædicatur *in quid incompletum*; Tum quia tandem eſt pars eſſentialis illius perfectior, hac de cauſa prædicatur *in quid incompletum perfectivum* de illis ſcilicet multis, de quibus ſpecies apta eſt prædicari. Cum autem ſpecies vel ſit ſuprema, vel ſubalterna, vel infima, ut ſupra dictum eſt, differentia quoque ſimiliter diſtribuitur in ſupremam, ſubalternam, & infimam relative ad ſpeciem, quam afficit: ſic v. g. rationale eſt differentia infima, propterea quòd afficiat ſpeciem humanam quæ infima eſt, cum ſubdividi in alias non poſſit. Deinde quia differentia hæc ſpecifica concipitur ad inſtar formæ, ſive qualitatis perinde ac differentiæ quævis accidentales; hinc oritur ut Logici aliter dicant illam prædicari *in quale quid*, id eſt ad modum qualitatis eſſentialis; ad diſcrimen proprietatum, quæ prædicantur in *quale neceſſariò*; & accidentium, quæ prædicantur in *quale contingenter.* Neque neceſſe eſt ut moneatur differentiam eſſe univerſalem in ordine ad ſubjecta ejus ſpeciei, cujus eſt differentia: nam hæc ſubjecta, ut ſuppono, multa ſunt; ac de illis verè eſt prædicabilis in quid incompletum perfectivum, ſive aliter in quale quid. **I. Quid & quotruplex ſit differentia.**

Notandum *Secundò* proprium quod pro quarto univerſali aſſignatur, diverſimode accipi; nam *primò* accipitur pro eo, quod uni tantum ſpeciei convenit; ſed non omnibus ejus individuis, ut eſſe Geometram, quod convenit tantùm hominibus; at non omnibus. **II. Quid & quotuplex ſit propriū.**

Secundò etiam accipitur pro eo, quod convenit omnibus individuis unius ſpeciei, ſic tamen ut conveniat etiam individuis alterius ſpeciei, ut eſſe bipedem, eſſe piloſum, &c. ſunt enim præter hominem animantes bipedes & piloſæ. *Tertiò* quoque accipitur pro eo, quod convenit omnibus individuis unius tantum ſpeciei, at non ſemper: uti caneſcere, quod ut vulgo, ſed niſi fallor, falsò creditur convenire ſolis hominibus tunc tantùm, cùm conſeneſcunt. *Quartò* denique accipitur pro eo, quod convenit omnibus ac ſingulis individuis unius tantummodò ſpeciei, ac ſemper; ut eſſe riſibilem in homine; rugibilem in leone; hinnibilem in equo; &c. Et hæc eſt vera ac ſtricta acceptio ejus proprii, quod pro quarto univerſali aſſignatur; de quo non eſt inſinuandum qualiter dividi poſſit ad inſtar cæterorum univerſalium, de quibus antea&ctum eſt, in ſupremum, ſubalternum, & infimum relative ad ſpeciem, quam afficit ſupremam, ſubalternam, aut infimam; id quippe jam ſatis intelligitur. Quare tantum in ſequente aſſertione breviter probabitur definitio illius, quæ licet vulgatiſſima à nonnullis tamen impugnatur.

ASSERTIO UNICA.

Proprium recte definitur id, quod eſt aptum ineſſe & prædicari de multis in quale neceſſariò: unde colligitur illud non eſſe univerſale in ordine ad ſpeciem; ſed in ordine ab ſubjecta ſpeciei, cujus eſt proprium.

III. Exponitur definitio Prii. PROBATUR aſſertio per partes definitionis enumeratas: & *primò* quidem proprium recte definitur per id, quod eſt prædicabile *de multis*, nam omnis univerſalitas conſiſtit in aliqua prædicabilitate de multis: illa autem multa, de quibus proprium eſt prædicabile vel ſpecie, vel ſolo numero differunt, prout illud eſt ſupremum, ſubalternum, aut infimum: illud enim quod eſt infimum, non niſi de individuis unius ac ſolius ſpeciei prædicatur. *Secundò* recte definitur per id, quod eſt prædicabile *in quale*, quia omnis proprietas alicujus ſpeciei afficit illam ad inſtar qualitatis: ſed *tertiò* tandem recte additur *in quale neceſſariò*, quia proprietas neque eſſentialiter convenit ſpeciei, neque convenit tantùm contingenter; ſed ſic illi connectitur, ut ſit prorſus inſeparabilis. Et propterea ad diſ-

Digitized by Google

crimen hinc à qualitate eſſentiali, quæ eſt de conceptu primario ſpeciei; illinc à qualitate purè accidentali, quæ poteſt adeſſe & abeſſe, nec eſt niſi de conceptu extraneo ſpeciei, denominatur prædicabilis in *quale neceſſariò.* Addidi proprium eſſe univerſale in ordine ad ſubjecta ſpeciei, cujus eſt proprium, & non in ordine ad ſpeciem; quia multiplicitas ſubjectorum eſt omninò ad univerſalitatem requiſita: quare ſimiliter intelligendum eſt differentiam non eſſe univerſalem in ordine ad ſpeciem; ſed in ordine ad ſubjecta ſpeciei, cujus eſt differentia.

Objicies. Definitio proprii confunditur cum definitione differentiæ: ergo non eſt legitima. Probatur antecedens. Differentia prædicatur in *quale eſſentialiter*: proprium autem prædicatur in *quale neceſſariò*: at hæc duo confunduntur; nihil enim tam neceſſarium eſt, quàm id, quod eſt eſſentiale: quo pacto rectè aſſereretur differentiam prædicari in quale neceſſariò: ergo &c. Deinde etiam ad aſſignanda diſcrimina ſpecierum ab invicem non aliæ differentiæ paſſim adducuntur, quam proprietates; uti cùm dicitur leonem differre ab equo per rugibilitatem, & equum ab illo viciſſim per hinnibilitatem, & ſic de aliis: quare non aliæ ſunt differentiæ ſpecierum, quàm ipſarum proprietates: atque ita tum ipſæ, tum ipſarum definitiones confunduntur. Niſi quod inſuper proprium ex ſuo conceptu eſt potiùs quid incommunicabile, quàm quid communicabile; proprium enim, & commune videntur opponi: ergo non rectè definitur per ea verba, quæ important illius aptitudinem ad ineſſe, & prædicari de multis. **IV. Opponunt eſſentiale & proprium idem eſſe**

Reſp. ad ſingula: & *Primò* quidem id omne, quod eſt eſſentiale, eſſe proinde neceſſarium; ſed non reciproce quidquid eſt neceſſarium illud eſt eſſentiale: ideo ſcilicet, quia eſſentiale vocamus id quod eſt de conceptu primario rei, ſic primò concipimus hominem eſſe rationalem; neceſſarium autem non eſt de conceptu primario; ſed de ſecundario, qui ex primario per neceſſariam illationem conſequitur: ſic ſecundò concipimus hominem eſſe riſibilem. *Secundò* licet paſſim ad aſſignandas differentias notabiliores ſpecierum adducantur proprietates, id non probat proprietates eſſe differentias ſpecificas; ſed differentias ſpecificas ignorari, quarum proinde loco proprietates notiores ſubſtituuntur: ſic cùm differentia leonis ſpecifica ignoretur, ſubſtituimus rugibilitatem, per quam ab equo diſcernitur, & ſic de aliis: at id non obſtat quominùs proprietates diſtinguendæ ſint à differentiis ſpecificis, à quibus utique emanant: ſicut in homine notum eſt riſibilitatem emanare à rationalitate. *Tertiò* ſecluſâ colluſione verborum nihil obſtat, quominùs aliqua facultas poſſit convenire multis, **V. Sed oſtẽditur illa duo non converti.**

Digitized by Google

uti facultas ridendi multis hominibus; talem autem facultatem vocamus proprietatem relative ad homines; propterea quòd cæteris animantibus non conveniat: quid igitur in hoc arguendum eſt, ſi talis proprietas per ordinem ad multa ſubjecta, quibus convenire apta eſt, definitur?

ARTICULUS VI.

DE ACCIDENTE ET individuo.

I. Definitiones duæ accidentis.

NOTANDUM *Primò* accidens, quod pro quinto univerſali aſſignatur, ſolere definiri in hunc modum. Accidens eſt id, quod aptum eſt ineſſe multis & prædicari de illis in quale contingenter, id eſt ſeparabiliter: unde hæc altera ejuſdem accidentis definitio ſuboritur: Accidens eſt, quidquid poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto abſque ſubjecti corruptione. Utramque porro definitionem ut ſtatim intelligas, cogita ſi volueris albedinem, quæ ex eo quòd conveniat multis v. g. hominibus, poteſt tum abſtrahi ab illis, tum rurſus in eo ſtatu abſtractionis conſiderari tanquam apta ineſſe illis & prædicari proinde de illis: ſed quia aliunde nulla eſt neceſſaria connexio inter albedinem & humanitatem; hinc fit, ut non aliter apta ſit de prædictis hominibus prædicari, quàm ad modum qualitatis ſeparabilis, quod eſt prædicari in quale contingenter: & ſic non tantùm intelligis qualiter accidens fiat univerſale; ſed inſuper rectitudinem utriuſque definitionis. Deinde cùm ſingulis generibus perinde ac ſpeciebus ſua conveniant accidentia, hæc perinde ac ſubjecta quibus inexiſtunt, dividi poterunt in ſuprema, ſubalterna & infima: neque in hoc ulla eſt difficultas, tantùmque occurrit alia, quæ à nobis deinde ſolvetur, an & qualiter poſſit ſubſtantia ſubire denominationem accidentis.

II. Quid ſit

Notandum *Secundò* Individuum propriè accipi pro natura, quæ

eſt purè ſubjicibilis, aut quæ ad ſummum non eſt prædicabilis, niſi de uno; nuſquam autem de multis: in quo conſpicuum eſt, qualiter natura individua differat ab univerſali, cujus eſſentia conſiſtit in ratione quadam abſtracta conveniente multis, & prædicabili de illis. Deinde cùm unum individuum non poſſit de altero prædicari, neque enim unquam verificari poteſt hæc propoſitio ***Petrus eſt Paulus***; hinc ſequitur quidquid in uno adeſt, id totum abeſſe ab altero; unde Logici deſumpſerunt occaſionem definiendi individuum his verbis. Individuum eſt, cujus perfectiones ita conveniunt uni, ut convenire non poſſint alteri: quæ definitio tum intelligi debet de convenientia quantùm ad unitatem; tum rurſus intelligi etiam poteſt de convenientia quoad ſimilitudinem; ita ut etſi nonnullæ perfectiones poſſint in pluribus individuis eſſe ſimiles, at certe non omnes ſimimiles ſint, vel ſaltem non iiſdem circumſtantiis afficiantur. Solent autem perfectiones individuales, vel potius perfectionum individualium circumſtantiæ his duobus verſibus exprimi. **individuum.**

Forma, Figura, Locus, Tempus cum Nomine, Sanguis,
Patria ſunt ſeptem, quæ non habet unus & alter.

IN quibus exponendis tempus nequicquam tereretur; tantùm adjungo prædicta hæc non obſtare, quin poſſit notio quædam individualis conſiderari in abſtracto, & ita deinceps prædicari de naturis individuis, uti cùm dicitur ***Petrus eſt individuum***, ***Paulus eſt individuum***, &c. at tunc individuum non niſi nomine tenus prædicatur de Petro & Paulo, &c. His prænotatis mox ſolvitur difficultas, quam inſinuavi de accidente.

ASSERTIO UNICA.

Non repugnat ſubſtantiam ſubjacere denominationi accidentis.

PROBATUR ***Primò.*** Id omne quod aptum eſt ineſſe pluribus ſubjectis, ac de illis prædicari in quale contingenter, ſubjacet denominationi accidentis: atqui ſubſtantia taliter ineſſe, & prædicari poteſt: ergo &c. Major conſtat ex iis quæ prænotavimus circa communem notionem accidentis; minor verò probatur aſſumendo in exemplum plura vaſa argentea, quæ deinceps deaurata fuerint. Itaque **III. Subſtantia poteſt prædicari ad inſtar accidentis.**

vaſa illa non aliter fuerunt deaurata, quàm per applicationem, & cohæſionem ſubſtantiæ, quæ eſt aurum: atqui ſubſtantia illa ſic applicata & cohærens apta eſt ineſſe, & prædicari de pluribus in quale contingenter; de illis ſcilicet vaſis, reſpectu quorum neque prædicari poteſt ad inſtar generis in quid incompletum perfectibile; nec ad inſtar differentiæ in quid incompletum perfectivum; nec ad inſtar ſpeciei in quid completum; nec ad inſtar proprii in quale neceſſariò: ergo ſupereſt, ut ſit tantum prædicabilis in quale contingenter: igitur &c.

IV. Sicut etiã adeſſe & abeſſe à ſuo ſubjecto.

Probatur *Secundò.* Quidquid poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto abſque ſubjecti corruptione, ſubjacet denominationi accidentis, ut patet ex prænotatis: ſed evidens eſt poſſe aliquando ſubſtantiam adeſſe & abeſſe à ſubjecto abſque ſubjecti ejuſdem corruptione: nam ut non recedamus ab exemplo propoſito, ſubſtantia auri illa, quæ cohæret vaſis argenteis ac ſubjectatur proinde in illis, poteſt utique per actionem ignis admoti, ut artis eſt, ab illis rurſus ſeparari, quin interveniat ulla corruptio. Imo quamvis nulla arte poſſet aurum ſemel applicatum, & cohærens ſeparari à ſubjecto, cui cohæret; ſufficeret ſola ſeparabilitas concepta ad obtinendam accidentis denominationem: illud autem omne ſeparari per mentem poteſt ab altero, quod non eſt de primario illius conceptu, & multò magis, ſi fuerit de conceptu illius extraneo: at certum eſt aurum vaſi applicatum non eſſe, niſi de conceptu extraneo ejuſdem vaſis: ergo &c.

V. Opponitur diviſio entis in ſubſtãtiam & accidens.

Objicies *Primò.* Illud non poteſt ſubjacere denominationi accidentis, quod nihil habet commune cum illo: ſed ſubſtantia nihil habet commune cum accidente; ergo &c. Probatur minor: tum quia ens diviſione generali, ac primaria dividitur in ſubſtantiam, & accidens: quod ſignum eſt nihil utrique eſſe commune præter abſtractiſſimam rationem entis: tum etiam quia cùm omnis oppoſitio ſit reciproca, ſicut non poteſt unquam accidens ſubjacere denominationi ſubſtantiæ, ita nunquam poterit ſubſtantia ſubjacere denominationi accidentis.

VI. Sed non agitur de ſubſtantia abſtracta.

Reſp. Et conceſſa majori diſtinguo minorem, quam concedo de ſubſtantia abſtracta, ſed nego de ſubſtantia, ut ſic loquar, contracta & cohærente alteri, cui advenerit: at noſtra aſſertio non procedit de ſubſtantia conſiderata generaliter, & in abſtracto; ſed de illa tantùm conſiderata in eo caſu, quo deprehenditur unam ſubſtantiam alteri advenire. Nec aliunde etiam repugnat dari caſum, in quo accidens ſubeat denominationem ſubſtantiæ: nam cùm unum accidens advenit alteri, illud quod eſt ſubjectum advenientis, gerit hoc ip-

Digitized by Google

ſo vices ſubſtantiæ, & ejus denominationem vere acquirit: nam quid eſt ſubſtantia, niſi ens ſubſtans, ſive ſubjectum?

Objicies *Secundò*. Illud quod non poteſt inhærere alteri, non poteſt ſubjacere denominationi accidentis: ſed ſubſtantia non poteſt inhærere alteri: ergo &c. Major conſtat propter notiſſimum diſcrimen ſubſtantiæ, & accidentis in hoc conſtitutum, quod accidens ſubſiſtere in ſe ipſo non poſſit, ſubſtantia autem per ſe ipſam ſubſiſtat, ſuamque communicet ſubſiſtentiam accidenti, unde ſequitur eſſentiale eſſe accidenti, ut inhæreat. Probatur minor. Illud quod non poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alterius, non poteſt alteri inhærere: & hæc propoſitio eſt certa, quia non aliam ob cauſam accidentia inhærent ſuis ſubjectis, niſi quia non poſſunt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam propriam. Atqui nulla ſubſtantia poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alterius; hoc ipſo enim diſineret eſſe ſubſtantia, quia non per ſe ſtaret: ergo &c. Unde eſt, ut in recta Philoſophia nunquam dicatur de ſubſtantiis, quòd inhæreant; ſed quod componant: & ſi aliquando videntur inhærere, neque tunc ſimpliciter pro accidentibus, ſed tantùm pro accidentibus, ut aiunt, logicis, & ad ſolam mentis conſiderationem attinentibus poterunt reputari. VII. Opponitur incapacitas inhærendi.

Reſp. Diſtinguendo majorem. Illud quod non poteſt alteri inhærere aut quaſi inhærere non poteſt &c. concedo majorem: illud quod non poteſt inhærere abſolute, non poteſt &c. nego majorem; & diſtincta ſimiliter minori, nego conſequentiam. Pro cujus diſtinctionis expoſitione quamvis fatear ſubſtantiam non poſſe inhærere abſolute, & in eo ſenſu quo ſuis accidentibus phyſicis tribuunt Ariſtotelici inhæſionem; at certe poteſt quaſi inhærere, ac proinde quaſi egere ſubjectatione alterius ad ſubſiſtendum: uti jam dictum eſt de auro, quod vaſi argenteo applicatur. Nam ſic applicatum recte conſideratur quaſi inhærens, ac ſubſiſtens per ſubſiſtentiam ſui ſubjecti, in quo itaque caſu recte ſubjacet denominationi accidentis. De cætero pro denominatione accidentis ſubeunda ſatis eſt, ſi ſubſtantia in aliquo ſtatu conſiderata poſſit logice loquendo reputari pro accidente, ſeu quod idem eſt reputari pro accidente logico: id enim ad propoſitum noſtrum ſufficit: præſertim quia præter accidentia logica, nulla alia accidentium genera recipimus, ut patebit ex toto decurſu Phyſico. Et hæc de univerſalibus dicta ſint. VIII. Sed ſufficit conceptus inhærentiæ.

Digitized by Google

DISPUTATIO QUARTA

DE TERMINIS.

QUONIAM mens ad apprehenſiones, quas circa entia rationis & univerſalia præmiſſa exercet, proponendas terminorum notitiâ & uſu indiget: idcirco ſolent Logici tractatum de terminis inſtituere; ſed plerique juſto prolixiorem inſtituunt; nos paulò breviùs illum quatuor conſequentibus articulis abſolvemus. In primo uſitatiores terminorum diviſiones enarrabuntur: in ſecundo agetur de illorum ſignificationibus: in tertio de proprietatibus, & in quarto de oppoſitionibus.

ARTICULUS I.

DE DIVISIONIBVS terminorum.

I. Definitio termini. PRÆNOTANDUM eſt terminum in ſenſu logico acceptum, eſſe juxta communiorem definitionem nihil aliud, quàm extremum propoſitionis, id eſt ſubjectum, vel prædicatum propoſitionis; propoſitio enim hinc à ſubjecto, illinc à prædicato intelligitur terminata veluti à duobus punctis linea: quo pacto copula propoſitionis enun-

tiari

tiari ſolita per particulam *eſt*, aut aliam æquivalentem non erit terminus, ſed utriuſque termini, ſubjecti videlicet, & prædicati unio, ac liganen. Nihil tamen vetat prædictam copulam reputari pro termino, ſi terminus aliter definitur, & accipitur pro omni ſigno propoſitionis conſtitutivo: ſicut revera termini non prave accipiuntur, ſi quis dixerit eos nihil aliud eſſe, quàm ſigna ſeu mentalia, ſeu vocalia, ſeu ſcripta, quibus inter cogitandum, loquendum, ſcribendum, utimur tam ad ordinanda in nobis ſenſa noſtra, quàm ad illa aliis proponenda. Aliter quoque pro termino accipi poteſt (ſed quod nihilominus in idem recidit) vox omnis ſignificativa ad placitum & ad propoſitiones efformandas idonea: & hæc quidem vox ſi adſignificat tempus uti præſens, præteritum, aut futurum vocatur verbum; ſi verò non adſignificat, vocatur ſimpliciter nomen: utrumque autem ſcilicet verbum, ac nomen variè ac variè ſubdividitur à Grammaticis: at id noſtrâ non intereſt, quare venio ad diviſiones termini enumerandas.

Terminus dividitur in incomplexum, & complexum. Incomplexus ille eſt, qui repræſentat, ſive ſignificat apprehenſionem incomplexam rei cujuſdam ſolitariæ, ut *ignis*, *aer*, &c. Complexus verò ille vocatur, cujus ſignificatio reſpondet apprehenſioni complexæ rei cujuſdam multiplicis, ut *ignis calidus*, *aer fluidus*, &c. Multòque magis complexus eſt, cum ſignificat ſeriem integram judicii alicujus, aut ratiocinii; ſic enim attingit integritatem propoſitionis, & orationis ex variis propoſitionibus reſultantis; quare commutata denominatione non dicitur tunc terminus complexus, ſed vocatur propoſitio, aut oratio, &c. **II. Terminus alius complexus, alius incomplexus.**

Terminus alius eſt categorematicus, alius ſyncategorematicus & alius mixtus. Categorematicus ille eſt, qui ſignificatione ſua plena & integra conſtitui poteſt in propoſitione pro ſubjecto, aut prædicato, ut *ſol*, *cœlum*, &c. *album*, *viride*, &c. Syncategorematicus verò eſt ille, qui per ſe non habet vim ſignificativam ſufficientem pro obtinendo loco ſubjecti, aut prædicati in propoſitione; talia ſunt adverbia & caſus obliqui & varia nomina adjectiva, quibus utimur ad augendam, minuendam aut utcunque aliter modificandam vim termini alicujus categorematici. Mixtus denique ille eſt, qui per ſuam ſignificationem mixtam æquivalet termino cuidam categorematico, & alteri ſyncategorematico, ut *nemo*, qui accipitur pro nullo homine: *nihil*, quod accipitur pro nullo ente, &c. Niſi præterea terminum mixtum quis vocare voluerit illum, qui vel ex pluribus ſyncategorematicis conſtat ut *nunquam*, quod idem eſt ac nullo **III. Alius categorematicus, alius ſyncategorematicus, alius mixtus.**

M

tempore; vel utcunque ſignificat rem cum aliqua ejuſdem rei circumſtantia, & hoc modo verba, quæ præter rem adſignificant tempus, reputari poſſunt pro terminis, ſeu vocibus mixtis, ut ***amabo***, ***cucurrit***, &c.

IV. Alius ſingularis, alius communis. Terminus alius eſt ſingularis, alius communis. Terminus ſingularis aptus eſt ſignificare naturas ſingulares & individuas; ac proinde incommunicabiles, uti ***Plato***, ***Socrates***, ***Toloſa***, ***Roma***, &c. Terminus communis è contra non eſt idoneus, niſi ad ſignificandas naturas communes, ſive communicabiles; atque ita convenit iis omnibus ſubjectis ſeorſim ſumptis, quibus naturæ illæ communes ſunt, uti ***homo***, ***leo***, ***lapis***, &c. Ex termino autem communi & ſingulari prodit aliquis alius terminus mixtus, qui plura quidem ſignificat, ſed ſub ratione ſingularis alicujus collectionis, uti ***civitas***, ***populus***, ***exercitus***, &c.

V. Alius tranſcendens, alius non tranſcendens. Terminus alius eſt tranſcendens, alius non tranſcendens, & alius ſupertranſcendens. Tranſcendens vocatur ille, qui poteſt de omnibus ac ſolis veris entibus prædicari; quo pacto de omni ente præter nomina, quæ ſunt enti ſynonima, dicitur quod ſit ***unum***, ***verum***, ***ac bonum***. Non tranſcendens deinde ille eſt qui tantùm alicui rei ſeu communi, ſeu particulari ſignificandæ tribuitur, ut ***homo***, ***Petrus***, ***Sol***, &c. Ac denique ſupertranſcendens ille eſt, qui non ſolum veris entibus omnibus; ſed etiam falſis ac fictis aptari poteſt, ut ***opinabile***, ***imaginabile***, ***cogitabile***, &c.

VI. Alius finitus, alius infinitus. Terminus alius eſt finitus, alius infinitus. Finitus dicitur, cujus ſignificatio limitata eſt ad deſignandum aliquid in certo rerum genere conſtitutum, uti ***homo***, ***elementum***, ***ſol*** &c. Infinitus verò eſt, qui ob particulam negativam præfixam ad nullum rerum genus ſignificandum limitatur, ut ***non homo***, ***non lapis***, &c. ſic enim mons eſt ***non homo***, cælum eſt ***non homo***; ac denique terminus ille ***non homo***, ſi hominem excipis, de omni alio rerum genere etiam ficto prædicari poteſt: quare dicitur infinitus; ſicut particula negativa, quæ præfigitur, vocari ſolet particula infinitans.

VII. Alius poſitivus, alius privativus, alius negativus. Terminus alius eſt poſitivus, alius privativus, alius negativus. Poſitivus ſignificat rem poſitam, aut quaſi poſitam in rerum natura, ut ***homo***, ***lapis***, ***chimæra***, &c. Privativus è contra ſignificat privationem formæ, ſive perfectionis alicujus, quæ aut poſitiva eſt, aut ad inſtar poſitivæ concipitur, ut ***cæcus***, ***ſurdus***, ***claudus*** &c. At negativus præter privationem talis formæ, importat irreceptibilitatem illius, ***ut non videns***, ***non audiens***, ***non recte incedens***, &c. Quare ad deſignandam carentiam formæ in ſubjecto apto uti-

mur terminis privativis ; ſic de homine dicitur quod ſit cæcus : & è contra negativis ad deſignandam illam carentiam in ſubjecto non apto : ſic de lapide dicitur quod ſit *non videns.*

VIII. Alius univocus alius æquivocus alius analogus.

Terminus alius eſt uninocus, alius æquivocus, & alius analogus. Univocus eſt ille, qui communis eſt pluribus ſubjectis obtinentibus eandem, & ejuſdem ſpeciei aut generis rationem, ut nomen *homo*, quod ſub una & communi ratione aptatur Petro, Paulo, &c. & hæc quidem ſubjecta, quæ ſunt ejuſdem tum nominis, tum rationis dicuntur *univoca univocata.* Æquivocus deinde ille eſt, qui multis quidem ſubjectis convenit ; ſed nec eandem, nec ejuſdem ſpeciei, aut generis rationem, ſive quod idem eſt perfectionem, obtinentibus, ut nomen *canis*, quod cani cæleſti, terreſtri, & marino commune eſt, quamvis diverſiſſimam naturam habeant ; & hæc quidem talia ſubjecta, quæ ſub ſimili nomine diſſimilis ſunt naturæ dicuntur *æquivoca æquivocata.* Denique terminus analogus eſt ille, qui convenit multis ſubjectis, quorum ratio eſt partim eadem, partim diverſa ; ut *ſanum*, quod de homine, de pulſu arteriæ, de urina, & aliis id genus ſub diverſa ratione dicitur : *pes* ſimiliter eſt terminus analogus cùm ad pedem hominis, & pedem ſcamni refertur. Ubi duplex diſtinguitur analogia ſcilicet proportionis & attributionis. Analogia proportionis petitur ex proportione officii, ſeu ſimilitudine propter quam idem nomen pluribus ſubjectis tribuitur : ita cùm pars ſcamni infima totam illius molem ſuſtineat ad inſtar utriuſque pedis, qui ſuſtinet molem humani corporis, idcirco pes denominatur. Analogia verò attributionis deſumitur ex dignitate alicujus, cui proprie nomen aliquod convenit, & eſt cauſa, ſive occaſio propter quam eadem denominatio quibuſdam aliis ſubjectis in ordine ad ipſum tribuatur : ita *ſanum* non dicitur ſive de medicina, ſive de urina, ſive de pulſu arteriæ, niſi relative ad hominem, cujus ſanitatem medicina reſtituit, urina indicat, & confirmat idoneus pulſus arteriæ : neque adjungendum eſſet talia ſubjecta, quibus hæc aut altera analoga denominatio communis eſt, vocari *analoga analogata.*

IX. Alius concretus, alius abſtractus.

Terminus alius eſt concretus, alius abſtractus. Concretus ille eſt, qui ex ſuo modo ſignificandi importat compoſitionem ex ſubjecto, & forma ſeu inexiſtente, ſeu quaſi inexiſtente ; ut *album*, *exiſtens*, *potens*, &c. Abſtractus è contra eſt ille, qui ex ſuo modo ſignificandi importat formam, aut quaſi formam ſeparatam à ſuo ſubjecto ; uti *albedo*, *exiſtentia*, *potentia*, &c. Ubi obiter notandum cenſeo terminos concretos, & abſtractos quamvis illi quidem compoſitionem,

iſti è contra incompoſitionem importent juxta noſtrum concipiendi modum, ut dictum eſt; nihil tamen ſive pro illa, ſive pro iſta, ſi de rebus ut ſunt in ſe ipſis ageretur, concludere; nam v. g. cùm dicitur de Deo quod ſit exiſtens, potens, juſtus, &c. iſti termini concreti repræſentant nobis exiſtentiam, potentiam, juſtitiam, &c. Dei, veluti totidem formas, aut quaſi formas in ſubjecto, ſive uno ſive multiplici conſtitutas: & nihilominus conſtat Deum eſſe ens ſimpliciſſimum: unde ſatis intelligitur tunc cùm ferendum eſt judicium de rebus, ut ſunt in ſe ipſis, non eſſe attendendos terminos, quibus illæ repræſentantur; aut ſi in hunc modum attenduntur; hinc exſiliunt errores plurimi, quot & quales paſſim in Phyſicam Ariſtotelicam irrepſerunt; dum quidquid termino concreto exprimitur, id reputatur compoſitum ex ſubjecto & forma inhærente; hinc formæ corporeitatis, cadavereitatis, continuitatis, gravitatis, coloris, & innumeræ talium generum pullularunt.

X. Alius connotativus, alius abſolutus.

Terminus alius eſt connotativus, & alius abſolutus: iſte rem aliquam ſolitarie ſignificat, id eſt, abſque ullo vel adjuncto vel correlativo, ut ***homo***, ***lux***, ***cœlum***, &c. ille verò rem aliquam ſignificat non ſolitarie; ſed cum aliquo vel correlativo, vel adjuncto: ut ***album***, quod conſignificat ſubjectum cum albedine; & nomen ***patris***, quod conſignificat filium, aut ***filii***, quod conſignificat patrem propter reciprocam relationem; atque ita de aliis.

XI. Alius denominativus, alius denominãs.

Terminus denique alius eſt denominativus & alius denominans. Denominativus ſive aliter denominatus dicitur ille, qui provenit ab alio ſecundùm eandem appellationem, & ſignificationem: denominans è contra ille eſt, qui ſuam tum appellationem, tum ſignificationem in alium transfert, ut cum quis denominatur juſtus à juſtitia, doctus à doctrina, &c. ubi ***doctus*** eſt terminus denominativus, ſive denominatus; ***doctrina*** verò eſt terminus denominans; & ſic de aliis. Denominatio autem vel eſt intrinſeca vel eſt extrinſeca, ut explicui diſput. 2. art. 4. Multæ aliæ recenſeri poſſent terminorum diviſiones; ſed quas ſcrupuloſiùs enumerare otioſæ ineptiæ eſt; quapropter ſuperſedeo.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE SIGNIFICATIONIBUS terminorum.

NOTANDUM eſt duo eſſe ſignorum genera, quibus internæ animi noſtri affectiones, ſeu conceptiones propalantur; alia enim ſunt, quæ abſque prævia ulla deliberatione, ac ſola inſtigante natura eduntur; uti riſus, ejulatus, pallor, rubor, &c. quibus demonſtrantur internæ paſſiones lætitiæ, doloris, timoris, verecundiæ, &c. Alia verò non à natura proficiſcuntur, ſed à ſolo hominum beneplacito, & inſtituto; uti voces articulatæ, quibus inter loquendum utimur pro varietate linguarum: & nationum: neque enim alia eſt talium vocum ſignificatio, niſi illa, de quâ homines convenerunt eo fine, ut colloquentes ſuos ſibi mutuò conceptus proderent, ſicque fruerentur bono ſocietatis, quo optabilius & utilius nullum eſt. At utriſque ſignis naturalibus ſcilicet, & arbitrariis id commune eſt, ut repreſentent aliquid à ſe diſtinctum juxta vulgarem ſigni definitionem. Signum eſt *id quod facultati cognoſcenti repreſentat aliquid à ſe diſtinctum*: tum ſigna omnia, ac præſertim articulata, quæ in humanis colloquiis adhibentur, repræſentant duo quædam diſtincta, ſcilicet rem, & conceptum; neque enim tantummodò colloquimur, ut proferamus & enuntiemus alteri rem quam concipimus; ſed etiam, aut potiùs conceptum, qui in nobis eſt de re illa. Unde enaſcitur difficultas à nonnullis proponi ſolita, utrum è duobus priùs, ac principaliùs per voces prolatas repreſentetur; an res, an conceptus: itaque huic difficultati breviter ſatisfiet in aſſertione ſequente.

1. Quæ ſint ſigna naturalia & arbitraria

ASSERTIO UNICA.

Termini articulati ſeu voces, quæ pro humano commercio adhibentur primariò ſignificant conceptus noſtros, & ſecundariò res, quæ conceptibus ſubjacent. Id ipſum intellige de cæteris omnibus ſignis, de quorum repræſentatione inter homines convenitur.

II. Significatio cõceptuum primariò intenditur.

PROBATUR *Primò.* Voces id primariò ſignificant, ad quod primariò ſignificandum inſtituuntur: atqui inſtituuntur ad ſignificandum primariò conceptus noſtros, ac deinde ſive ſecundariò res: ergo &c. Major conſtat; quia cùm tota plane vocum ſignificatio ab arbitrio, ſeu inſtituto noſtro pendeat, id primariò ſignificare cenſendæ ſunt, ad quod primariò ſignificandum aſſumuntur. Minor ſic probatur. Voces inſtituuntur ad id primariò ſignificandum, quod noſtrâ magis intereſt, ut ſignificetur: atqui noſtrâ magis intereſt, ut ſignificetur conceptus noſter: & ratio eſt, quia parum ſolliciti eſſemus de rebus ſignificandis, ſi independenter ab iſta ſignificatione poſſet altera obtineri: ſicut revera ſtatim atque concipitur quid velimus, abſtinemus ab ulteriori ſignificatione rerum, quas præconcepta voluntas comprehendit. Atque ut me magis explicem, quando quis v. g. vult conciliare ſibi amicitiam alterius, ſuamque illi viciſſim proponere, poteſt inter alias ineundæ amicitiæ formulas uti his pauculis verbis *da manum amice*: tunc itaque intendit quidem is, qui loquitur, ut alter audita voce *manus* manum porrigat; at non potiſſimùm id intendit: ſed ut patefaciat ei ſuum ineundæ amicitiæ deſiderium. Atque ita in hoc caſu ſignificatio rei ſubſervit ſignificando conceptui, neque illa adhiberetur, ſi compendioſiori viâ poſſet conceptus iſte ſignificari: & ſic de aliis; ergo &c.

III. Significatio conceptuum non pendet à ſig-

Probatur *Secundò.* Aliquando accidit, ut ad conceptuum noſtrorum vim ſingularem explicandam utamur vocibus, quæ omnino aliud à conceptibus noſtris ſignificant: ergo ſaltem in hoc caſu voces adhibentur ad ſignificandos primariò conceptus noſtros; ad res autem ſignificandas, non niſi ſecundariò. Conſequentia rectè deducitur; in hoc enim caſu loquens parum curat de ſignificandis rebus;

Digitized by Google

ſed totus eſt in ſignificandis ſuis conceptibus. Antecedens ſic probatur, tum adducto caſu, in quo ironice loquimur, uti cùm Juno Venerem alloquitur his verbis Æneid. 4.

...nificatione rerum.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen,
Una dolo divûm ſi fœmina victa duorum eſt.

UBi nihil minùs intendit Juno, quàm laudem illam à Venere referendam, terminis alioquin uſa *laudis egregiæ*, &c. Tum adducto rurſus alio, ac frequentiſſimo caſu, in quo ſub ſpecie joci ſeriò loquimur; aut ſub ſpecie ſermonis ſerii jocamur; tunc enim parum omninò intenditur ſignificatio rerum, ut patet. Ex quibus omnibus rectè attentis rectè conſequitur locutionem humanam pro primario, ac potiſſimo ſuo fine obtinere ſignificationem conceptuum: ergo idem ſentiendum de vocibus, quæ non fuerunt, niſi ad colloquendum inſtitutæ.

IV. *Opponitur res priùs apprehendi quàm conceptus.*

Objicies *Primò*. Voces id primariò ſignificant, quod propter eas primariò apprehendimus: atqui propter voces primariò apprehendimus res ſignificatas; ergo &c. Maior ſatis conſtat ex terminis; minor autem probatur, tum quia ſæpe contingit, ut non aſſequamur conceptum loquentis, licet rectè interpretemur, ac dignoſcamus res colloquio ſignificatas: tum etiam quia ſaltem facilius eſt, ut hujuſmodi res interpretemur, quàm conceptum loquentis: id autem haud dubie primariò cognoſcitur, quod cognitu facilius eſt: ergo &c.

V. *Sed oſtenditur non ita eſſe adhibitâ diſtinctione vocum variè acceptarum.*

Reſp. Et permiſſa majori diſtinguo minorem. Propter voces primariò apprehendimus res ſignificatas, id eſt propter voces materialiter ſumptas, concedo minorem; propter voces formaliter ſumptas, nego minorem, ac rurſus conſequentiam ſub ſimili diſtinctione. Dico igitur voces poſſe dupliciter accipi vel materialiter, ac præciſe prout ſonant; vel formaliter, & ſecundum quod ſubjacent conceptui loquentis: ſi priori modo accipiuntur, non tantùm ſignificant primariò res; ſed non niſi illas ſignificant: poſteriori autem modo acceptæ ſignificant & rem, & conceptum; ſed conceptum primariò ſive principaliùs, ut probatum fuit; & adhuc confirmari poteſt, quia pro obtinendo fine prudentis ac ſani colloquii non præſertim attendendum eſt ad id, quod voces veluti apud ſe ipſas ſignificant; ſed ad id quod ſignificant apud loquentem, cujus conceptum referunt.

VI. *Opponi-*

Objicies *Secundò*. Voces à loquente non proferuntur, niſi eo

tur ſenſus res præ intelligi, ut intenditur à loquẽte.

fine, ut audiens per ſignificationem rerum veniat in ſignificationem conceptuum : ergo voces primariò ſignificant res, & ſecundariò conceptus. Antecedens conſtat uniuſcujuſque loquentis experientia: conſequentia autem probatur, tum quia aliàs id inutiliter præſumeretur à loquentibus : tum etiam quia ſimiliter inutilis eſſet ad intelligentiam conceptuum præintelligentia rerum : quòd nemo dixerit: quis enim neſciat quàm difficile ſit homini ignaro ſermonis v. g. græci deprehendere conceptum alterius ipſum græce interrogantis ? At unde difficultas illa ſuboritur, niſi ex eo quòd cum ignarus ſit prædicti ſermonis, neſcit quænam res ſint illæ, quæ per eum ſignificantur ? quas utique ſi dignoſceret, facilè comprehenderet ſenſum interrogationis : ergo &c.

VII
Sed neque loquens id intendit, neque fit niſi per accidens.

Reſp. Et conceſſo antecedente nego conſequentiam ; & contendo æquius eſſe, ut conſequentia oppoſita ex præmiſſo antecedente deducatur ; quia enim finis eſt magis intentus, quàm media, quæ ad conſecutionem finis ordinantur hinc ſequitur ſignificationem conceptuum eſſe magis intentam à loquente, quàm ſignificationem rerum: atque ita voces principaliùs ordinari ad ſignificationem conceptuum quàm rerum. Quod autem priùs ſæpe obtineatur notitia rerum, quàm conceptuum, id ſe habet per accidens, quando ſcilicet magis attenditur ad id, quod ſonant voces materialiter ſumptæ, quam ad id, quod formaliter ſumptæ important ; ſic enim ſumptæ referunt principaliter conceptum loquentis, ut probatum fuit, & ita ſolvitur objectio.

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS terminorum.

I.
Quid ſit proprietas termini & quotuplex.

PRÆNOTANDUM eſt per proprietates terminorum hîc intelligi accidentales illas varietates, ratione quarum termini cùm diverſimode accipiuntur, induunt aliam & aliam ſignificationem. Iſtæ autem proprietates ad numerum quinarium vulgò reducuntur, ſcilicet ad ſuppoſitionem, ampliationem, reſtrictionem, alienationem.

Digitized by Google

alienationem & appellationem, quarum omnium ac ſingularum receptiores, tum definitiones, tum diviſiones paucis perſtringam, ne in rebus, quæ parvi adeo momenti ſunt, enucleandis mea malè opera collocetur.

Suppoſitio termini vocatur acceptio,ſive uſus ejuſdem proſuo ſignificato: ſignificatum autem cujuſlibet termini duplex eſt, ſcilicet materiale & formale; unde oritur diviſiò ſuppoſitionis in materialem, & formalem. Suppoſitio materialis eſt acceptio termini pro ſuo ſignificato materiali,quod eſt vel ipſe ſonus termini,vel numerus literarum ex quibus conſtat, vel grammaticalis quædam illius conſi deratio, vel quid ſimile; ut ſi quis dixerit *cœlum eſt vox,cœlum eſt nomen,cœlum eſt dictio dyſſillaba*,&c.Suppoſitio autem formalis eſt acceptio termini pro ſuo formali ſignificato, ſive quod idem eſt pro ea re, quam ſolet mentibus noſtris repræſentare terminus ille cùm profertur, & accurate intelligitur; uti ſi quis dixerit *cœlum eſt mobile*, quia ibi cœlum ſumitur pro corpore cœleſti, cujus ideam talis terminus nobis ſolet directè, ac primò ingerere. Quapropter à ſignificato formali ſejungimus ſignificatum figuratum ac metaphoricum, qualiter cœlum dicitur quidquid ſublime & excelſum eſt, nec tantùm celſitate corporea, ſed inſuper ſpirituali: quo pacto Apoſtoli ſunt *cæli* illi, qui ut canit Vates Regius, *enarrant gloriam Dei*. II. Quid ſit ſuppoſitio.

Suppoſitio formalis ſubdividitur in ſimplicem, & perſonalem. Simplex eſt acceptio termini pro ſuo ſimplici, aut aliter totali, & immediato ſignificato; uti cum dicitur *homo eſt rationalis*; nam ibi *homo* ſupponit, aut aliter ſupponitur pro omni homine. Suppoſitio autem perſonalis eſt acceptio termini pro ſuo perſonali ſive mediato, ac limitato ſignificato; ut in hac propoſitione *homo legit*, ubi *homo* ſupponit tantùm pro aliquo homine. Poteſt tamen ſuppoſitio perſonalis vel ad unicum alicujus naturæ individuum reſtringi: ac tunc evadit ſingularis, uti cùm dicitur *Petrus legit*: vel ad omnia individua extendi ut ſi quis dicat *omnis homo legit* ac tunc ſuppoſitio perſonalis evadit, ut aiunt, communis. III. Alia eſt ſimplex, alia perſonalis.

Suppoſitio perſonalis communis ſolet inſuper ſubdividi in diſtributivam, copulativam, determinatam, & confuſam: & aliud nihil eſt quàm acceptio termini pro ſuis ſignificatis aut diſtributive, aut copulative,aut determinate,aut confuſe ſumptis. Diſtributive ſumuntur in hac propoſitione, *omnis homo currit*,quia conſequentia ſic poteſt diſtribui, ergo Petrus currit, Paulus currit, &c. Copulative ſumuntur in hac propoſitione, *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, quia de nullo Apoſtolo diſtributive ſumpto poteſt affirmari prædicatum IV. Subdiviſio ſuppoſitionis perſonalis.

Digitized by Google

illud numeri duodenarii. Determinate accipiuntur in hac propoſitione, ***homines albi currunt***, nam in ea propoſitione determinatur, quales ſint homines illi, qui currunt. Ac denique accipiuntur confuſe in hac propoſitione, ***oculus eſt neceſſarius ad videndum***, ubi non determinatur, ſed confuſum & indeterminatum relinquitur, uter oculus ſit neceſſarius ad videndum.

V. Alia ſubdiviſio ſuppoſitionis diſtributivæ. Suppoſitio denique diſtributiva vel eſt completa, quam vocant ***de ſingulis generum***; vel incompleta, quam vocant ***de generibus ſingulorum***. Exemplum prioris eſt in hac propoſitione, ***Omne animal eſt vivens***; nam ibi animal ſupponit pro omnibus individuis omnium ſpecierum, quæ ſub genere animalis comprehenduntur. Exemplum poſterioris eſt in hac altera vulgata propoſitione, ***Omne animal fuit in arca Noe***; nam ibi animal non ſupponit, niſi pro quibuſdam individuis cujuſlibet ſpeciei.

VI. Quid ſit ampliatio. Ampliatio eſt extenſio termini à minori ad majorem ſignificationem, & hæc quidem extenſio multipliciter accidit ſive per appoſitionem adverbiorum, ſive per præfixionem particularum univerſalium, ſive per mutationem temporum in verbis, &c. uti hæc propoſitio ***docti currunt*** ampliatur, ſi quis aliter dixerit ***docti current***; nam prior propoſitio tantùm intelligitur de iis qui actu ſunt docti: poſterior autem intelligitur de illis inſuper, qui evadent docti.

VII. Quid reſtrictio. Reſtrictio è contra eſt coarctatio à majori ad minorem ſignificationem; & hæc coarctatio poteſt fieri multis modis, uti per detractionem particularum univerſalium, quæ propoſitionibus præfiguntur, per appoſitionem adverbiorum, per mutationem temporum &c. ſic hæc propoſitio ***Æthyops eſt albus*** reſtringitur ſi quis addiderit ***ſecundum dentes***: & hæc altera ***divites ſunt beati*** reſtringitur pariter addendo ***in hoc ſæculo*** &c.

VIII. Quid alienatio. Alienatio eſt diſtractio termini à propria ad impropriam ſignificationem, ſive eſt acceptio termini pro ſignificato parumper alieno, uti allegorico, metaphorico, &c. Qualiter accidit cùm homo iratus vocatur leo, homo manſuetus vocatur agnus, &c. nam in his, & conſimilibus propoſitionibus iſti termini ***leo***, ***agnus***, &c. ad impropriam & alienam ſignificationem divertuntur.

IX. Quid appellatio. Appellatio denique eſt applicatio ſignificati unius termini ad ſignificatum alterius, qualis accidit in omni propoſitione, in qua ſignificatum prædicati applicatur ſignificato ſubjecti; quia verò ſignificatum utriuſque poteſt materialiter vel formaliter accipi, hinc exoritur diviſio appellationis in materialem & formalem. Materialis eſt in hac propoſitione ***Petrus eſt vox***: formalis eſt in hac altera ***Petrus***

Digitized by Google

eſt Philoſophus. Rurſus ſi quis dixerit *Petrus eſt magnus Philoſophus* referatque illam magnitudinem ad molem Petri, appellatio eſt materialis: ſi verò illam referat ad doctrinam Petri, appellatio eſt formalis. Et hæc quidem de proprietatibus terminorum hactenus dicta ſufficient: plura apud Summuliſtas videri poſſunt: at ea ſatis inutilia reputo.

ARTICULUS IV.

DE OPPOSITIONIBUS terminorum.

PRÆNOTANDUM eſt præter ſuperiores terminorum diviſiones adductas aliam tandem eſſe, quam in hunc locum diſtulimus, ſcilicet in terminos repugnantes, & non repugnantes. Non repugnantes ii ſunt, quorum ſignificata vel ſunt mutuo conjuncta, vel certe non renuunt conjungi in eodem ſubjecto; uti doctrina & pietas, gravitas, & extenſio, &c. Repugnantes autem ſunt è contra illi, quorum ſignificata nec conjuncta ſunt, nec conjungi poſſunt in eodem ſubjecto; uti doctrina & ignorantia; calor & frigus, &c. Et hæc repugnantia rurſus in quadruplicem oppoſitionem ſubdivitur ſcilicet relativam, privativam, contrariam, & contradictoriam. I. Quid ſit oppoſitio terminorum.

Itaque termini illi dicuntur relative oppoſiti, quorum ſignificata ſic ad invicem referuntur, ut neutrum ſub eadem ratione poſſit ſubire denominationem alterius: talis eſt relatio patris & filii; domini & ſervi; &c. quæ & impedit quominùs idem homo poſſit eſſe pater & filius, dominus & ſervus ſub eadem ratione, ſive quod idem eſt relative ad eundem terminum. Tum verò termini illi privative opponuntur, quorum ſignificata important hinc quidem formam, hinc privationem ejuſdem formæ; uti doctrina, & ignorantia; lux, & tenebræ; &c. Illi deinde opponuntur contrariè, quorum ſignificata obtinent activitatem contrariam, & reciproce ſic ad- II. Quotuplex ſit iſta oppoſitio.

Digitized by Google

verſam, ut ex eodem ſubjecto ſeſe expellant: uti calor & frigus: ac denique illi contradictorie opponuntur, quorum unus omninò negat quidquid alius affirmat, aut quorum ſignificata in nullo conveniunt; uti homo, non homo: lapis, non lapis; &c. His prænotatis breviter oſtendo in aſſertione ſequente nullum aliud genus oppoſitionis poſſe reperiri inter terminos.

ASSERTIO UNICA.

Præter præmiſſa quatuor genera oppoſitionis nullum aliud poteſt inter ullos terminos reperiri.

III. Oppoſitio contradictoria prævalet cæteris.

PROBATUR. Sumpris quibuſcunque duobus terminis neceſſe eſt vel utrumque eſſe poſitivum, vel tantummodò alterum: ſi igitur uterque eſt poſitivus, vel eſt poſitivus relativus, vel poſitivus abſolutus: ſi primum: jam obtinemus primò oppoſitionem relativam, qualis eſt inter patrem & filium: ſi ſecundum, obtinemus ſecundò oppoſitionem contrariam, qualis eſt inter calorem & frigus, aut ignem & aquam, &c. Deinde ſi è duobus terminis, unus tantum eſt poſitivus, conſequens eſt alterum eſſe vel privativum & ſic tertiò habes oppoſitionem privativam, qualis eſt inter lucem, & tenebras; motum & quietem: &c. vel negativum; & ſic quartò denique comparet oppoſitio contradictoria, qualis eſt inter hominem, & non hominem, &c. Neque ſuperfluum erit, ſi comparatis ad invicem quatuor iſtis oppoſitionum prædictarum generibus prætereà obiter aſſeratur oppoſitionem contradictoriam eſſe omnium maximam, ideo ſcilicet, quia inter terminos cæterarum datur aliquod medium vel reale, vel ſaltem intelligibile, quod poteſt de utroque negari: ſic inter calorem & frigus datur medium, ſcilicet tepor: inter relationes patris & filii datur medium, tale ſcilicet, cui conveniat eſſe nec patrem nec filium; ſic ſol nec pater, nec filius eſt, cum nec ab altero ſole genitus ſit, nec ſolem alterum genuerit. Rurſus inter lucem & tenebras datur medium, tale ſcilicet, de quo perinde negari poſſint lux, & tenebræ: ita lapis nec lucidus, nec tenebroſus eſt. At inter eſſe hominem, aut non hominem nullum medium eſt aſſignabile, & proinde merito aſſerunt Logici oppoſitionem contradictoriam eſſe maximam omnium. Præter hanc oppoſitionem quadruplicem terminorum quam & incomplexam vocant, datur alia æque multiplex propoſitionum, quæ complexa vocatur, & infra ſuo loco explicabitur.

Digitized by Google

Objicies. Leo & urſus ; vel aliter lapis & lignum , &c. ſunt duo termini , inter quos evidens eſt reperiri aliquam oppoſitionem ; quatenus ſignificata illorum obtinent naturas incompoſſibiles in eodem ſubjecto : atqui iſta oppoſitio non eſt ulla ex quatuor præmiſſis , ut examinanti ſatis patebit : ergo præter quatuor genera oppoſitionum prædictarum aſſignabile eſt quoddam aliud. Vel ex adverſo redargui poteſt diſcrimen , quod inter oppoſitionem privativam , & contradictoriam ſtatuitur in hoc , quod videns v. g. & cæcus ſint duo termini privative oppoſiti : videns autem & non videns oppoſiti contradictorie : nam una eademque eſt oppoſitio : omnis enim cæcus eſt non videns : neque minùs negatur potentia viſiva de Petro , ſi quis dixerit eum cæcum eſſe , quàm ſi quis dixerit non videre ; ergo &c.

IV. Proponitur oppoſitio diſparata addenda cæteris.

Reſp. Et nego majorem , ſi intelligitur de oppoſitione propriè dicta , quia ſcilicet prædicti illi termini perinde ac illorum ſignificata non habent inter ſe niſi oppoſitionem diſparatam , quæ univerſaliter reperitur inter res omnes , quarum una non eſt alia : at ad oppoſitionem proprie dictam id non ſufficit ; alioquin tot genera oppoſitionum admittenda eſſent , quot ſunt genera rerum. Ad id verò quod ex adverſo objicitur , dico non deeſſe diſcrimen inter eſſe non videntem & eſſe cæcum : nam licet cæcus non videat ; non eſt tamen cæcus quiſquis non videt ; nam lapis non videt , & nihilominus denominari cæcus non poteſt : quia cæcitas non qualemcunque importat carentiam potentiæ viſivæ , ſed carentiam in ſubjecto apto : lapis autem non eſt ſubjectum aptum ad viſionem. Et ſic privatio , quæ eſt unum extremum oppoſitionis privativæ , differt à negatione , quæ eſt quoque unum extremum oppoſitionis contradictoriæ ; quapropter hæc oppoſitio differt ab altera.

V. Sed non eſt oppoſitio proprie dicta.

DISPUTATIO QUINTA.

DE MODIS SCIENDI.

CUM Logica, ut ſupra dictum eſt, ſit veluti quædam janua ſcientiarum, ſive potius dux quædam, ac magiſtra viæ, quâ in orbe literario ad ſcientias acquirendas inceditur; ad illam proinde ſpectat tradere methodum ſciendi brevem, tutam, & facilem. Eo fine logici tractant de modis ſciendi, quos ad ternarium numerum revocant, ut patebit ex decurſu inſtitutæ diſputationis, quam in articulos quatuor diſtribuo. In *primò* quæritur quid, & quotuplex ſit modus ſciendi; in *ſecundò* quid ſit primus modus ſciendi, id eſt diviſio; in *tertiò* quid ſit ſecundus modus ſciendi, id eſt definitio: in *quartò* demum quid ſit tertius modus ſciendi, id eſt diſcurſus.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX ſit modus ſciendi.

I. **quid ſit modus ſciendis.** NOTANDUM eſt hic inveſtigari non qualemcunque modum ſciendi, ſed brevem, tutum, & facilem: tres autem hujuſmodi conditiones appono, quia cùm valde prolixum, incertum, atque aſperum ſit ad ſcientiarum acquiſitionem pervenire; nihil eſt in quo potiùs mens ſtudioſa ſuam collocare debeat operam, quàm in con-

Digitized by Google

quirenda, ac tenenda methodo, quæ brevitate prolixitatem, ſecuritate incertitudinem, facilitate ſua denique aſperitatem illam vel tollat, vel ſaltem minuat. Quæ ſi methodus deſit tam impoſſibile eſt quemvis doctum evadere, quàm vel abſque plantis progredi, vel abſque pennis volare, &c. Tum antequam ſtatuatur quotuplex ſit modus ſciendi, non prætermitto illum vulgò definiri his verbis. Modus ſciendi eſt ***oratio ignoti manifeſtativa***, ubi per illam orationem intelligenda eſt certa quædam dictio, aut dictionum complexio, quæ eſt detectio & expoſitio veritatis conquiſitæ: & ſic eſt ignoti, ſeu ante incognitæ veritatis manifeſtativa, & hac quidem definitio intelligitur de modo ſciendi jam obtento: nam ſi nondum obtinetur, nondum eſt oratio &c. ſed adhuc eſt modus inquirendi talem orationem. His prænotatis deinceps ſtabilietur quotuplex admittendus ſit modus ſciendi.

ASSERTIO UNICA.

Triplex tantum admittendus eſt modus ſciendi, ſcilicet diviſio, definitio, & argumentatio, ſive diſcurſus.

PROBATUR *primò.* Tot ſunt modi ſciendi, quot ſunt prænotiones neceſſariæ ad hoc, ut de aliqua re perfecta ſcientia obtineatur: ſed ad hunc effectum neceſſariæ ſunt tres prænotiones: ergo &c. Major conſtat: ſive quia modus ſciendi non eſt aliud, quàm ipſe modus præcognoſcendi quidquid requiritur ad ſcientiam: ſive etiam quia tales prænotiones ſunt veluti totidem viæ, per quas ad perfectam ſcientiam pergitur: modus autem ſciendi quid eſt, niſi via quæ conducit ad ſcientiam? Probatur minor. Ad perfectam de aliqua re ſcientiam obtinendam neceſſe eſt illam ſeparare per conſiderationem à cæteris: nam quandiu cum illis promiſcua, ac confuſa eſt, tandiu ignoratur. Deinde neceſſe eſt conſiderare illam in ſe ipſa; alioquin quomodò poteſt illius quidditas deprehendi? Ac denique neceſſe eſt dignoſcere tum unde, & qualitèr prodeat: tum ad quid & qualiter valeat efficiendum: tum ad quem finem, & ſtatum ordinetur: &c. nam alias ignoraretur quidditatis præconceptæ præſtantia, & extenſio. Jam itaque res quæcunque propoſita ſeparatur ab aliis per diviſionem, cognoſcitur in ſe ipſa per definitionem: ac denique ejuſdem tota præſtantia deprehenditur per diſcurſum, quo illius activitas, operatio, finis, ſtatus,

II. Scientia ſupponit tres prænotiones.

Digitized by Google

utiliras, & cætera omnia quæ comprehendit in ſuo veluti ſinu eſſentiæ, dignoſcuntur: ergo &c.

III. Et iſtæ tres prænotiones ſufficiunt.

Probatur *Secundò*. Ad perfectam de aliqua re ſcientiam obtinendam tantùm opus eſt non ignorare quæ, & qualis, & quotuplex illa ſit: ſed ad id non ignorandum ſufficiunt tres modi ſciendi, quales aſſignavimus, ſcilicet diviſio, definitio, & argumentatio: ergo &c. Major conſtat, quia nihil de aliqua re poteſt ſciendum proponi, quod ad illius quidditatem, aut qualitatem aut multiplicitatem non referatur. Minor autem facilè probatur; quia multiplicitas cujuſvis rei per diviſionem, quidditas per definitionem, & qualitas tandem per argumentationem detegitur: ergo &c. Ubi non dubito quin à me ratio exigatur ordinis hujus paululum inverſi, quo ſpretâ ſcholaſticâ aſſuetudine prænomino diviſionem definitioni: rationem itaque hanc reddo; quia impoſſibile eſt rem aliquam conſiderari præciſè in ſe ipſa, quin antecedenter præciſa ab aliis fuerit. Ita ſi quis à me interroget quid ſit canis, num antequam definiatur neceſſe eſt canem tereſtrem (cujus ſuppono definitionem inquiri) præſcindere à cani tum marino, tum cœleſti: quâ præciſione præmiſſa conſiderabitur in ſe ipſo, & aſſeretur eſſe animal latrabile, ſeu potiùs latrativum.

IV. Opponitur propoſitiones manifeſtare rem ignotam.

Objicies *Primò*. Modus ſciendi definitur oratio ignoti manifeſtativa: ſed ſi ita eſt, admittendi ſunt multò plures, quàm tres modi ſciendi, ergo &c. Probatur ſequela minoris; tum quia præter valde multiplicia definiendi, dividendi & diſcurrendi genera, quæ omnia, ac ſingula diverſiſſime ignotum manifeſtant, adhuc plura ſunt genera propoſitionum, quæ ignotum quoque manifeſtant: ut ſi quis alteri ignoranti proponat fluvios omnes è mari prodire; animam eſſe immortalem; verbum Divinum incarnatum fuiſſe, &c. ergo &c.

V. Sed hæc manifeſtatio non eſt ſcientifica.

Reſp. & diſtinguo majorem. Modus ſciendi definitur oratio ignoti manifeſtativa, ſcilicet manifeſtativa qualitercunque, nego majorem: ſcilicet manifeſtativa ſcientifice, concedo majorem: cujus diſtinctionis applicandæ ſimiliter ad minorem ratio facile intelligitur ex eo, quòd non hic inquiritur quotuplex ſit qualiſcunque modus ſciendi, ſed utique ſcientificus. At ſi mihi ignoranti quis proponeret fluvios omnes è mari prodire non capropter id ſcirem, tali utique ſcientia, quæ in ſenſu ſtricto & rigoroſo accipitur; niſi inſuper adduceret mihi cauſam, ob quam fluvii illi è mari prodeunt, & probaret adhibita argumentatione, quin etiam advocatâ ſi opus foret in ſubſidium idoneâ aliquâ diviſione, aut definitione hinc maris, hinc fluviorum.

VI. Oppo-

Objicies *Secundò*. Modus ſciendi idem eſt ac methodus ſciendi: atqui

atqui methodus ſciendi non eſt tantùm triplex : ergo &c. Probatur minor : tum quia non aliter diſcurrendum eſt in hoc caſu circa ſcientias , quàm circa artes : at in artibus tam docendis , quàm addiſcendis methodus non eſt tantùm triplex , cùm ſinguli ferè artifices pro operibus ſingulis peculiarem adhibeant. Tum etiam, quia methodus multiplicatur pro numero præceptorum , ex quibus conſtat : plurima autem ſunt præcepta ſive prævia documenta , ex quibus conſtat vera & perfecta methodus ſciendi , uti videre eſt apud Carteſium in prolixa illa diſſertatione , quam conſcripſit de methodo , tantòque pluris facienda , quantò plures ipſe eâdem uſus ſcientias acquiſivit , pro quibus & meruit vir ſui ſæculi eruditiſſimus reputari : ergo &c.

Sunt multas eſſe methodos ſciendi , ideoque modos.

Reſp. Modum ſciendi non accipi hìc à logicis pro quacunque methodo ſciendi , ſed pro methodo proxima ac ſcientifica. Unde primò conſtat ſcientias nihil habere commune cum artibus quantùm ad methodum illam variam ac multiplicem , quam in ſuis operibus elaborandis artifices quotidie adinveniunt , mutant , perficiunt. Sicut etiam ſecundò conſtat non eſſe pro totidem modis ſciendi recipienda documenta illa plurima, quibus mens imbuenda eſt,& præparanda antequam ſeriò incumbat ſcientiis comparandis : talia autem ſunt documenta illa , quæ Carteſius in diſſertatione laudata congerit , uti quòd ſecedendum ſit à tumultu , valedicendum præjudiciis , non parcendum labori , aut ſumptui in experimentis faciendis , in itinerationibus peragendis , in conquirendis eruditorum hominum colloquiis , &c. Tum verò ſi de modis ſciendi ſtrictè ſumptis , id eſt proximis , & ſcientificis agitur conſtat Carteſium etſi à vulgari Logicorum locutione receſſerit , non alios agnoviſſe , quàm quos propugnamus ; poſtquam enim numero ſecundo citatæ diſſertationis ſtatuit nihil pro vero admittendum , niſi quod ſublata omni præcipitantia & anticipatione judicii certò & evidenter cognoſcitur , ſtatim ſubjungit hæc verba ***Alterum ut difficultates , quas eſſem examinaturus , in tot partes dividerem , quot expediret ad illas commodiùs reſolvendas.*** Ecce diviſionem. ***Tertium ut cogitationes omnes quas veritati quærendæ impenderem , certo ſemper ordine promoverem , incipiendo ſcilicet à rebus ſimpliciſſimis*** &c. Ecce definitionem. ***Ac poſtremum ut tum in quærendis mediis , tum in difficultatum partibus percurrendis , tam perfectè ſingula enumerarem , & ad omnia circumſpicerem, ut nihil à me omitti eſſem certus.*** Ecce denique diſcurſum : & ſic abunde ſolvitur objectio.

VII. At non omnis methodus eſt modus , de quo agitur.

O

Digitized by Google

ARTICULUS II.

QVID SIT DIVISIO, SEV primus modus ſciendi.

I. Unde prodeat rerum confuſio.

CIRCA diviſionem, antequam definiatur, dico frequentiſſime, ac fere ſemper contingere, ut quidquid ſciendum proponitur, id multis ſive rerum, ſive ſenſuum ambiguitatibus ſit obvolutum; proceduntque illæ ambiguitates ex compoſitione ſive phyſica, ſive metaphyſica rei ſciendæ; nec ad illas tollendas quicquam oportunius eſt, quàm ſi res ſcienda dividitur in ſuas partes, aut quaſi partes ſeorſim deinceps conſiderandas. Atque ut id exemplo comprobem, cùm primo quodam intuitu multitudinem hominum conſpicis, intuitio illa confuſa eſt, nec dignoſcis ſingulorum ſive veſtes, ſive arma, ſive capillaturam, &c. quid igitur ad confuſionem illam emendandam præſtas? niſi quòd tuo intuitu multitudinem illam quaſi partiris conſpiciendo & advertendo ſingulos ſucceſſive; atque ita viſio, quæ ab initio confuſa fuit & indiſtincta, per tuam illam diviſionem, ut ſic loquar, ocularem clara & diſtincta evadit. Illud ipſum itaque confuſionis vitium, quod accidit viſioni, accidit etiam intellectioni, quæ diſtincta evadere non poteſt, niſi attendendo ſeorſim ad omnia ſeu partium, ſeu quaſi partium, id eſt partialium perfectionum genera, quæ veluti in ſinu rei ſciendæ continentur; uti ſi proponitur ſciendum quid ſit animal, illud in ſuas ſpecies, vel certe in notiores dividendum eſt, & ſic de cæteris; Certum deinde eſt nullam eſſe cognitionem ſcientificam, quæ non ſit diſtincta; cùm itaque non poſſit hæc diſtinctio abſque prævia diviſione obtineri, hinc etiam patet diviſionem eſſe primum modum ſciendi.

II. Quid ſit diviſio confuſio.

His præmiſſis multò faciliùs intelligetur definitio diviſionis tradi ſolita in hunc modum. Diviſio eſt ***oratio explicans partes rei***, ſive aliter eſt oratio, ***quæ totum in ſuas partes diſtribuit.*** Atque ut in h c definitione nihil obſcurum lateat, dico cognitionem cujuſcunque totius

pendere à cognitione partium, ex quibus conſtat; at iſtæ partes non poſſint cognoſci niſi conſiderentur ſeorſim, & explicentur; ideoque diviſio nihil aliud eſt, quàm diſtributio quædam, ac proinde explicatio partium, ſeu quaſi partium, ex quibus conſtat illud totum, quod noſtræ intellectioni offertur. Dico ***ſeu quaſi partium***, quia ſi totum quod intellectioni noſtræ offertur, non eſt niſi metaphyſicum, non conſtat, ut evidens eſt, ex partibus; ſed ex perfectionibus, quæ pro partibus reputantur. Cùmque non poſſit diſtributio illa, ſeu explicatio partium fieri, niſi adductis verbis, quæ ſint ad hunc effectum idonea, inde fit ut diviſio dicatur oratio, ſeu quædam verborum complexio importans enuntiationem partium, ex quibus totum, quod diviſibile nominamus, conſurgit: partes autem vocari ſolent membra dividentia. Nec omitto complexionem enuntiativam partium, ex quibus conſtat prædictum illud totum diviſibile, aut aliter diviſum, vel eſſe imperfectam, id eſt abſque copula; ut ſi quis dixerit ***animal aliud rationale, aliud irrationale***; vel perfectam, id eſt cum copula; uti ſi quis dicat ***animal aliud eſt rationale & aliud irrationale.*** Diviſio itaque priori modo enuntiata pertinet ad apprehenſionem complexam: enuntiata autem modo poſteriori pertinet ad judicium; & idem poſtmodùm dicam de definitione. **ni oppoſita.**

III. Alia diviſio eſt realis, & alia rationalis.

Deinde totum quod ſubjacet diviſioni aut conſtat ex partibus ſola ratione diverſis', aut ex partibus diverſis realiter; unde ſequitur diviſionem aliam eſſe pure rationalem, cujus ſcilicet membra non niſi per conſiderationem mentis diſtinguuntur, & aliam realem, cujus membra ſcilicet diſtinguuntur independenter à conſideratione mentis. Sic diviſio animæ rationalis in potentias intelligendi, volendi, & memorandi, quas continet, vocabitur rationalis; & è contra diviſio hominis in animam & corpus eſt diviſio realis; quia diſcrimen corporis ab anima eſt reale; diſcrimen verò inter prædictas animæ potentias non eſt, niſi intelligibile; ut ſuo loco probabitur.

IV. Alia metaphyſica, & alia phyſica.

Præterea alia eſt diviſio metaphiſica, ſeu potentialis; & alia phyſica, ſeu actualis. Prior eſt diviſio totius cujuſdam abſtracti in partes, quas ſolâ potentiâ continet; uti cum animal in rationale, & irrationale dividitur. Poſterior è contra eſt diviſio totius cujuſdam concreti in partes, quas actu continet; uti cum homo dividitur in animam & corpus. Et hæc diviſio phyſica adhuc triplex eſt, ſcilicet eſſentialis, integralis, & accidentalis. ***Prima*** eſt diviſio totius phyſici in partes eſſentiales, qualis eſt diviſio hominis in corpus, & animam. ***Secunda*** eſt diviſio totius phyſici in partes integrantes, qua-

lis eſt diviſio corporis humani in manus, pedes, oſſa, ungues, &c. Ac *tertia* denique eſt diviſio totius phyſici in accidentia, quæ complectitur; uti ſi quis dixerit, corporis humani accidens aliud eſſe albedinem, aliud ſanitatem, aliud ſenectutem, &c.

V. Quæ ſint leges bonæ diviſionis.

Ad hæc addo tres vulgò circumferri leges bonæ diviſionis. ***Prima eſt***, ut ſingula membra dividentia ſeorſim ſumpta minus latè pateant, quàm diviſum; & hæc quidem in hoc fundatur, quòd diviſum habeat rationem totius, ſicut quodlibet membrum dividens habet rationem partis: at omne totum eſt majus ſua parte; quo pacto hæc diviſio non eſt legitima, ***animal aliud eſt ſenſitivum, aliud loco-mobile***, quia ſenſitivum tam late patet, quàm animal: ***Secunda eſt***, ut omnia membra dividentia ſimul ſumpta adæquent diviſum; & hæc ſic ſtatuenda eſt, quia in toto nihil eſt præter partes, ex quibus conſtat; atque ita partes omnes tam late patent quàm totum; unde ſignum eſt non enumerari omnes pro diviſione complenda, quando illæ quæ enumerantur non tam late patent, quàm totum: eapropter hæc diviſio non eſt legitima, ***animal aliud eſt bipes, alìud quadrupes***, cum non deſint animalia, quæ neque bipeda ſunt, neque quadrupeda. ***Tertia*** denique lex eſt, ut membra dividentia ſint oppoſita; & eâ quidem oppoſitione, ut unum non contineatur in alio: in hoc autem prædicta lex ſtabilitur, quatenus membra dividentia ſunt partes totius, quod dividitur; omnis autem pars eſt extra aliam. Quapropter vitioſa erit hæc diviſio, ſi quis dicat, ***animal aliud eſt rationale, aliud irrationale, aliud hinnibile***, quia ſcilicet hinnibile continetur ſub irrationali.

VI. Iſtæ leges pro quacunque alia diviſione obſervari debent.

Ad hanc itaque triplicem legem maxime attendendum eſt non ſolum quoties agitur de diviſione alicujus rei in ſuas partes aut metaphyſicas, aut phyſicas; ſed etiam quando agitur de diviſione alicujus propoſitionis in varios ſenſus, in quibus poteſt accipi; aut de diviſione alicujus nominis in varias ſignificationes, in quas diſtrahitur; aut etiam de diviſione alicujus ſermonis in varias materias; aut actionis in ſuas circumſtantias, &c. Et ſic quidem neceſſariò ad præmiſſas leges attendendum eſt, ut nihil indubitatius ſit, quàm ex illarum inadvertentia aut contemptu ſuboriri frequentiùs quæcumque in humanis ſeu colloquiis, ſeu ſcriptis æquivoca, ambigua, ſophiſtica, incongrua, abſurda &c. deprehenduntur.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

QUID SIT DEFINITIO, ſeu ſecundus modus ſciendi.

OPTIMA ſciendi methodus ex jam dictis, hæc eſt, ut rei quæ ſcienda proponitur, diviſio ſtatim fiat in partes, aut quaſi partes, ex quibus compoſitio illius ſive phyſica, ſive metaphyſica conſurgit. At poſtquam præceſſit hæc diviſio, neceſſe eſt, ut conſequatur talium partium, aut quaſi partium ſingularis conſideratio, per quam dignoſcatur, quid inter ſe mutuum habeant, quid diverſum; atque hoc pacto definietur quid illæ ſint. Tum verò ad conſiderandam rem aliquam in ſe ipſa, pervidendumque illud utrumque, per quod hinc convenit cum cæteris, hinc à cæteris differt, requiritur curioſa ac diuturna attentio, ne quid præcipitanter & anticipate proferatur; ut ab illis proferri ſolet, qui de quavis re propoſita enunciant eam in eo conſiſtere, quod primò cogitaverint, aut quod audierint fuiſſe ab aliis cogitatum. Verum quidem eſt plures eſſe, quorum perſpicaci, an potius felici, ingenio celerrime ac diſtinctiſſimè occurrunt ideæ rerum; ſed neque in tam celeri ac diſtincto occurſu confidendum eſt: ac præſertim, maximeque cavendum à præſumptione, quâ reputant pro veriſſimo quidquid ſic apprehenderint: poteſt enim fieri ut propter varias affectiones, & præoccupationes mentis, ac non utique operantis independenter ab organis, quorum diverſiſſima complexio eſt, ejuſdem rei non eadem idea occurrat omnibus. Quare vehemens me ſemper tenuit admiratio talium hominum, qui nullam, niſi in ſuis diſquiſitionibus veritatem agnoſcunt: quaſi verò humanum non ſit errare in multis, aut ſaltem poſſe.

I. Diviſio præcedere debet definitionem.

His præmiſſis jam faciliùs intelliges quid ſit definitio definiri ſolita in hunc modum. Definitio eſt ***oratio explicans naturam rei***: & eſt quidem oratio, quia neceſſe eſt, ut perinde ac diviſio tradatur,

II. Quid ſit definitio.

& contineatur quibuſdam verbis, quorum complexio ***oratio*** in ſcholis vocatur, aut perfecta, ſi conſtat ex verbis copulatis; aut imperfecta ſi copula abſit, & tunc quidem refertur ad apprehenſionem complexam; ut è contra ſi copula adeſt, ad judicium revocatur. Deinde eſt etiam ***oratio explicans***, quia niſi definitio perinde ac diviſio explicet rem inquiſitam, hæc erit ſicut ante recondita, ac proinde neſcietur; ad quid autem deſerviunt modi ſciendi, niſi ad ingerendam rei inquiſitæ notitiam? Denique quid explicat hæc oratio? ***naturam rei***; & hæc eſt explicatio ſingularis, per quam differt definitio à diviſione, quæ ſcilicet non explicat naturam, ſed partes rei. Explicare autem naturam alicujus rei nihil aliud eſt, quàm exponere id, per quod cum cæteris illa communicet, & à cæteris differat; hæc enim expoſitio plane opponitur confuſioni, quæ nos occupat, donec noverimus qualiter illa ſit diſtincta, aut indiſtincta à cæteris. Hinc patet omnem definitionem conſtare ex genere, & differentia; ac præterea illam tantò præſtantiorem eſſe, quantò conſtat ex genere & differentia proximiori, quia nimirum hæc major proximitas tum generis, tum differentiæ clariùs exprimit, quæ & qualis ſit ea res, quæ definitur, ſive quæ ad determinatam aliquam ſpeciem limitatur: quo pacto rectiùs definies hominem, ſi dixeris illum eſſe animal rationale, quàm ſi diceres illum eſſe ens riſibile.

III. Definitio alia eſt rei, & alia nominis.

Inſuper præter definitionem rei alia eſt, quæ vocatur definitio nominis; & non eſt niſi nominis quædam explicatio conſiſtens in mutatione verborum, quorum ſignificatio notior cùm ſit, manifeſtat quid ſoleat intelligi per nomen, quod definitur. Sed ſciendum eſt hanc definitionem quandoque eſſe pure nominalem, & quandoque realem ex parte: tunc eſt pure nominalis, quando id, cujus nomen explanatur, non eſt à parte rei, ſed tantùm in conceptu loquentis; uti cùm definitur punctum mathematicum, aut chimæra, &c. tunc verò eſt realis ex parte, quando ſimul cum explicatione nominis fit explicatio rei, quæ eo nomine deſignatur; uti ſi ignoranti quid nomine maris aut trianguli, &c. ſignificetur, dixeris mare eſſe congregationem aquarum, & triangulum eſſe figuram, quæ conſtat tribus lineis, quatenus nimirum congregatio aquarum, figura triangularis, &c. ſuiit quid reale, & exiſtens independenter à conceptu loquentis. Obiter autem adverto ad vitandas innumeras diſſenſiones, quæ de nomine in ſcholis paſſim, atque in commerciis humani convictus excitantur, nihil tam prodeſſe, quàm ſi ante omnem controverſiam adducantur definitiones nominum, quæ veniunt in uſum controverſiæ; nam quia ſpernuntur,

Digitized by Google

frequentiſſime accidit ut in plures dies & annos trahatur jurgium, quod paucula præmiſſæ definitionis verba illicò placarent.

IV. Alia eſt eſſentialis, & alia accidentalis.

Tum definitio realis in eſſentialem, & accidentalem dividitur: hæc naturam rei non explicat, niſi proferendo proprietates aut perfectiones illius accidentales: illa verò profert perfectiones eſſentiales; & eſt metaphyſica, vel phyſica prout partes illæ verbis aut metaphyſicis, aut phyſicis enuntiantur: ita hæc definitio hominis, ***homo eſt animal rationale***, eſt definitio eſſentialis metaphyſica; & hæc altera eſt eſſentialis phyſica, ***homo eſt ens naturale conſtans corpore organico & anima rationali.*** Nec omitto definitiones accidentales, quas aliter deſcriptivas vocant, etſi multò minùs accuratæ ſint, quàm eſſentiales, eſſe tamen uſitatiores: quia ſcilicet perfectiones rei eſſentiales difficillime, & è contra accidentales facillime deteguntur, ſi minùs omnes; at ſaltem plurimæ, quarum enumeratio ſufficit ad ingerendam notitiam rei.

V. Quæ ſint leges bonæ definitionis.

Denique in omni definitione conficienda tres leges obſervandæ ſunt. Prima eſt, ut definitio æque late pateat ac definitum; quia niſi æque late pateret, non explicaret naturam totam rei definitæ: hinc definitio, & definitum dicuntur de ſe mutuò ad convertentiam, ſic ut quemadmodum v. g. omnis homo eſt animal rationale, ita omne animal rationale ſit homo. Secunda eſt ut omnis definitio ſit per ſe clarior ſuo definito; quia nimirum eſt explicatio illius, omnis autem explicatio per ſe clarior eſt; quamvis per accidens poſſit contingere, ut quis v. g. audito nomine ***motus*** clarius dignoſcat ideam eo nomine importatam, quàm ſi audiret definitionem Ariſtotelicam, quâ motus dicitur ***ens in potentia prout in potentia.*** Tertia denique eſt, ut omnis definitio quàm pauciſſimis verbis comprehendatur; ideo ſcilicet, quia definitiones verboſiores non tam explicant, quàm confundunt naturam rei; ſic tamen à prolixitate abſtinendum eſt, ut non incidatur in alterum extremum nimiæ brevitatis, quæ ſuo quoque modo confuſionem ingenerat. Abſtinendum quoque eſt à verbis metaphoricis, quibus connaturale eſt rerum naturas non germanis, ſed extraneis conceptibus, ſeu ideis obvolvere: nihilominùs non ſunt prorſus inutiles definitiones metaphoricæ, ut maxime apud Poetas videre eſt, modò diſcernantur, abſitque periculum confundendi illas cum cæteris.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

QUID SIT DISCURSUS, SEU tertius modus ſciendi.

I. Quid ſit comprehenſio rei.

PRÆTER unum & alterum modum ſciendi, quem jam retulimus, ſupereſt tertius referendus, quem vocant diſcurſum, ſeu aliter argumentationem: & hic quidem ad obtinendam latitudinem ſcientiarum omninò deſideratur; namque illæ intra anguſtiſſimos terminos continerentur, ſi in ſuis reſpectivè objectis hinc dividendis, hinc definiendis hærerent. At longe ulteriùs promoventur per diſcurſum, quo ſcilicet mens ex una propoſitione deducit aliam, & ex iſta rurſus aliam &c. Ut autem noveris quare, & qualiter fieri hæc deductio poſſit, attende mentis noſtræ perſpicaciam non eò tantùm aſſurgere, ut rei naturam apprehendat, & de apprehenſa dijudicet; ſed eam inſuper aliquatenus comprehendat; quaſi talem naturam profundiori quodam intuitu penetrando, pervidendoque in ea proprietates, operationes, origines, dependentias, & uno verbo plurimas, ſive quæ ab intrinſeco, ſive quæ ab extrinſeco ſunt ejuſdem affectiones. Atque hinc oritur, ut propter prædictam comprehenſionem tot propoſitiones aliæ ex aliis deduci poſſint, quot ſunt proprietates, operationes, origines, &c. quæ in natura comprehenſa deprehenduntur. Neque taceo comprehenſionem hanc, de qua loquor, non eſſe perfectam, qualis eſt Angelica; ac præſertim Divina, quæ primo intuitu attingit quidquid eſt cognoſcibile in objecto; ſed eſt imperfecta, nec niſi ſtudio, ac labore acquiritur, ſicque paulatim promovetur. His præmiſſis jam faciliùs intelligetur quid ſit iſte tertius modus ſciendi.

II. Quid ſit diſcurſus

Diſcurſus itaque definiri ſolet ***oratio, per quam unum ex alio infertur.*** Dicitur ***oratio***, ſed ſubintelligi debet complexa, quæ duas adminùs propoſitiones complectitur, quarum una antecedens, & altera vocatur conſequens: additur deinde ***per quam unum infertur ex alio***, ideoque ſic additur; quia duæ illæ propoſitiones, quæ ad minus, ut dixi,

dixi ſunt in diſcurſu, non debent eſſe quaſi diſparatæ, aut diſſolutæ; ſed ſic connexæ, ut una ex altera conſequatur. Prætetea in omni diſcurſu apponitur particula *ergo*, aut alia æquivalens illativa, eo ſcilicet fine, ut dignoſcatur propoſitionem conſequentem deduci ex antecedente propter dependentiam illius ab iſta: atque in iſta dependentia fundatur vis tota conſequentiæ.

III. Quid & quotuplexſit conſequentia.

Tum conſequentia, quæ in prædicta dependentia conſiſtit, dividitur à Logicis in materialem & formalem. Conſequentia materialis illa eſt, per quam ex veritate antecedentis ſequitur veritas conſequentis vi materiæ, hoc eſt, vi connexionis rei, quam includit antecedens cum illa, quam includit conſequens: uti ſi quis ita diſcurrat, ***Petrus eſt ſubſtantia: ergo eſt homo***: hæc conſequentia eſt tantùm vera materialiter propter connexionem realem, quæ reperitur inter humanitatem & ſubſtantiam. Conſequentia autem formalis eſt illa, per quam veritas conſequentis ſequitur ex veritate antecedentis vi formæ, id eſt vi diſpoſitionis ac ſignificationis terminorum magis univerſalium, ut in hoc diſcurſu, ***Petrus eſt ſubſtantia: ergo eſt ens***: quia enim omnis ſubſtantia eſt ens, ideo ens infertur formaliter ex ſubſtantia: ſed non poteſt ſic inferri humanitas ex ſubſtantia, quia non omnis ſubſtantia eſt humanitas. Hinc quia conſequentia formalis pro conſequentia proprie & verè dicta accipitur, ſeu pro illa formali dependentia, quâ conſequens ex antecedente colligitur; hinc inquam ſæpe accidit, ut conſequens ſit verum, conſequentia autem falſa, ut ſi quis dixerit ***Petrus eſt animal: ergo eſt homo***: licet enim verificetur Petrum eſſe hominem; non tamen eſt homo, propterea quòd eſt animal: ſicut etiam aliquando conſequens falſum eſt, conſequentia autem vera; ut ſi quis diceret ***Petrus eſt leo: ergo eſt rugibilis***; nam falſum eſt Petrum eſſe rugibilem, & nihilominus rectè infertur rugibilitas iſta ex antecedente præmiſſo, cujus veritas, ſi quæ eſſet, ſecum neceſſariò traheret veritatem conſequentis.

IV. Quomodò diſcernitur conſequentia formaliter vera.

Neque valde arduum eſt diſcernere conſequentiam formaliter veram ab ea, quæ eſt tantùm materialiter vera, ſcilicet utendo hac methodo, quâ termini mutentur immutata eorum diſpoſitione: ſic quippe deprehendes in hoc diſcurſu ***Petrus eſt ſubſtantia; ergo eſt homo***, conſequentiam eſſe tantùm veram materialiter, quia ſi terminus ***homo*** commutetur in alium ut ***arbor***, non erit conſimiliter vera hæc illatio, ***Petrus eſt ſubſtantia: ergo eſt arbor.*** At quando conſequentia eſt formaliter vera, nihil obeſt commutatio terminorum modò eadem diſpoſitio retineatur: ita quia hæc conſequentia eſt vera formaliter ***Omnis homo eſt riſibilis: ergo Petrus eſt riſibilis***, quamvis pro riſibi-

Digitized by Google

li rugibile ſubſtituatur, perinde conſequentia vera erit; ut ſi quis diceret ***omnis homo eſt rugibilis: ergo Petrus eſt rugibilis***; & ſic de cæteris. Neque omitto medium, quod ad eruendam conſequentiam aſſumitur, quandoque vocari argumentum: quod utique obiter inſinuo eo tantùm fine, ut faciliùs intelligatur hæc altera definitio diſcurſus, ſeu argumentationis tradi à quibuſdam ſolita in hunc modum. Diſcurſus eſt ***oratio, in qua ex argumento explicato*** ſcilicet in antecedente, aut quod idem eſt in præmiſſis, ***altera pars quæſtionis, vel contradictionis concluditur.*** Quod idem eſt, ac ſi diceretur. Diſcurſus eſt oratio, in qua ex antecedente, quod utique continet motivum illationis, infertur unum aut alterum, quod in quæſtionem vertitur: uti ſi in quæſtionem verteretur an Logica ſit addiſcenda nec ne, & ergo ſic diſcurrerem: ***Logica eſt utilis ad eruditionem obtinendam, ergo eſt addiſcenda***, manifeſtum eſt, qualiter hic diſcurſus eſt oratio, in qua ex argumento explicato altera pars quæſtionis concluditur.

V. Afferuntur quatuor leges pro conſequentia formaliter vera.

Deinde quatuor circumferri ſolent leges in inferenda conſequentia formaliter vera obſervandæ: & quæ proinde ſunt, quoties obſervatæ comperiuntur, totidem probationes debitæ illationis. ***Prima*** eſt, ut quidquid repugnat conſequenti, repugnet antecedenti. ***Secunda*** eſt, ut quidquid ſtat cum antecedente, ſtet cum conſequente. ***Tertia*** eſt, ut ex quocunque ſequitur antecedens, ſequatur conſequens. ***Quarta*** demum hæc eſt, ut quidquid ſequitur ex conſequente, ſequatur ex antecedente. Explico ſingulas, modò breviter præmiſerim illas omnes radicari & ſtabiliri in hoc inconcuſſo principio, quo ſcilicet comprobatur neceſſe eſſe, ut conſequens totum in antecedente contineatur: nam aliter quomodo educi ex illo poteſt? At minime neceſſe eſt, ut antecedens contineatur viciſſim in conſequente, quia ex iſto non eruitur; imo impoſſibile eſt ut contineatur, non minùs quàm impoſſibile ſit arcam, quæ nummos continet, in nummis reciproce contineri.

VI. Explicatio primæ legis.

Explicatur prima lex. ***Quidquid repugnat conſequenti, repugnat antecedenti***, hoc eſt, in rectà argumentatione quæcunque propoſitio opponitur veritati conſequentis, opponitur etiam veritati antecedentis. Et ratio hæc eſt, quia quidquid repugnat conſequenti, repugnat contentis in antecedente, iis omnibus ſcilicet: quæ utcunque ſpectant ad illationem hujus conſequentis, quod utique continetur in antecedente. At quidquid repugnat contentis in antecedente, repugnat etiam antecedenti: quatenus antecedens non differt ab illis; ſicut nec totum à ſuis partibus, nec partes à ſuo toto viciſſim differunt.

Ergo &c. in exemplum eſto iſte diſcurſus, ***homo eſt animal : ergo eſt vivens*** ; oppoſitum itaque conſequentis eſt ***non vivens*** : at ***non vivens*** opponitur etiam antecedenti, quia quidquid non vivit, non eſt animal ; ac proinde hæc propoſitio ***homo non eſt vivens***, quæ veritati propoſitionis prædictæ conſequentis opponitur, etiam opponitur veritati antecedentis, ut patet.

Explicatur ſecunda lex. ***Quidquid ſtat cum antecedente, ſtat cum conſequente.*** hoc eſt, quæcunque propoſitio conciliatur cum veritate antecedentis, conciliabitur etiam cum veritate conſequentis. Et ratio eſt, quia quidquid ſtat cum antecedente, ſtat cum iis omnibus, quæ in antecedente continentur : at conſequens continetur totum in antecedente: ergo &c. Sit in exemplum iſte diſcurſus. ***Petrus eſt rationalis : ergo eſt vivens***: quoniam riſibile v. g. ſtat cum rationali, ſtabit etiam cum vivente: & ſic hæc propoſitio, ***Petrus eſt riſibilis***, quæ conciliatur cum veritate illius antecedentis, ***Petrus eſt rationalis*** ; conciliabitur quoque cum veritate hujus conſequentis, ***Petrus eſt vivens.*** VII. Explicatio ſecundæ legis.

Explicatur tertia lex. ***Ex quocunque ſequitur antecedens, ſequitur conſequens***, hoc eſt, conſequens poteſt inferri ex ea omni propoſitione, ex qua infertur antecedens. Et ratio eſt, quia ex quocunque ſequitur antecedens, ſequuntur pariter omnia, quæ continentur in antecedente : at conſequens continetur in antecedente : ergo &c. Pro exemplo accipe hunc diſcurſum ***homo eſt vivens : ergo eſt ſubſtantia*** : quoniam vita hominis recte infertur ex animalitate v. g. ex eadem quoque inferetur ſubſtantia ejuſdem hominis : & ſic quia ex iſta propoſitione, ***homo eſt animal***, recte infertur, ergo ***homo eſt vivens*** : recte etiam inferri poteſt, ergo ***homo eſt ſubſtantia.*** VIII Explicatio tertiæ legis.

Explicatur quarta lex. Quidquid ſequitur ex conſequente, ſequitur ex antecedente, hoc eſt, omnis propoſitio, quæ infertur ex conſequente, poteſt pariter inferri ex antecedente. Et ratio eſt, quia quidquid ſequitur ex conſequente, ſequitur ex eo, in quo conſequens continetur : ſed conſequens, ut toties dictum eſt, continetur in antecedente : ergo &c. Sic in iſto diſcurſu, ***Petrus eſt doctus : ergo eſt rationalis***, quoniam riſibile v. g. ſequitur ex rationali, ſequitur etiam ex docto : atque ita ſicut ex iſta propoſitione ***Petrus eſt rationalis*** inferri poteſt, ***ergo eſt riſibilis***, proinde ex altera antecedente ***Petrus eſt doctus*** inferri ſimiliter poteſt, ***ergo eſt riſibilis.*** IX. Explicatio quartæ legis.

Unde jam ſatis patet prædictas omnes, ac ſingulas leges pendere ex eo univerſali principio, quo ſtatuitur neceſſe eſſe ad conſequentiam legitimam, ut conſequens contineatur in antecedente, ex quo proinde non infertur, niſi præciſe quatenus continetur. Hinc intel- X. Qualiter veritas conſequentis

pendeat ex veritate antecedentis.

ligis tale omninò eſſe conſequens, quale eſt antecedens non tantùm quoad veritatem, aut falſitatem; ſed etiam quoad omnem modum utriuſque. Ita ſi antecedens eſt neceſſariò verum, conſequens quoque erit neceſſariò verum: ſi illud non eſt niſi probabiliter verum, neque veritas iſtius erit plus quàm probabilis; & idem dic de falſitate. Itaque pro axiomate tutiſſimo recipitur conſequens ex antecedente non poſſe deduci, niſi quatenus, & qualiter in antecedente continetur. Nec minùs tutum eſt hoc axioma alterum, quod apud Logicos palmare eſt. ***Ex contradictorio conſequentis infertur contradictorium antecedentis***: & ratio eſt, quia contradictorium antecedentis continetur in contradictorio conſequentis; quod non difficilè capies hoc exemplo, ***homo eſt animal; ergo eſt ſubſtantia***: ubi contradictorium antecedentis eſt ***non animal***; contradictorium verò conſequentis ***non ſubſtantia***: at negatio animalis continetur in negatione ſubſtantiæ: quia enim ſubſtantia eſt gradus ſuperior animali, prius proinde eſt hominem eſſe ſubſtantiam, quàm eſſe animal: ergo ſi non fuerit ſubſtantia, non erit animal; ſicque ex contradictorio conſequentis bene infertur contradictorium antecedentis, ut dictum eſt. Diſcurſus, de quo hucuſque actum eſt in varias ſpecies dividitur, de quibus tamen continenter non ago, ſive quia tractatus earum integram diſputationem meretur, ſive potiùs quia ad earum intelligentiam prærequiritur notitia propoſitionum, de quarum quidditate, & differentia, & proprietate multiplici agam in diſputatione ſequente, quæ mihi viſa fuit alteri præmittenda.

Digitized by Google

DISPUTATIO SEXTA.

DE PROPOSITIONIBUS.

HÆC diſputatio quatuor articulis abſolvetur : in *primò* agam de quidditate ac multiplici differentia propoſitionum : in *ſecundò* de prima earum proprietate, quæ eſt oppoſitio : in *tertiò* de ſecunda proprietate, quæ eſt æquipollentia, & in *quartò* denique de tertia proprietate, quæ eſt converſio.

ARTICULUS I.

DE QUIDDITATE AC multiplici differentia propoſitionum.

JAM ſupra actum eſt de terminis, qui ſpectant ad primam mentis operationem; ex terminis autem adunatis gignuntur propoſitiones, quæ pertinent ad ſecundam, cùm neceſſario includant vim alicujus judicii aut affirmativi, aut negativi; aut veri, aut falſi; aut ſimplicis, aut compoſiti; &c. Hinc facilè intelligetur definitio propoſitionis tradi ſolita his verbis. Propoſitio eſt *oratio, in quâ unum enuntiatur de alio* ſcilicet affirmative, aut negative : & hæc definitio vocatur meritò eſſentialis, quia id primum, quod in omni propoſitione concipi- **1. Una & altera definitio propoſitionis.**

tur, eſt affirmatio, aut negatio unius de altero, prædicati ſcilicet de ſubjecto. Tum quia omnis affirmatio pariter, ac negatio eſt rei vel ut eſt, vel aliter quàm eſt, quod idem eſt ac utramque eſſe veram, aut falſam; hinc traditur altera definitio propoſitionis in hunc modum. Propoſitio eſt ***oratio ſignificans verum vel falſum***; ſive aliter, eſt oratio vera, aut falſa: quam definitionem ſatis patet non eſſe eſſentialem, ſed accidentalem, ſeu deſcriptivam: ſatis inquam patet ex eo, quòd veritas, & falſitas ex affirmatione, & negatione ſubſequantur veluti proprietates ex eſſentia: neque enim ideo aliqua propoſitio eſt affirmativa, aut negativa, quia eſt vera aut falſa; ſed è contra eſt vera, aut falſa propter affirmationem, vel negationem rei, quæ ſic eſt, vel eſt aliter quàm profertur.

II. Materia, quantitas, qualitas propoſitionis.

Deinceps tria ſunt, quæ in omni propoſitione diſcernuntur, ſcilicet materia, quantitas, & qualitas; & hæc eſt duplex, eſſentialis & accidentalis. Eſſentialis non alia eſt quàm affirmatio aut negatio, neque accidentalis alia eſt, quàm veritas aut falſitas: itaque propoſitionis qualitatem conſtituunt Logici in hoc quòd ſit affirmativa aut negativa; vera aut falſa. Tum materiam propoſitionis vocant eam habitudinem, ſeu modificationem connexionis, quæ eſt inter ſubjectum & prædicatum. Ac demum per quantitatem propoſitionis intelligunt ejuſdem propoſitionis extenſionem, aut limitationem fieri ſolitam per nonnullas particulas, quæ ſubjecto præponuntur, ut mox dicam.

III. Quotuplex ſit materia propoſitionis.

Propoſitio ratione materiæ dividitur in neceſſariam, contingentem & impoſſibilem. In propoſitione neceſſaria prædicatum neceſſariò conjungitur cum ſubjecto, ac proinde eſt invariabiliter vera; uti ***homo eſt rationalis.*** In propoſitione contingente prædicatum non conjungitur, niſi fortè, & per accidens cum ſubjecto, & ſic eſt variabiliter vera aut falſa; uti ***paries eſt albus***, ***homo eſt doctus.*** Demum in propoſitione impoſſibili prædicatum attribuitur ſubjecto, cui nunquam tamen convenire poteſt, & ſic eſt invariabiliter falſa, ſeu quod idem eſt impoſſibiliter vera; ***uti homo eſt lapis.***

IV. Quotuplex ſit quantitas propoſitionis.

Similiter ratione quantitatis propoſitio dividitur in univerſalem, particularem, ſingularem, & indefinitam. Univerſalis illa eſt, cujus ſubjectum afficitur ſigno, ſeu particula univerſali; ut ***omnis homo eſt vivens***, ***nullus homo eſt lapis.*** Patricularis eſt illa, cujus ſubjecto præponitur ſignum particulare; ut ***aliquis homo eſt doctus.*** Singularis illa eſt, cujus ſubjectum afficitur ſigno ſingulari; ut ***hic homo eſt doctus***: ac denique illa propoſitio vocatur indefinita, cujus ſubjectum nullo præpoſito ſigno afficitur: uti cùm dicitur ***homo eſt vivens***;

homo eſt doctus. Sed ſciendum hujuſmodi propoſitiones indefinitas pro univerſalibus, aut particularibus nihilominùs accipi conformiter ad materiam propriam, quæ eſt neceſſaria, aut impoſſibilis, aut contingens. Sic propoſitio indefinita, quæ eſt in materia neceſſaria, æquivalet univerſali affirmativæ; utí illa propoſitio, ***homo eſt vivens*** æquivalet iſti, ***omnis homo eſt vivens.*** Tum propoſitio indefinita, quæ eſt in materia impoſſibili, æquivalet univerſali negativæ; quo pacto illa propoſitio, ***homo non eſt lapis***, æquivalet iſti, ***nullus homo eſt lapis.*** Ac denique quando propoſitio indefinita eſt in materia contingente, æquivalet tantùm particulari; unde cùm dicitur ***homo eſt doctus***, perinde eſt ac ſi diceretur, ***aliquis homo eſt doctus.***

Propoſitio deinde non tantùm enuntiat ſubjecti ſui, & prædicati conjunctionem, aut disjunctionem; ſed enuntiat quandoque modum, quo utrumque conjungitur, aut disjungitur neceſſariò, vel impoſſibiliter, vel poſſibiliter, vel contingenter. Eam ob cauſam propoſitio dividitur in abſolutam, quam aliter vocant de ineſſe, & modalem. Illa tantùm enuntiat prædicatum de ſubjecto; hæc verò enuntiationi ſupperaddit modum, quo oporteat unum cum altero convenire: ut ſi quis dixerit ***neceſſarium eſt omnem hominem eſſe animal***: ecce propoſitionem, quam modalem neceſſariam vocant: vel ***impoſſibile eſt brutum ratiocinari***; ecce modalem impoſſibilem; vel ***poſſibile eſt parietem eſſe album***; & hæc eſt modalis poſſibilis: vel ***contingens eſt hominem eſſe doctum***; & hic habes modalem contingentem. In quibus propoſitionibus modalibus nihil aliud occurrit advertendum, niſi quòd in iis diſtinguendus eſt modus à dicto, ut in hac propoſitione ***neceſſarium eſt omnem hominem eſſe animal***; ***neceſſarium eſt***, ecce modum; ***omnem hominem eſſe animal*** ecce dictum: in utroque autem vides copulam; ſed magis principalis ac magis attendenda illa eſt, quæ eſt in modo, quatenus in illa conſiſtit affirmatio aut, ſi particulam negativam, vel æquivalentem negativæ habuerit præfixam, negatio totius propoſitionis modalis. Quando autem modus non ſic enuntiatur; ſed per unicum adverbium, uti ***omnis homo eſt neceſſariò animal***: tunc quidem non adeſt duplex illa copula; ſed ſubintelligi tamen poteſt propter evidentem reducibilitatem propoſitionis illius prædictæ ad iſtam ***Neceſſarium eſt omnem hominem eſſe animal.*** Præter quatuor modos, de quibus jam dictum eſt, innumeri alii ſunt, ut in his propoſitionibus ***verum eſt hominem eſſe animal: falſum eſt bruta ratiocinari: æquum eſt malos puniri: optimum eſt homines philoſophari***, &c. Neque de iſtis modis, quos minùs præcipuos vocare poſſumus, eſt quidquam aliud advertendum.

V. Propoſitio alia eſt abſoluta, & alia modalis.

Digitized by Google

VI. Alia eſt complexa, & alia incomplexa. Propoſitio etiam dividitur in incomplexam & complexam. Incomplexa, ſive ſimplex conſtat ex ſubjecto, & prædicato verè ac formaliter unico; uti *homo eſt vivens.* Complexa autem illa dicitur, quæ conſtat ex ſubjecto, aut prædicato, aut utroque verè & formaliter, vel certe virtualiter multiplici; uti *Petrus eſt doctus, & pius*; *Petrus & Paulus ſunt docti*, &c. Quapropter propoſitio complexa non tam propoſitio eſt, quàm aggregatum quoddam ex multis, vel ad minùs duabus propoſitionibus, quæ ſi per particulam *&* copulantem aut ſimilem connectuntur, conſtituunt propoſitionem complexam copulativam, uti *Petrus ſtudet & orat*: ſi connectuntur per particulam *vel*, aut ſimilem disjunctivam, efficiunt propoſitionem complexam disjunctivam, uti *Petrus vel ſtudet vel orat*: ſi per particulam cauſalem *quia* aut ſimilem, efficiunt propoſitionem complexam cauſalem, uti *Petrus eſt indoctus, quia non ſtudet*: & ſimiliter Propoſitionem conditionalem, ſi connectuntur per particulam *ſi* conditionalem, aut ſimilem; uti *Petrus erit doctus, ſi ſtudeat*: ac denique rationalem, ſi connectuntur per particulam *ergo* rationalem, aut aliam æquivalentem; uti *Petrus ſtudet: ergo erit doctus*: ubi advertis hanc propoſitionem rationalem non differre à diſcurſu.

VII. Alia eſt abſoluta, & alia conditionata. Dividitur etiam aliter propoſitio in abſolutam, & conditionatam. Conditionata eſt quæcunque continet particulam conditionalem *ſi*, aut præpoſitam, aut utcunque aliter inſertam: abſoluta verò eſt quæcunque conditionem hujuſmodi nullam includit. Neque majoris momenti eſt alia diviſio propoſitionis in eam, quæ eſt de actu ſignato, & illam quæ eſt de actu exercito. Prior conſtat ex ſubjecto, & prædicato connexis per copulam verbalem ſecundæ intentionis; ut *animal prædicatur de homine*: vel etiam cujus ſubjectum & prædicatum ſunt termini intentionales; ut *homo eſt ſpecies* aut *ſpecies ſubjicitur generi*, &c. Poſterior autem eſt, cujus ſubjectum, & prædicatum realia ſunt, & connectuntur per copulam realem, ſeu primæ intentionis; ut *homo eſt rationalis.* Sed multò minoris pretii eſt ulterior diviſio in propoſitionem, quæ eſt de ſecundo adjacente, & in eam quæ eſt de tertio. Illa, quæ aliàs binaria dicitur, conſtat ex duobus tantùm verbis ſcilicet ſubjecto, & verbo ſequente, ut *Petrus amat*; hæc vero, aliter ternaria, ſuperaddit verbo nomen aliud conſequens; ut *Petrus amat virtutem*: atque ita ſi quis adderet *Petrus amat virtutem continentiæ*, propoſitio fieret de quarto adjacente, & vocaretur quaternaria, &c. ut fuſiùs videre eſt apud Summuliſtas, qui in his & ſimilibus nugis paulo ſeriùs, pace dixerim, occupantur.

ARTICULUS

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE PRIMA PROPOSITIONUM proprietate, quæ eſt oppoſitio.

UTI ſupra egimus de terminorum oppoſitione, quam incomplexam vocant, ita nunc agemus de propoſitionum oppoſitione, quæ ex adverſo complexa dicitur, & enumerari ſolet prima inter cæteras earum proprietates. Itaque hæc oppoſitio ſic definitur, ***duarum propoſitionum ex eodem prorſus ſubjecto, & prædicato conſtantium mutua repugnantia ſecundùm qualitatem, vel ad minùs ſecundùm quantitatem.*** Ubi ***primò*** notandum occurrit, quod dicitur ***ex eodem prorſus ſubjecto & prædicato***, quia ſcilicet utrumque in utraque propoſitione accipiendum eſt juxta eandem formalem & omninò invariatam ſignificationem. ***Secundò*** notandum id, quod addo ***ſecundùm qualitatem***, intelligi de qualitate eſſentiali, quæ conſiſtit in affirmatione, & negatione; atque ita idem eſt, ac ſi diceretur ſecundùm affirmationem & negationem. Ac ***tertiò*** notanda quoque eſt exceptio, quam ſubjungo, ***vel adminùs ſecundùm quantitatem***; quia Logici, ut poſtmodum dicam, enumerant oppoſitionem propoſitionum ſubalternarum cum cæteris; & nihilominus hujuſmodi propoſitiones non repugnant invicem; niſi ſecundùm quantitatem; quatenus una eſt univerſalis, altera particularis: de cætero autem utraque eſt affirmativa, aut negativa. Eapropter vel hæc oppoſitio ſubalterna rejicienda eſt, ut non immerito rejiceretur: vel ſi, ad loquendum cum aliis, admittitur, neceſſe eſt præmiſſæ definitioni addere paucula illa verba quæ addita à nobis & notata ſunt ***vel ad minùs ſecundùm quantitatem.***

I. Quid ſit oppoſitio duarum propoſitionum.

Nunc igitur quatuor recenſeri ſolent diverſæ propoſitionum oppoſitiones, ſcilicet contradictoria, contraria, ſubcontraria, & ſubalterna; quas ſic ſeorſim explico. Oppoſitio contradictoria eſt inter duas propoſitiones eodem ſubjecto, & prædicato conſtantes, quarum ſi

II. Oppoſitio prædicta eſt quadruplex.

Digitized by Google

una eſt univerſalis affirmativa, altera eſt particularis negativa: aut ex adverſo ſi una eſt univerſalis negativa, altera eſt particularis affirmativa: unde patet eas ſibi mutuo repugnare ſecundùm qualitatem & quantitatem; uti *omnis homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus.* Vel *nullus homo eſt doctus, aliquis homo eſt doctus.* Nihilominùs contradictoria etiam vocatur oppoſitio, quæ eſt inter duas propoſitiones ſingulares, quarum una negat quidquid altera affirmat, uti *Petrus eſt doctus, Petrus non eſt doctus.* Oppoſitio contraria illa eſt, quæ reperitur inter duas propoſitiones conſtantes ex eodem ſubjecto, & prædicato pariter quidem univerſales; ſed quarum una eſt affirmativa, altera verò negativa. Uti *Omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus.* Subcontraria deinde oppoſitio illa eſt, quæ reperitur inter duas propoſitiones conſtantes ex eodem ſubjecto, & prædicato pariter quidem particulares, ſed non pariter affirmantes, aut negantes, uti *aliquis homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus.* Ac denique illa ſubalterna vocatur, quæ eſt inter duas propoſitiones conſtantes, ut ſatis inſinuatum eſt, ex eodem ſubjecto & prædicato pariter quidem affirmantes aut negantes; ſed non pariter univerſales aut particulares; uti *omnis homo eſt doctus, aliquis homo eſt doctus.* Vel *nullus homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus.*

III. Propoſitiones contradictoriæ neque poſſunt eſſe ſimul veræ, neque ſimul falſæ.

Ad quarum oppoſitionum prædictarum clariorem intelligentiam ſubjungo propoſitiones contradictoriè oppoſitas nec eſſe poſſe ſimul veras, nec ſimul falſas. Et ratio evidens eſt; quia illæ inter ſe opponuntur negative, ſeu ad inſtar entis & non entis: at inter ens, & non ens quoniam nihil mediat, conſequens eſt, ut verificetur de uno quidquid falſum de altero comprobatur. Tum illas inter ſe opponi ad inſtar entis & non entis probo ſic: quia non aliter opponuntur, ut patet, hæ duæ propoſitiones *omnis homo eſt doctus, non omnis homo eſt doctus*: at omnino æquivalet iſti oppoſitioni illa, quæ eſt inter duas proſitiones contradictorias; uti *omnis homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus:* quatenus ut in articulo ſequente oſtendetur, perinde eſt *aliquis non*, ac *non omnis.* Atque hinc fit, ut oppoſitio contradictoria ſit omnium maxima; idque maxime agnoſcitur ex illa contradictione, quæ eſt inter duas propoſitiones ſingulares de uno & eodem ſubjecto ac prædicato; uti *Petrus eſt doctus, Petrus non eſt doctus.*

IV. Propoſitiones cōtrariæ poſſunt

Deinde quod ſpectat ad oppoſitionem, quæ eſt inter duas propoſitiones contrarias, certum eſt eas poſſe eſſe ſimul falſas, quamvis eſſe ſimul veræ non poſſint. Et poſſunt quidem eſſe ſimul falſæ, ut ſatis patet hoc exemplo, *omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus*;

Digitized by Google

nam æque falſum eſt omnem hominem eſſe doctum, ac nullum eſſe doctum. Aliunde autem illas non poſſe eſſe ſimul veras ſic probo: nam ſi id fieri poſſet, duæ propoſitiones contradictoriæ, contra quàm nunc probatum eſt, poſſent pariter eſſe ſimul veræ; & ratio eſt, quia ſi ſupponitur omnem hominem eſſe doctum, pro æque vero ſupponendum eſt aliquem hominem eſſe doctum. At hæc propoſitio ***aliquis homo eſt doctus*** eſt contradictoria alterius contrariæ ***nullus homo eſt doctus***: ergo illa eadem veritas, quæ reperiretur inter duas propoſitiones contrarias, nunquid pariter reperiretur inter duas contradictorias? quod repugnat, ut probatum eſt. **eſſe ſimul falſæ, ſed non ſimul veræ.**

V. Propoſitiones ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, ſed non ſimul falſæ.

Tum ex adverſo propoſitiones, inter quas oppoſitio ſubcontraria reperitur, poſſunt quidem eſſe ſimul veræ; at non poſſunt eſſe ſimul falſæ. Et eas quidem poſſe eſſe ſimul veras patet hoc exemplo, ***aliquis homo eſt doctus***, ***aliquis homo non eſt doctus***, cùm utrumque pariter verificetur, dari ſcilicet aliquem hominem doctum, & aliquem indoctum. At non poſſe eas eſſe pariter falſas probatur, quia aliàs duæ propoſitiones contrariæ poſſent eſſe ſimul veræ. Si enim falſum eſt, ut ſupponitur, aliquem hominem eſſe doctum, proinde hæc propoſitio illius contradictoria vera erit ***nullus homo eſt doctus***: & rurſus ſi falſum perinde ſupponitur aliquem hominem non eſſe doctum, erit proinde etiam vera hæc propoſitio illius contradictoria ***omnis homo eſt doctus***. Atque ita, ut erat probandum, ſi duæ illæ propoſitiones ſubcontrariæ eſſent falſæ, ***aliquis homo eſt doctus***, ***aliquis homo non eſt doctus***; hinc ſequeretur verificari iſtas ***omnis homo eſt doctus***, ***nullus homo eſt doctus***; quæ utique ſunt contrariæ, & ſimul verificari non poſſunt, ut ante dictum eſt.

VI. Propoſitiones ſubalternæ poſſunt eſſe ſimul veræ & ſimul falſæ.

Denique ſi de oppoſitione ſubalterna agitur, planum eſt propoſitiones, inter quas illa reperitur, poſſe eſſe tum ſimul veras, tum ſimul falſas juxta diverſitatem materiæ neceſſariæ, aut impoſſibilis, aut contingentis, ex qua conſtant. Poteſt etiam fieri ut ſubalternata ſit vera, & ſubalternans falſa: quamvis tamen fieri non poſſit ut ſubalternata ſit falſa, ſi ſubalternans eſt vera: pro quibus omnibus probandis ſatis eſt, ſi exempla idonea propoſuerim. Iſtæ duæ propoſitiones ***omnis homo eſt rationalis***, ***aliquis homo eſt rationalis***, ſunt veræ, ut patet; & hæ duæ inter quas eadem oppoſitio ſubalterna perſpicitur ſunt falſæ, ***Omnis homo eſt lapis***, ***aliquis homo eſt lapis***. Deinde hæc propoſitio ſubalternans eſt falſa ***omnis homo eſt doctus***, ſed nihilominùs ſubalternata illius eſt vera, ***aliquis homo eſt doctus***. At ut dixi non poteſt reciproce fieri ut ſubalternata ſit falſa, ſi ſubalternans eſt vera. Et ratio evidens eſt, quia cùm ſubalternata in ſubalternante contineatur tanquam particula-

Digitized by Google

ris in univerſali, illius quoque veritas in veritate iſtius neceſſariò continetur perinde ac entitas partium in entitate totius. Neque id ulteriori indiget probatione.

ARTICULUS III.

DE SECVNDA PROPOSITIONUM proprietate, quæ eſt æquipollentia.

I. Quid ſit æquipollentia duarum propoſitionum.

ALTERA propoſitionum proprietas eſt, ut ex oppoſitis tranſmutari poſſint in æquipollentes, ſcilicet per modificationem ſignorum univerſalium, aut particularium, quæ ſubjectis propoſitionum præfigi ſolent: illa autem modificatio fit per additionem, & rurſus per præpoſitionem aut poſtpoſitionem particulæ negativæ talia prædicta ſigna afficientis. Sic quippe accidit, ut quoniam ſigna evadunt æquipollentia, evadant pariter æquipollentes propoſitiones, quæ illis afficiuntur: unde intelligi facile poterit quare æquipollentia, de qua agimus, definiatur à Logicis in hunc modum. Æquipollentia eſt ***duarum propoſitionum oppoſitarum eodem ſubjecto, ac prædicato conſtantium eadem vis, ac ſignificatio ab æquivalentia ſignorum, quibus afficiuntur, proficiſcens.*** Ad cujus definitionis majorem adhuc intelligentiam proponantur in exemplum hæ duæ propoſitiones contrariæ, ***Omnis homo eſt doctus. Nullus homo eſt doctus***: illæ igitur ſunt inter ſe oppoſitæ propter oppoſitionem ſignorum ***Omnis*** & ***Nullus.*** At ſi terminus ***Omnis*** afficiatur particula negativa poſtpoſita, tunc alteri nempe ***Nullus*** æquivalebit, ut conſtabit ex mox recenſenda ſignorum æquivalentia: & ſic iſta propoſitio ***Omnis non homo eſt doctus*** æquivalebit illi ***Nullus homo eſt doctus.*** Æquipollentia itaque ſignorum his tribus verſibus tradi ſolet.

Non omnis, Quidam non, Omnis non, quaſi nullus.
Non nullus, Quidam. Sed nullus non, valet Omnis.
Non aliquis, Nullus. Non quidam non, valet Omnis.

Digitized by Google

Sed præterea non eſt ſuperflua methodus, qua docetur qualiter ad facilius perficiendam propoſitionum quocunque pacto oppoſitarum æquipollentiam proponenda, aut poſtponenda ſit particula negativa ſignis eas afficientibus: illa autem methodus concluditur hoc ſequente carmine. ***Præ contradict. Poſt Contrar. Præpoſtque ſubaltern.*** Quod ſic explicatur. Ut propoſitiones contradictoriæ fiant æquipollentes, præponenda eſt ſigno alterius propoſitionis particula negativa: ſic ut iſtæ propoſitiones ***Omnis homo eſt doctus***, ***Aliquis homo non eſt doctus*** fiant æquipollentes, dic in hunc modum aut ***Non omnis homo eſt doctus***, & hæc æquivalet poſteriori ***Aliquis homo non eſt doctus***. Aut dic aliter ***Non aliquis homo non eſt doctus***; & hæc æquivalebit priori, ***Omnis homo eſt doctus***. Deinde ut propoſitiones contrariæ fiant æquivalentes, poſtponenda eſt ſigno alterius propoſitionis particula negativa. Sic iſtæ propoſitiones, ***Omnis homo eſt doctus***, ***Nullus homo eſt doctus*** redduntur æquivalentes aut in hunc modum, ***Omnis non homo eſt doctus***, ***Nullus homo eſt doctus***: aut in alterum, ***Omnis homo eſt doctus***, ***Nullus non homo eſt doctus***. Denique ut propoſitiones ſubalternæ evadant æquipollentes, alterius ſigno præpone, & poſtpone ſimul particulam negativam. Sic iſtæ propoſitiones, ***Omnis homo eſt doctus***, ***Aliquis homo eſt doctus*** evadent æquivalentes ſi dixeris, ***Non omnis homo non eſt doctus***, ***Aliquis homo eſt doctus***, vel aliter, ***Omnis homo eſt doctus***, ***Non aliquis homo non eſt doctus***.

II. Qualiter duæ propoſitiones fiant æquipollentes.

Quæ omnia meo quidem judicio ad Grammaticam ferè magis, quàm ad Logicam attinent; & ſiquidem ad aliquid, ad id maxime utilia tantùm videntur, quòd ſignificatio alicujus propoſitionis ſuo ſigno affectæ, clarior aliquando evadat per appoſitionem alterius ſigni æquipollentis; unde fit ut tunc expediat propoſitionem minùs notam commutare in alteram ipſi æquipollentem. Idque ad eundem modum, quo generaliter loquendo cùm accidit alicujus propoſitionis ſignificationem non eſſe ſatis manifeſtam propter contentum in ea terminum aliquem obſcurum, aut ambiguum; tunc hunc terminum commutamus in alium æquivalentis quidem ſignificationis; ſed qui obſcuritatem alterius & ambiguitatem omnem removeat. Et hæc eſt propoſitionum æquipollentia, quæ tum frequentiùs fit, tum utiliùs; nec opus eſt ut dicam quicquam de caſu, in quo pro valore alicujus propoſitionis æquando non ſufficit quævis alia, niſi ex multis componatur, ut ſi vellem propoſitionem illam univerſalem ***Omnis homo eſt doctus*** æquare cum iſta ſingulari ***Petrus eſt doctus***, hæc utique componenda eſſet ex tot aliis, quot ſunt naturæ humanæ individua, quaſi

III. Ad quid præſertim deſerviat iſta æquipollentia

Digitized by Google

dicendo *Petrus*, *Paulus*, *Jacobus*, & ſic de omnibus aliis, *ſunt docti.*

IV. Sunt quædam alia ſigna, quorum æquipollentia proponitur.

Denique ut, vides, nihil dictum eſt de modo, quo propoſitiones ſubcontrariæ fiant æquipollentes; quia ad id præſtandum quid aliud opus facto eſt, quàm cùm ambæ particulares ſint, nec ab invicem differant niſi per affirmationem & negationem, aut uni particulam negativam adimere, aut apponere alteri? Quo pacto propoſitiones ſingulares, quibus dictum eſt oppoſitionem contradictoriam convenire, parem attingunt æquipollentiam: at quia quandoque proferuntur cum ſignis appoſitis, ut alter, neuter, &c. quorum ſignificatio per præpoſitionem, aut poſtpoſitionem particulæ negativæ multum variatur, non erit ſuperfluum talium æquipollentiam ſignorum, ut Logici ſolent, hoc uno & altero verſu, aut potius quaſi verſu complecti.

Uterque non, Neuter. Neuter non, valet Uterque.
Non alter, Neuter. Non alter non, valet Uterque.

Et hæc quidem, ac ſimilia ſicut obiter enarrare otioſum non eſt, ita tractare ſeriò, ac cum prolixis annotationibus, aut etiam diſſertationibus, quas multi Summuliſtæ non exhorruerunt, non video cui bono vertatur.

ARTICULUS IV.

DE TERTIA PROPOSITIONUM proprietate, quæ eſt converſio.

I. Quid ſit converſio propoſitionum.

TERTIA denique proprietas propoſitionum eſt converſio, & in hunc modum à Logicis definitur. *Commutatio extremorum prædicati, ſcilicet in ſubjectum, & ſubjecti in prædicatum reciproca*: ex qua terminorum commutatione exoritur nova quædam propoſitio, quæ vocatur *convertens* ad diſcrimen alterius, quæ commu-

tationem prædictam patitur, & dicitur *converſa*. A converſa autem rectè argumentamur ad convertentem, modò obſerventur hæc tria præcepta.

Feci ſimpliciter convertitur, Eva per accid.
Aſto per contrap. Sic fit converſio tota.

Quorum notitia pendet ex duobus pariter verſibus, qui ſequuntur.

Aſſerit A, *negat* E; *generaliter accipe utrumque.*
Aſſerit I, *negat* O; *ſed particulariter ambo.*

II. Regulæ generales pro facienda converſione propoſitionum.

ITAQUE vocalis *A* indicat propoſitionem univerſalem affirmativam; vocalis *E* univerſalem negativam: vocalis *I* particularem affirmativam: & vocalis *O* particularem negativam: quibus ſic præintellectis redeamus jam ad ſuprodicta tria præcepta converſionis, de qua agitur. *Feci ſimpliciter*: id eſt, Propoſitiones univerſales negativæ, & particulares affirmativæ convertuntur ſimpliciter. *Eva per accid.* id eſt: Propoſitiones univerſales negativæ, & affirmativæ convertuntur per accidens. *Aſto per contrap.* id eſt, Propoſitiones univerſales affirmativæ, & particulares negativæ convertuntur per contrapoſitionem. Quare omnis propoſitio univerſalis negativa poteſt converti vel ſimpliciter, vel per accidens: univerſalis affirmativa vel per accidens, vel per contrapoſitionem: Particularis affirmativa tantùm ſimpliciter & particularis denique negativa tantùm per contrapoſitionem. Quid autem ſit converti ſimpliciter, per accidens, & per contrapoſitionem, paucis jam excipe.

III. Regulæ particulares pro prædicta converſione facienda.

Converſio ſimplex alicujus propoſitionis fit per mutationem ſubjecti in prædicatum, & prædicati in ſubjectum immutatâ qualitate, & quantitate; ita ut ſi converſa eſt affirmativa, aut negativa; talis quoque ſit convertens: & rurſus eadem ſit univerſalitas, aut particularitas utrinſque in hunc modum. *Nullus homo eſt leo*: igitur *nullus leo eſt homo.* Vel *Aliquis homo eſt rationalis*: igitur *aliquod rationale eſt homo.* Deinde converſio per accidens fit per mutationem ſubjecti in prædicatum, & prædicati in ſubjectum viciſſim immutatâ quidem qualitate; ſed quantitate mutatâ; quare hæc propoſitio, *Omnis homo*

Digitized by Google

eſt animal convertitur per accidens in hunc arguitivum modum, Igitur ***aliquod animal eſt homo.*** Denique converſio per contrapoſitionem fit per mutationem ſimiliter reciprocam ſubjecti in prædicatum & prædicati in ſubjectum immutata quidem quantitate & qualitate ; ſed mutatis terminis finitis in infinitos : quæ commutatio fit per præpoſitionem particulæ negativæ. Sic hæc propoſitio , ***Omnis homo eſt animal*** convertetur per contrapoſitionem ſi dixeris, & arguas in hunc modum : igitur ***Omne non animal eſt non homo.*** In quibus omnibus converſionibus cavendum eſt terminos propoſitionis utrinſque, ſcilicet converſæ, & convertentis accipi in ſenſu , & ſignificato formaliter , ac omninò eodem : nam ſi in diverſo acciperentur, non aliter ſpectandæ eſſent , quàm prout diſparatæ. Nunc autem intereſt , ut ſciatur tum ratio demonſtrativa , propter quam prædictæ converſiones poſſint fieri ; tum earum utilitas ; prout ex mox addendis intelliges.

IV. Qualiter poſſit converti propoſitio univerſalis negativa. Dico itaque propoſitionem univerſalem negativam poſſe converti ſimpliciter & per accidens. Ac ***primò*** quidem ſimpliciter ; quia in hac v. g. propoſitione ***Nullus homo eſt lapis*** , homo dividitur adæquatè ab omni lapide , cùm autem omnis diviſio ſit reciproca , hinc patet lapidem omnem ſimiliter dividi ab omni homine : atque ita ex eo quòd nullus homo ſit lapis, recte per converſionem arguitur, ***Nullus lapis eſt homo. Secundò*** etiam propter id ipſum poteſt illa eadem propoſitio univerſalis negativa converti per accidens : quatenus ſi diviſio omnis hominis ab omni lapide importat diviſionem reciprocam omnis lapidis ab omni homine ; importat proinde ſimilem diviſionem alicujus lapidis ab omni homine : ergo propoſitio illa ***Nullus homo eſt lapis,*** convertitur recte in iſtam , ***Aliquis lapis non eſt homo*** , quod eſt converti per accidens , ut ſupra dictum eſt.

V. Qualiter poſſit converti propoſitio univerſalis affirmativa. Præterea propoſitio univerſalis affirmativa recte convertitur per accidens , & contrapoſitionem. Et ratio prioris converſionis eſt ; quia in hac v. g. propoſitione ***Omnis homo eſt animal*** , ***homo*** conjungitur cum aliquo animali : omnis autem conjunctio eſt reciproca : ergo ex hoc quòd omnis homo ſit animal , recte infertur aliquod animal eſſe hominem. Tum ratio poſterioris eſt , quia in prædicta propoſitione, ***Omnis homo eſt animal,*** continetur implicite diviſio hominis ab eo omni , quod non eſt animal : hæc autem diviſio continet rurſus implicite conjunctionem omnis non animalis cum omni non homine; quia diviſio ab uno contradictorio eſt conjunctio cum altero : igitur ex hoc , quòd ***omnis homo ſit animal,*** recte infertur ***omne non animal eſſe non hominem.*** Quæ eſt converſio facta per contrapoſitionem , ut ſupra explicuimus.

Inſuper

Digitized by Google

VI. Qualiter poſſit converti propoſitio particularis affirmativa.

Inſuper propoſitio particularis affirmativa recte convertitur ſimpliciter, nec difficile id intelliges attendendo ad illam ſubjecti cum prædicato conjunctionem, quæ fit in propoſitione particulari affirmativa: hæc enim conjunctio eſt reciproca, ac proinde infertur legitime propoſitio convertens ex converſa. De converſione autem propoſitionis particularis negativæ per contrapoſitionem facilè quoque intelligetur, qualiter ſit legitima, ſi attendantur, quæ dicta ſunt circa ſimilem convertibilitatem propoſitionis univerſalis affirmativæ. Ac tandem de iſtis converſionibus porpoſitionum hoc tantùm addo, eas ſcilicet, quamvis non ſint æque utiles ac jactantur, ad id tamen utiles eſſe, ut dignoſcatur quanta ſit conjunctio ſubjecti cum prædicato, vel diviſio unius ab altero; in hac enim quantitate tum conjunctionis, tum diviſionis tota propoſitionum convertibilitas ſtabilitur. Sed in primis utiles ſunt ad vertendas in praxim varias ſpecies reductionum ſyllogiſticarum, de quibus infra.

Digitized by Google

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE VARIIS DISCVRRENDI SEV argumentandi ſpeciebus, ac præſertim ſyllogiſticis.

SI quid in univerſa Logica utile eſt, id haud dubie in hac diſputatione comperietur, quam ea propter paulò prolixiùs proſequi convenit: ne tamen juſtò diffuſior evadat, quinque conſequentibus articulis complebitur. In *primo* agetur de principiis, ac præceptis ſyllogiſticis generalibus: in *ſecundo* de figuris ſyllogiſticis, & earum præceptis particularibus: in *tertio* de modis ſyllogiſticis, & eorum numero: in *quarto* de variis ſpeciebus ſyllogiſticis: & in quinto de reductionibus ſyllogiſticis per oſtenſionem, ac per evidentem deductionem ad impoſſibile.

ARTICULUS I.

DE PRINCIPIIS, AC præceptis generalibus ſyllogiſticis.

I. Quatuor ſunt ſpecies diſcurſus, & ad ſyllogiſmum revocabiles.

ANTEQUAM hæc principia ac præcepta referantur præmitto diviſionem vulgarem, quâ logici diſcurſum partiuntur in quatuor ſpecies, ſcilicet inductionem, exemplum, ſyllogiſmum, & enthymema. Per inductionem intelligunt diſcurſum, in quo ex multis ſingularibus, aut particularibus, vel certe minùs univerſalibus ſufficienter enumera-

tis, aliquid univerſale, vel magis univerſale concluditur: uti cùm concluditur omne animal eſſe vivens ex eo, quòd animalia particularia intra ſpeciem humanam, leoninam, equinam, &c. contenta ſint viventia: atque hunc concludendi modum ſatis patet non eſſe legitimum, niſi particularia illa ſufficienter enumerentur; vel certe quaſi enumerata ſubintelligantur. In exemplo autem non diſcurritur, niſi ab uno ſingulari ad aliud, aut à paucis ſingularibus ad alia; uti ſi inferatur Deum parciturum eſſe Paulo, propterea quòd Petro pepercerit; aut quoſdam ſcholaſticos Archimedis fore inſignes Matheſeos profeſſores, eo quòd alii ad cathedras illas conſcenderint. Alii autem modi qualeſcunque inferendi unum ex alio pertinent ad ſyllogiſmum, vel ad enthymema, quorum non aliud diſcrimen eſt, quàm quod ſyllogiſmus, ut deinde magis explicabitur, conſtat ex tribus propoſitionibus; enthymema autem non niſi ex duabus. Unde apparet enthymema eſſe ſyllogiſmum truncatum, quatenus neglectâ alterâ præmiſſarum infert concluſionem veluti feſtinanter: & unde ſimul, quod maxime notari debet, manifeſtum eſt quàm parum ſtricte ac proprie accipi poſſit hæc diviſio præfata, cùm conſtet inductiones & exempla, ſi diſcurſive proponuntur, proponi haud dubie non aliter, quàm per ſyllogiſmos, aut enthymemata. Imo præterea cùm enthymemata alteram præmiſſarum, quam non exprimunt, contineant nihilominùs ſubintellectam; hinc rurſus evidens eſt præmiſſas argumentandi ſpecies revocari ad ſyllogiſmum omnes, ac ſingulas.

II. Tres aliæ revocari etiam debent ad ſyllogiſmum.

Ad ſyllogiſmum quoque revocandæ ſunt tres aliæ diſcurſus ſpecies, quæ ſic à logicis vulgò recenſentur, Proſyllogiſmus, Sorites & Dilemma. Proſyllogiſmus vocatur diſcurſus coaleſcens ex ſyllogiſmo, & enthymemate adjuncto, in quo aliquid infertur propter ſyllogiſmum qui præceſſit, ut ſi quis dicat, ***Omnis qui ſtudet virtuti, placet Deo: ſed Petrus ſtudet virtuti: igitur placet Deo. At omnis qui placet Deo, eſt beatus: ergo Petrus eſt beatus.*** Sorites deinde aliud nihil eſt, quàm coacervatio, ac ſeries plurium propoſitionum, ex quibus tandem aliquid infertur: ſic autem inter ſe ordinantur, ut totidem ſyllogiſmis propter medium ſyllogiſticum, quod continent, æquivaleant: ut ſi quis dixerit. ***Omne quod eſt riſibile eſt rationale: omne quod eſt rationale eſt animal: omne quod eſt animal eſt vivens: omne quod eſt vivens eſt ſubſtantia: ergo Petrus eſt ſubſtantia.*** Denique dilemma vocatur ea argumentationis ſpecies, quæ disjunctive proponitur, & revera nihil aliud eſt quam ſyllogiſmus, ut aiunt, cornutus, ſeu bifurcatus, & capiens utrinque Adverſarium; uti ſi quis dixerit, ***ſi terra movetur, utique movetur vel circa centrum proprium, vel circa alienum: at non movetur circa***

Digitized by Google

alienum : ergo circa proprium. Vel aliter. *Atqui neque movetur circa alienum , neque circa proprium : ergo prorſus non movetur.* Quapropter jam rurſus hinc ſatis colligitur omnes argumentandi ſpecies eſſe ad ſyllogiſticam reducendas , & ex illa vim ſuam omnem concluſivam ſortiri : ideoque in hac diſputatione de ſyllogiſmo præſertim agimus , ac de principiis , præceptis , figuris , modis , cæteriſque ad illum attinentibus.

III. Quæ ſit definitio ſyllogiſmi , & quæ ſint illius partes.

Itaque ſyllogiſmus , cujus natura præſertim inquirenda eſt , definiri ſolet , *Oratio* , ſive potiùs argumentatio , *in qua quibuſdam poſitis aliud quidpiam ab his , quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit ex eo , quòd hæc ſint.* Quam definitionem facilè capies , ſi præintelligas ſyllogiſmum conſtare ex tribus propoſitionibus , quarum prima vocatur Major , ſecunda Minor , tertia Concluſio : Major autem & Minor vocantur inſuper præmiſſæ , id eſt propoſitiones , quæ præmittuntur concluſioni : quare jam per illud *quibuſdam poſitis* intellige præmiſſas ; per illud *aliud quippiam* intellige concluſionem , quæ ex præmiſſis neceſſariò ſequitur : & ita quidem ut ſuam omnem ex illis falſitatem , aut veritatem obtineat. Tum quoque intelliges materiam ſyllogiſmi non aliam eſſe , quàm compagem illam trium propoſitionum , quarum proinde debita coordinatio eſt forma ejuſdem. Duplex autem coordinatio in illis attendenda eſt , una ſecundùm quantitatem , & qualitatem talium propoſitionum , & vocatur *modus* ; altera ſecundum ſubjectionem , ac prædicationem medii termini , qui in utraque præmiſſa reperitur ſemper , at in concluſione nunquam : & talis coordinatio vocatur *figura.* Inſuper ſciendum eſt in his tribus propoſitionibus , quæ ſyllogiſmum conſtituunt, tres tantùm termino; obſervari , ſcilicet majorem , minorem , & medium. Major ille eſt , qui in majori aut conjungitur , aut disjungitur à medio : Minor ſimiliter ille eſt , qui in minori propoſitione aut conjungitur , aut disjungitur à medio : ac tandem ille eſt medius , qui cum utroque aut jungitur , aut disjungitur in præmiſſis ; ſive qui in præmiſſis locum obtinet medii , aut motivi , quo utimur ad utrumque , majorem ſcilicet & minorem , aut conjungendum , aut disjungendum in concluſione : ex eo enim quod termini illi duo , quos aliter *majus & minus extremum* vocant , juncti , aut disjuncti fuerint à medio termino in præmiſſis , arguimus illos eſſe pariter jungendos , aut disjungendos ab invicem : & propoſitio , in qua id arguimus , nuncupatur *concluſio.* Neque neceſſe eſt exempla proferre , quibus id totum ſigillatim expendatur ; quæcunque enim varia ſyllogiſmorum genera in variis figuris & modis deinceps adducentur , id ſatis manifeſtabunt.

Digitized by Google

Deinde ratiocinium omne ſyllogiſticum fundatur in his duobus maximè principiis ***Dictum de omni***, & ***Dictum de nullo***, quorum expoſitio ac comprobatio hæc eſt. Quidquid generaliter affirmatur de aliquo ſubjecto, affirmatur proinde de eo omni, quod continetur in illo: & ſimiliter quidquid in univerſum negatur de aliquo ſubjecto, negatur, ſeu negandum cenſetur de eo omni, quod continetur in illo. Ita quando univerſaliter affirmatur omnem hominem eſſe animal, id ipſum affirmatur de Petro, & Paulo, &c. qui continentur ſub homine: & hoc eodem pacto de illis negatur quidquid negatur in univerſum de homine. Unde ſicut ex iſta propoſitione affirmativa ***Omnis homo eſt animal***: recte ſequitur Petrum eſſe animal; ita ex hac propoſitione negativa, ***Nullus homo eſt lapis***, recte ſequitur hæc illatio pariter negativa, ***Ergo Petrus non eſt lapis.*** I V. Principia duo ad omne ratiocinium præſupponenda.

Ad hæc duo alia adjiciuntur, ſcilicet. ***Quacunque ſunt eadem cum uno tertio ſunt eadem inter ſe; & illa duo non ſunt eadem inter ſe, qua ita ſe habent reſpectu alicujus tertii, ut unum ſit idem cum illo, alterum verò non ſit idem.*** Ita ſi rationale, & riſibile conveniunt cum vivente, neceſſe eſt, ut conveniant invicem in eo ſaltem, per quod conveniunt cum vivente: ſicut ſi riſibile & rugibile ita ſe habeant ad invicem, ut illud quidem cum rationali conveniat, iſtud autem non conveniat, ſignum eſt ea non convenire invicem in eo ſaltem, per quod non poſſunt convenire pariter cum rationali. Neque id arduum eſt intellectu, niſi referatur ad ſupremum ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, in quo comperitur Perſonas Divinas, licet cum eſſentia Divina identificentur, nihilominus non inter ſe indentificari. At neque inſtituti noſtri eſt aliter hic de utroque illo principio loqui, quàm prout verificatur in rebus creatis: nec aliter illud proponere quàm in ſenſu logico, in quo etiam verificatur quantùm ad res increatas: quia licet Perſonæ Divinæ identificentur phyſice cum eſſentia Divina, non identificantur tamen logice; alius enim eſt conceptus eſſentiæ, & alius perſonæ; ſicut etiam alius eſt modus loquendi de eſſentia, & alius de perſona. Nunc autem præter præallata generalia principia ratiocinii ſyllogiſtici nonnulla ſunt alia præcepta, quæ tradi ſolent ad vitandos errores, qui in formationes ſyllogiſticas poſſent irrepere, & vocantur regulæ generales ſyllogiſticæ, quas ſeorſim ſic expono. V. Duo quædam alia adducuntur.

Prima regula hæc eſt. ***Ex præmiſſis particularibus nihil concluditur vi formæ.*** Ratio eſt, quia in præmiſſis particularibus nulla fit diſtributio medii termini, id eſt medius terminus non accipitur pro ſuis omnibus ſignificatis, neque enim pro illis poteſt ſic accipi, niſi V I. Probatio primæ regulæ generalis

Digitized by Google

Syllogiſticæ.

afficiatur aliqua nota univerſali, qualis nulla eſt, ubi præmiſſæ ſunt particulares. Cùm itaque non ſit generaliter acceptus, proinde non accipitur neceſſarò pro illis extremis, quæ in concluſione junguntur, aut disjunguntur; & ſic concluſio non eſt neceſſariò vera: quatenus extrema nec jungi inter ſe, nec disjungi ab invicem poſſunt in concluſione, niſi juncta cum medio termino, aut disjuncta ab illo fuerint in præmiſſis. Ponamus exemplum. ***Aliquod vivens eſt rationale; aliquis equus eſt vivens: ergo aliquis equus eſt rationalis.*** Ubi advertis concluſionem eſſe falſiſſimam, quia cum vivens non accipiatur generaliter in ulla præmiſſa; inde eſt ut non accipiatur neceſſariò pro illis extremis, quæ in concluſione junguntur; & ſic vi formæ concluſio non eſt legitima. Dico ***vi forma***, quod pariter locum habet pro cæteris regulis deinceps exponendis, quia aliàs vi materiæ ſeu materialis connexionis terminorum concluſio vera quandoque infertur ex præmiſſis particularibus, ut ſi quis diceret, ***aliquod vivens eſt rationale: aliquis homo eſt vivens: ergo aliquis homo eſt rationalis.***

VII. Probatio ſecundæ regulæ.

Secunda regula hæc eſt. ***Ex præmiſſis, quarum altera eſt particularis, non poteſt vi formæ ſequi concluſio, niſi particularis.*** Ratio eſt, quia extrema non poſſunt magis, aut minus ſeu invicem jungi, ſeu ab invicem disjungi in concluſione, quàm juncta fuerint cum medio termino, aut ab illo disjuncta in præmiſſis. At in præmiſſis, quarum altera eſt particularis neque omnino juncta cum illo fuerunt, neque omnino disjuncta, ut patet; quia ſaltem extremum, quod eſt in præmiſſa particulari neque omnino jungitur, neque omnino disjungitur à medio termino, cui vel ſubjicitur, vel de quo prædicatur. Ergo nec omnino jungi, nec omnino disjungi poſſunt in concluſione: quod nihilominùs accideret, ſi concluſio eſſet univerſalis. Eapropter non recte concluditur in hunc modum, ***Omne animal eſt vivens: Aliqua ſubſtantia eſt animal: ergo omnis ſubſtantia eſt vivens.*** Sed recte concluderetur ***ergo aliqua ſubſtantia eſt vivens.***

VIII. Probatio tertiæ regulæ.

Tertia regula hæc eſt. ***Ex præmiſſis, quarum altera eſt negativa, non poteſt vi formæ ſequi concluſio affirmativa.*** Ratio eſt, quia in præmiſſis, quarum altera eſt negativa, ſicuti unum extremum jungitur cum medio termino, ita ab eodem extremum alterum disjungitur: ſive quod idem eſt, extrema cum medio termino partim junguntur, partim disjunguntur: ergo in concluſione non poſſent ad ſummum niſi partim conjungi, partim disjungi: at in concluſione affirmativa jungerentur tantùm. Sed dices fortè neque ex talibus præmiſſis, quarum altera ſit negativa, poſſe conſequi concluſionem negativam.

Digitized by Google

At contra eſt, quia qualiſcunque diviſio ſufficit ad negandam identitatem; ſed non qualiſcunque identitas ſufficit ad negandam diviſionem: & ſic extrema quæ utcunque fuerunt diviſa in præmiſſis, poſſunt dividi in concluſione: quamquam non poſſint conjungi abſolute, licet in aliquo conjuncta fuerint in præmiſſis: Atque ut id magis intelligas, cogita convenientiam, quam homo & lapis habent in genere ſubſtantiæ v. g. non impedire, quominùs poſſit homo negari de lapide; quamvis ad unum de altero negandum ſufficiat, quod non conveniant cum quocunque tertio aſſignabili. Itaque ut dictum eſt ex præmiſſis, quarum altera eſt negativa, non poteſt vi formæ ſequi concluſio affirmativa, ut patet hoc diſcurſu, cujus conſequentia evidentiſſime falſa eſt. ***Omnis homo eſt ſubſtantia : Aliqua chimæra non eſt homo : ergo aliqua chimæra eſt ſubſtantia.***

Quarta regula hæc eſt. ***Ex præmiſſis negativis nihil concludi poteſt vi formæ.*** Ratio eſt: quia nec affirmative concludi poteſt, nec negative. Et primo quidem concludi non poteſt affirmative; quatenus concluſio affirmativa eſt conjunctio immediata extremorum, quæ niſi conjuncta fuerint cum medio termino in præmiſſis, illam utique non obtinent: at in præmiſſis negativis non fit talis conjunctio extremorum, ſed potiùs diviſio. Neque ſecundò concluditur quicquam negative: quatenus diviſio extremorum ab uno tertio, qualis fieret in præmiſſis negativis, non probat neceſſariò diviſionem talium extremorum ab invicem: poſſunt enim duo maximè identificata peræque negari de uno tertio in hunc modum, ***nullus homo eſt lapis : nullum rationale eſt lapis*** : & nihilominus concludi verè non poteſt : ***ergo nullum rationale eſt homo.*** IX. Probatio quartæ regulæ.

Quinta regula hæc eſt. ***Ex præmiſſis affirmativis non poteſt vi formæ ſequi concluſio negativa.*** Ratio eſt, quia concluſio negativa eſt diviſio extremorum talis, quæ, ut patet, nullatenus ſtabilitur in præmiſſis affirmativis, in quibus è contra conjunguntur cum medio termino. Unde ad eum modum, quo ex præmiſſis negativis non poteſt ſequi concluſio affirmativa, ut in expoſitione quartæ regulæ dictum eſt; ita nec ex præmiſſis affirmativis poteſt ſequi concluſio negativa: idque ita evidens eſt ut eapropter hæc quinta regula reticeri ſoleat, veluti ex quarta clariùs inferibilis, quàm ut ſeorſim explicanda ſit. Nihilominùs, ut intelliges ex decurſu, non erit ſuperfluum eam à cæteris diſtinxiſſe. X. Probatio quintæ regulæ.

Ne tamen contra quinarium numerum, quem Logici regulis ſyllogiſticis generalibus addixerunt quicquam videar innovaſſe, poterit Lector pro quinta regula, aut ut voluerit pro ſexta, ſicut mihi quidem eſt XI. Probatio ſextæ regulæ.

Digitized by Google

pro ſexta, aſſumere hanc ſubſequentem. ***Non debet in concluſione diſtribui terminus, qui non fuerit diſtributus in præmiſſis***, quia ſcilicet hoc pacto non contineretur concluſio in præmiſſis ſecundùm talem diſtributionem, id eſt acceptionem termini generalem: at omnis concluſio ad hoc ut recta ſit, debet contineri tota in præmiſſis. Quamvis hæc quoque regula non inevidenter contineatur in aliis præenumeratis, ac præſertim in prima & ſecunda; ut per ſe quiſque obſervare poteſt. Et ſic quidem ſatis fuſe hactenus recenſui principia, ac præcepta ſyllogiſtica generalia.

ARTICULUS II.

DE FIGURIS SYLLOGISTICIS, & earum præceptis particularibus.

I. Figuræ ſyllogiſticæ ſunt tres.

INSINUATUM eſt in articulo præcedente figuram ſyllogiſticam vocari variam illam diſpoſitionem, quæ fit medii termini in præmiſſis ſecundum ſubjectionem, & prædicationem. Quod ut planiùs concipias cogita medium terminum, qui nunquam in concluſione, in utraque autem præmiſſa ſemper reperitur, in utraque proinde aut ſubjici, aut prædicari. At tripliciter contingere poteſt hæc varietas, talis utique ut medius terminus aut in utraque præmiſſa ſubjiciatur; aut ut prædicetur in utraque; aut ut ſubjiciatur in una & prædicetur in altera: quod idem eſt, ut terminis ſcholæ utar, ac ſi quis dixerit talem poſſe dummodò contingere varietatem in diſpoſitione medii termini, ut ille ſit in utraque præmiſſa vel poſitione primus, quando nempe ſubjicitur: vel poſitione ultimus, quando ſcilicet prædicatur: vel denique poſitione medius, quoties ſubjicitur in una, & prædicatur in altera. Atque hinc tres figuras ſyllogiſticas collegerunt, quarum primam eſſe voluerunt combinationem illam, per quam medius terminus ſubjicitur in majori, & prædicatur in minori: tum acceperunt pro ſecunda illam, per quam idem medius terminus prædicatur in utraque præmiſſa: quando autem ſubjicitur in utraque tali

combinationi

Digitized by Google

combinationi nomen aptant figuræ tertiæ juxta carmen hoc ſubſequens decantatiſſimum.

Sub. præ. prima. Sed altera bis præ. Tertia bis ſub.

NOn eſt tamen diſſimulandum mediam illam medii termini poſitionem poſſe dupliciter contingere: ſicut enim medius terminus poteſt ſubjici in majori, & prædicari in minori; ita poteſt prædicari in majori, & ſubjici in minori: quæ occaſio fuit Galeno accipiendi hanc poſteriorem combinationem pro quarta figura: nec video in quo ille poſſit redargui, ut ab Ariſtotelicis ſolet: nam revera talis combinatio poteſt fieri & vocari figura. Nihilominùs cùm combinatio illa rarò occurrat menti, ac proinde ſit parum utilis ad praxim omnis ſyllogiſtici ratiocinii, non immeritò Ariſtoteles cum ſuis deinceps, illam neglexit: & nos pariter negligimus. Quapropter tantùm trademus regulas, quæ ad rectè concludendum in qualibet è tribus figuris ſupra enumeratis neceſſariò obſervandæ ſunt.

II. Adjici poteſt quarta, ſed ſubticetur, quia parum utilis.

De regulis ſyllogiſticis primæ figuræ.

PRima regula hæc eſt. ***In modis directis primæ figuræ minor non poteſt eſſe negativa.*** Ratio eſt, quia ſi minor eſſet negativa, diſtribueretur in concluſione aliquis terminus, qui non fuiſſet diſtributus in præmiſſis: nam diſtribueretur in illa majus extremum, quod non fuiſſet diſtributum in majori, & ſic probo. Si minor eſt negativa, major eſt affirmativa: in propoſitione autem affirmativa prædicatum non diſtribuitur, ut ſupra dictum eſt; & aliunde majus extremum tenet locum prædicati in majori: unde ſatis patet majus extremum non diſtribui in majori. Aliunde probo in hunc modum, quòd diſtribueretur in concluſione. Si minor eſt negativa, concluſio debet eſſe negativa: at in propoſitione negativa prædicatum diſtribuitur: unde quia in modis directis primæ figuræ majus extremum tenet in concluſione locum prædicati; hinc evidens eſt majus extremum fore diſtributum in concluſione, quamvis non fuiſſet diſtributum in præmiſſis. Ergo in modis directis primæ figuræ id omnino obſervandum eſt, ut minor non ſit negativa. Dixi ***in modis directis***, quia pro indirectis, ut intelliges ex articulo ſequente, non valet eadem ratio, propterea quòd in concluſione illorum majus extremum non occupat locum prædicati, ſed ſubjecti, atque ita non diſtribueretur in concluſione negativa; qualiter utique negativa eſſet, ſi minor eſſet negativa: ut ex regulis generalibus notum eſt.

III. Probatio primæ regulæ attinentis ad primã figuram.

Secunda regula hæc eſt. ***In modis directis primæ figuræ major non poteſt eſſe particularis.*** Ratio eſt, quia ſi major eſſet particularis,

IV. Probatio

Digitized by Google

ſecundæ regulæ attinentis ad primam figuram.

medius terminus in neutra præmiſſa diſtribueretur : nam non diſtribueretur quidem in majori, quia in illa tenet locum ſubjecti : in propoſitione autem particulari ſive affirmativa, ſive negativa ſubjectum non diſtribuitur, cùm afficiatur nota particulari. Neque diſtribueretur in minori, quia ex uno capite hæc debet eſſe affirmativa, ut mox diximus, & ex altero in ea medius terminus obtinet locum prædicati : in propoſitione autem affirmativa etiam univerſali prædicatum non diſtribuitur. Ergo &c. Dixi *in modis directis*, quia aliàs pro indirectis cùm minor poſſit eſſe negativa, poteſt proinde medius terminus, qui non fuerit diſtributus in majori, diſtribui in minori, & ſic apparet neutram regulam locum habere in modis indirectis : utramque autem logici comprehendunt hoc verſu. *Sit minor affirmans, nec major ſit ſpecialis.*

De regulis ſyllogiſticis ſecundæ figuræ.

V. Probatio primæ regulæ attinentis ad ſecundam figuram.

PRima regula hæc eſt. *Vtraque præmiſſa non poteſt eſſe affirmativa.* Ratio eſt quia in utraque præmiſſa medius terminus prædicatur : at prædicatum, ut jam ſæpe dictum eſt, non diſtribuitur in propoſitione affirmativa etiam univerſali : ergo ſi utraque præmiſſa eſſet affirmativa, medius terminus in neutra diſtribueretur : Omnis autem concluſio ad hoc ut ſit bona vi formæ, ſupponit diſtributionem medii termini in præmiſſis.

VI. Probatio ſecundæ regulæ pro ſecũda figura.

Secunda regula hæc eſt. *Major non poteſt eſſe particularis.* Ratio eſt, quia ſi, ut mox probatum eſt, altera præmiſſa debet eſſe negativa, conſequens eſt concluſionem debere eſſe negativam, ut patet ex tertia regula generali : at ſi concluſio eſt negativa majus extremum, quod in ea tenet locum prædicati, in ea diſtribuitur : ergo debuit eſſe diſtributum in majori. At in ea non poteſt diſtribui, ſi fuerit particularis, quatenus in illa tenet locum ſubjecti. Igitur ſi major eſſet particularis diſtribueretur aliquis terminus in concluſione, qui non fuiſſet diſtributus in præmiſſis : quod eſt contra ſextam regulam generalem. quod itaque ſpectat ad hanc utramque ſecundæ figuræ regulam habes illam expreſſam hoc verſu ſequente. *Vna negans præſit, nec major ſit ſpecialis.*

De regulis ſyllogiſticis tertiæ figuræ.

VII. Probatio primæ re-

PRima regula hæc eſt. *Minor non poteſt eſſe negativa.* Ratio eſt, qui ſi minor eſſet negativa, concluſio eſſet ſimiliter negativa, in

qua proinde diſtribueretur majus extremum, quatenus in ea obtinens locum prædicati : at majus extremum non fuiſſet diſtributum in majori, quod ſic oſtendo. Si minor eſt negativa, major debet eſſe affirmativa : in propoſitione autem affirmativa prædicatum non diſtribuitur : ergo majus extremum, quod in illa locum obtinet prædicati, non fuiſſet diſtributum. Ergo denique ſi minor eſſet negativa, diſtribueretur in concluſione aliquis terminus, qui non fuiſſet diſtributus in præmiſſis : quod eſt contra ſextam regulam generalem. gulæ pro tertia figura.

VIII. Probatio ſecundæ regulæ pro tertia figura.

Secunda regula hæc eſt. *Concluſio debet eſſe particularis.* Ratio eſt, quia ſi concluſio eſſet univerſalis, minus extremum, quod obtinet in ea locum ſubjecti, diſtribueretur : nec tamen diſtributum fuiſſet in minori ; quia minor, ut mox dictum eſt, debet eſſe affirmativa, & aliunde in ea locum obtinet prædicati, quod in propoſitione affirmativa etiam generali nunquam diſtribuitur : ergo ſi concluſio non eſſet particularis, dibribueretur in ea aliquis terminus, qui non fuiſſet diſtributus in præmiſſis : quod eſt contra ſextam regulam generalem. Habes quoque ambas hujus tertiæ figuræ regulas expreſſas hoc carmine. *Sit minor affirmans, concluſio ſit ſpecialis.* Et hæc quidem de regulis ſyllogiſticis dicta ſint ; deinceps de modis.

ARTICULUS III.

DE MODIS SYLLOGISTICIS

I. Combinationes ſyllogiſti. ex vulgò ſunt undeviginti

MODUM ſyllogiſticum ſupra inſinuavimus conſiſtere in combinatione trium propoſitionum, ex quibus ſyllogiſmus coaleſcit, ſpectatâ ſecundùm quantitatem illarum, ac qualitatem : at talis combinatio multipliciter poteſt fieri aut contra regulas ſive generales, ſive particulares ſyllogiſticas ; aut conformiter ad illas : unde fit ut in quibuſdam modis concluſio ſit idonea ; in aliis ſecùs, prout in illis obſervantur, aut deficiunt prædictæ regulæ. Modos itaque ad rectè concludendum idoneos, quos cæteris neglectis recenſent Logici, his quatuor verſibus comprehendunt.

***Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapeſmo*, *Friſeſomorum*, *Ceſare*, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*, *Darapti*, *Felapton*, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.**

II. Exponũtur iſtæ combinationes.

IN quibus vocabulis ad arbitrium confictis attendendæ ſunt ſingulæ ſingularum ſyllabarum vocales, quarum quælibet juxta methodum ſuperiùs expoſitam ſatis repræſentat qualis, & quanta ſit propoſitio, quæ ipſi reſpondet: ſic intelligitur propoſitiones primi modi ***Barbara*** eſſe omnes univerſales, & affirmativas: in ſecundo autem modo, ſcilicet ***Celarent***, prima eſt univerſalis negativa, ſecunda univerſalis affirmativa, tertia univerſalis negativa; & ſic de cæteris. Ubi autem ex ſupra dictis vocabulis quædam ſunt, quæ excedunt tres ſyllabas, neglige exceſſum, qui utique non niſi ad verſus complementum adjicitur: ſic in modo friſeſomorum nonniſi tres priores ſyllabæ attendendæ ſunt, quæ denotant modum illum coaleſcere ex majori affirmativa particulari, ex minori negativa univerſali, & ex concluſione negativa particulari.

III. Modi alii ſunt directi, & alii indirecti.

Deinde modos iſtos dividunt in directos & indirectos. Directi vocantur illi, in quorum concluſione majus extremum prædicatur de minori extremo; & hic concludendi modus haud dubie directus vocatur, quia frequentiùs &, ut ſic loquar, connaturaliùs menti occurrit. Indirecti è contra ob infrequentiorem, ac minus connaturalem occurſum dicuntur illi, in quorum concluſione minus extremum prædicatur de majori extremo. Tum ex 19. modis jam enumeratis primæ figuræ tribuuntur novem, quorum quatuor priores ſunt directi; quinque autem poſteriores indirecti. Poſtmodùm ſecundæ figuræ adſcribuntur quatuor ſequentes, ac ſex reliqui tertiæ. In quibus omnibus ſi quid eſt arduum intellectu, id plane elucidabunt exempla conſequentia.

Digitized by Google

MODI QVATVOR DIRECTI.

PRIMÆ FIGURÆ.

BAR OMne animal eſt ſubſtantia.
BA Omnis homo eſt animal.
RA. Ergo Omnis homo eſt ſubſtantia.

CE Nullum animal eſt lapis.
LA Omnis homo eſt animal.
RENT. Ergo nullus homo eſt lapis.

DA Omne vivens eſt ſubſtantia.
RI Aliquis homo eſt vivens.
I. Ergo aliquis homo eſt ſubſtantia.

FE Nullus lapis eſt animal.
RI Aliqua gemma eſt lapis.
O. Ergo Aliqua gemma non eſt animal.

Modi quinque indirecti Primæ Figuræ.

BA OMne auimal eſt ſubſtantia.
RA Omnis homo eſt auimal.
LIP. Ergo Aliqua ſubſtantia eſt homo.

CE Nullus lapis eſt animal.
LAN Omnis gemma eſt lapis.
TES. Ergo nullum animal eſt gemma.

DA Omnis homo eſt vivens.
BI Aliquod ſenſitivum eſt homo.
TIS. Ergo aliqnod vivens eſt ſenſitivum.

FA Omnis homo eſt ſubſtantia.
PES Nullus lapis eſt homo.
MO. Ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis

FRI Aliqua gemma eſt lapis.
SES Nullus homo eſt gemma.
OM. Ergo Aliquis lapis non eſt homo.

Modi quatuor Secundæ Figuræ.

CE NUllus lapis eſt ſenſitivus.
SA Omnis homo eſt ſenſitivus.
RE. Ergo nullus homo eſt lapis.

CA Omnis homo eſt ſubſtantia.
MES Nullum accidens eſt ſubſtantia.
TRES Ergo nullum accidens eſt homo.

FES Nullus homo eſt arbor.
TI Aliqua pyrus eſt arbor.
NO. Ergo Aliqua pyrus non eſt homo.

BA Omnis arbor eſt ſubſtantia.
RO Aliqua privatio non eſt ſubſtantia
CO. Ergo aliqua privatio non eſt arbor

Modi ſex reliqui Tertiæ Figuræ.

DA OMnis lapis eſt ſubſtantia.
RAP Omnis lapis eſt inſenſitivus.
TI. ErgoAliquod inſenſitivum eſt ſubſt.

FE Nullus lapis eſt homo.
LAP Omnis lapis eſt ſubſtantia.
TON. ErgoAliqua ſubſtan. non eſt homo.

DI Aliquis homo eſt ſubſtantia.
SA Omnis homo eſt riſibilis.
MIS. Ergo Aliquod riſibile eſt ſubſtantia.

DA Omne vivens eſt ſubſtantia.
TIS Aliquod vivens eſt homo.
I. Ergo Aliquis homo eſt ſubſtantia.

BO Aliquod corpus non eſt ſenſitivum.
CAR Omne corpus eſt ſubſtantia.
DO. ErgoAliqua ſubſt. non eſt ſenſitiva.

FE Nulla ſtella eſt vivens.
RIS Aliqua ſtella eſt mobilis.
ON. Ergo aliquod mobile nō eſt vivens

Digitized by Google

IV. Adducitur demonſtratio pro modis debite enumerandis

Et ſic quidem in ſcholis abſque penitiori ulla inquiſitione recipitur quidquid hactenus de iſtis modis ſyllogiſticis dictum eſt. At ego non ſuperfluum putavi, ſi rationem demonſtrativam inquirerem, cur admittendi non ſint, niſi modi undeviginti; cur novem ad primam figuram, cur quatuor ad ſecundam, cur ſex referantur ad tertiam, & fortè in ea demonſtratione inquirenda non otioſe elaboratum eſt. Quare ingenue eam communicabo; ſed neque diſſimulabo multa circa iſtos modos paſſim doceri, quæ cum illa non recte quadrant, & quæ Ariſtoteles antequam traderet, debuiſſet ſtudioſiùs perſcrutari, vel potiùs, quæ cæco conſenſu non debuerunt Ariſtotelici ſic recipere, ut poſtmodùm clariùs intelliges. Interim pro inquirendo numero modorum ſyllogiſticorum cape quâ viâ proceſſerim, quam & putavi demonſtrativam. Cum enim omnis diverſitas propoſitionum ſecundùm qualitatem, & quantitatem repræſentetur, & id quidem meritò, à Logicis per iſtas quatuor vocales A, E, I, O, ſicut ſupra explicui: hinc planum eſt non eſſe poſſibiles plures combinationes propoſitionum, quam iſtarum quatuor vocalium; atque ita cùm omnis modus ſyllogiſticus ex tribus propoſitionibus coaleſcat, hinc conſequitur tot eſſe modos ſyllogiſticos, quot modis prædictæ quatuor vocales variari poſſunt, ſumendo ſcilicet illas ternas ac ternas, quo pacto repræſentant tres propoſitiones ſyllogiſticas. At ſecundùm principia combinationum arithmeticarum conſtat eas poſſe ſic variari modis ſexaginta quatuor: ex quibus deinceps combinationationibus ſi rejiciantur illæ, quæ deprehendentur non concordare cum regulis generalibus ſyllogiſticis, quæcunque concordes ſupererunt, exhibebunt proinde modos ad recte concludendum idoneos. Sicut rurſus ex iſtis modis tot pro qualibet figura aſſumendi erunt, quot deprehendentur non peccare contra regulas particulares illius figuræ: atque ita id totum, quod inquirimus, plane elucidabitur: & ecce ſchema totius mei qualiſcunque laboris.

Schema combinationum poſſibilium, juxta quas variantur hæ quatuor vocales A, E, I, O, ſumptæ ſemper ternæ ac ternæ; quælibet autem combinatio deſignat modum aliquem Syllogiſticum, qui ſi non peccaverit contra aliquam regulam generalem retinendus eſt: ſi verò peccat, rejiciendus.

*	A A A	BARBARA.		I I I	Peccat contra primam.
	A A E	Peccat contra quintam.		I I A	Contra primam.
*	A A I	.... { Baralipton. Darapti.		I I E	Contra primam.
	A A O	Contra quintam.		I I O	Contra primam.
	A E A	Contra tertiam.	*	I A I	Diſamis.
	A I A	Contra ſecundam.		I E I	Contra tertiam.
	A O A	Contra tertiam.		I O I	Contra tertiam.
*	A E E	... Cameſtres.		I A A	Contra ſecundam.
*	A I I	.... { Darii. Dabitis. Datiſi.		I E E	Contra ſecundam.
*	A O O	..... Baroco.		I O O	Contra primam.
	A I E	Contra quintam.		I A E	Contra ſecundam.
	A O E	Contra ſecundam.		I A O	Contra quintam.
*	A E O	... Fapeſmo.		I O A	Contra tertiam.
	A I O	Contra quintam.		I O E	Contra primam.
	A O I	Contra tertiam.	*	I E O	Friſeſomorum.
	A E I	Contra tertiam.		I E A	Contra tertiam.
	E E E	Contra quartam.		O O O	Contra quartam.
	E E A	Contra quartam.	*	O A O	..... Bocardo.
	E E I	Contra quartam.		O E O	Contra quartam.
	E E O	Contra quartam.		O I O	Contra primam.
*	E A E	{ Celarent. Celantes. Ceſare.		O A A	Contra tertiam.
	E I E	Contra ſecundam.		O E E	Contra quartam.
	E O E	Contra quartam.		O I I	Contra primam.
	E I A	Contra ſecundam.		O A E	Contra ſecundam.
	E A A	Contra tertiam.		O A I	Contra tertiam.
	E I I	Contra tertiam.		O E A	Contra ſecundam.
	E O O	Contra quartam.		O E I	Contra primam.
	E O A	Contra quartam.		O I A	Contra tertiam.
	E O I	Contra tertiam.		O I E	Contra primam.
*	E A O	... Felapton.		O O A	Contra quartam.
	E A I	Contra tertiam.		O O E	Contra quartam.
*	E I O	... { Ferio. Feſtino. Feriſon.		O O I	Contra quartam.

Prima regula Generalis. *Ex præmiſſis particularibus nihil concluditur.*
Secunda. *Ex præmiſſis quarum altera eſt particularis ſequitur concluſio particularis.*
Tertia. *Ex præmiſſis quarum altera eſt negativa non ſequitur concluſio affirmativa.*

Quarta. *Ex præmiſſis negativis nihil concluditur.*
Quinta. *Ex præmiſſis affirmativis non ſequitur concluſio negativa.*
Sexta. *Omnis terminus diſtributus in concluſione, diſtribui debuit in præmiſſ.*

V. **Ad falſitatem alicujus modi ſatis eſt ſi peccet contra unam regulam.**

Nota plures ex præenumeratis combinationibus peccare ſimul contra plures regulas, nihilominus ſatis eſſe duxi ſi vel unam indicarem ex illis, contra quas peccant; hinc enim ſatis patet eas non eſſe pro modis idoneis ſyllogiſticis recipiendas. Quo pacto apertum ac manifeſtum eſt ex omnibus illis 64. variis combinationibus non comperiri niſi 12. quæ ſecundum regulas præmiſſas generales poſſint pro modis idoneis ſyllogiſticis recipi: & ſic ſecundum rei veritatem non ſunt niſi duodecim modi ſyllogiſtici, quos ſtellulis appictis notavi. Verùm ex iſtis modis, ut aliqui in una tantùm figura concludunt, ita alii concludunt plus quàm in una; & hæc haud dubie ratio fuit, cur iſti fuerint variis vocabulis deſignati: at nihilominus non ſunt revera plures quàm duodecim, ex quibus ſupereſt determinandum quot, & quales illi ſint, quos quælibet figura ſibi vendicat: id autem non difficilè determinabis conſpiciendo hinc modos illos, hinc regulas pro qualibet figura particulariter traditas, ut habes in hoc ſchemate.

Schema demonſtrans quot ex modis generalibus ſyllogiſticis idonei ſint ad concludendum directè in prima figura.

*	A A A.	BARBARA.	Regulæ ſpectantes ad primam figuram pro modis directis.
*	A A I.	BARATI. *Modus adinventus.*	
	A E E.	*Peccat contra primam.*	
*	A I I.	DARII.	Prima hæc eſt. *Minor debet eſſe affirmativa.*
	A O O.	*Peccat contra primam.*	
	A E O.	*Peccat contra primam.*	
*	E A E.	CELARENT.	Secunda hæc eſt. *Major non debet eſſe particularis.*
*	E A O.	FEPATO *modus adinventus*	
*	E I O.	FERIO.	
	I A I.	*Peccat contra ſecundam.*	
	I E O.	*Peccat contra ſecundam.*	
	O A O.	*Peccat contra ſecundam.*	

VI. **Prima figura habet ſex modos.**

Hinc evidenter patet comperiri ſex combinationes ſyllogiſticas, quæ idoneæ ſunt ad concluſionem directam in prima figura, ſiquidem non peccant contra regulas ad eandem figuram attinentes. Cur itaque non admittantur niſi quatuor modi directi in prima figura, non video unde id proceſſerit, niſi ex inſcitia demonſtrationis, quam adduco in ſchemate; & quam ulterius ſic confirmo oſtendens has duas conbinationes AAI, EAO, addendas eſſe aliis quatuor, ſcilicet AAA,

AII,

AII, EAE, EIO, id eſt *barbara, celarent, darii, ferio*: confirmatio itaque hæc eſt, quia quando poteſt prædicari univerſaliter majus extremum de minori extremo, poteſt etiam prædicari particulariter, ut patet: ergo ſi in prima figura ex præmiſſis univerſalibus AA, poteſt directè inferri concluſio univerſalis A, poterit tantò rationabiliùs inferri concluſio particularis I, & ſic hæc combinatio AAI quam ficto nomine *Darati* deſigno, pertinet ad primam figuram. Rurſus quando poteſt majus extremum negari univerſaliter de minori extremo, poteſt tantò veriùs negari de illo particulariter: ergo ſi in prima figura ex præmiſſis EA poteſt inferri concluſio E, poterit proinde ſemper inferri concluſio O: atque ita hæc combinatio EAO perinde ac altera EAE quam vocant *celarent*, idonea eſt ac legitima: illamque ego vocavi ad arbitrium *Fepato*.

VII. Modi indirecti pendent ex converſione concluſionis.

Quod autem ſpectat ad modos indirectos primæ figuræ, totum negotium facillimè expeditur attendendo ad aliorum, quos directos vocavimus, concluſiones, quæ ſi poſſunt converti ſimpliciter aut per accidens juxta methodum traditam Art. 4. præcedentis diſputationis, efficient totidem modos diverſos indirectos. Revoca igitur in memoriam propoſitiones univerſales negativas poſſe converti ſimpliciter & per accidens, univerſales affirmativas tantùm per accidens, particulares autem affirmativas tantum ſimpliciter, ut nihil dicam de converſione per contrapoſitionem, quæ hîc locum non habet. Quapropter ſi attendimus ad concluſionem primi modi vulgaris *barbara*, evidens eſt poſſe illam converti per accidens ac proinde poſſe in illa prædicari minus extremum de majori extremo, qualiter concluſio evadet indirecta: cujus rei propono exemplum, quod modis cæteris applicandum eſt, *Omnis homo eſt ſubſtantia, Omne rationale eſt homo*, ergo *Omne rationale eſt ſubſtantia* ecce concluſionem directam, in qua ſcilicet majus extremum prædicatur de minori extremo: hanc itaque propoſitionem ſi convertas per accidens in hunc modum *Ergo aliqua ſubſtantia eſt rationalis*, efficies ſyllogiſmum indirectum in prima figura, hoc pacto, *Omnis homo eſt ſubſtantia: Omne rationale eſt homo: ergo aliqua ſubſtantia eſt rationalis*, & ecce modum indirectum quem vocant *Baralipton.* Similiter modus *celarent*, cujus concluſio eſt ſimpliciter convertibilis habet modum indirectum ſibi reſpondentem quem vocant *celantes*: Rurſus modo *Darii* directo correſpondet indirectus alius *Dabitis.* At nullus eſt qui correſpondeat modo quem vocant *Ferio*, quia concluſio illius, quæ eſt particularis negativa, nec poteſt converti ſimpliciter, nec per accidens. Præterea nec deſunt combinationes, quæ valent ad concludendum indirectè, quam-

vis non valeant ad concludendum directe : & illæ totidem conſtituunt modos alios indirectos : ſic enim combinationes AEO , & IEO , id eſt *fapeſmo* & *friſeſomorum* pro modis indirectis recipiuntur. Nec quicquam ſupereſt ulterius inveſtigandum circa iſtos primæ figuræ modos ſeu directos , ſeu indirectos ; niſi quòd miror cur in cæteris figuris non æque modi indirecti recenſeantur, cùm perinde aliqui recenſeri poſſint. Verùm ex præmiſſa doctrina erui poterunt : quare etiam à nobis ſubticebuntur , & omninò præteribunt innominati. Proſequamur jam & videamus quot modi ſyllogiſtici in figura ſecunda admittendi ſint propoſito in hunc finem altero ſchemate.

Schema demonſtrans quot ex modis generalibus ſyllogiſticis idonei ſint ad concludendum in ſecunda figura.

	A A A	Peccat contra primam.	Regulæ ſpectantes ad ſecundam
	A A I	Peccat contra primam.	figuram.
*	A E E	C A M E S T R E S.	
	A I I	Peccat contra primam.	Prima hæc eſt. *Altera præmiſſa de-*
*	A O O	. . . . B A R O C O.	*bet eſſe negativa.*
*	A E O	. . *Batepo, modus adinventus.*	
*	E A E	C E S A R E.	
*	E A O	. . . *Trepano, modus adinventus.*	Secunda hæc eſt. *Major non debet*
*	E I O	F F S T I N O.	*eſſe particularis.*
	I A I	--Peccat contra ſecundam.	
	I E O	Peccat contra ſecundam	
	O A O	Peccat contra ſecundam.	

VIII. Secunda figura habet etiam ſex modos.

Hinc conjicis comperiri ſex combinationes ſyllogiſticas , quæ aptæ ſunt ad recte concludendum in ſecunda figura , quia neque peccant contra regulas generales, ut ſupra oſtenſum eſt , neque contra particulares hujus figuræ , ut per te ipſum advertis. Cur autem Ariſtoteles non niſi quatuor tradiderit , hæc haud dubie ratio eſt , quia cæteras ignoravit; & ſic mihi præbuit occaſionem ad minùs ſuſpicandi illum , quod ad logicam ſpectat , nec omniſcium fuiſſe , nec infallibilem, ut plerique Ariſtotelicorum ſomniarunt. De cætero novas, ut ſic loquar , duas illas combinationes AEO , & EAO, novis arbitrariiſque vocabulis deſignavi *Batepo* , *trepano.* Supereſt ut pro modis ſyllogiſticis tertiæ figuræ inquirendis ſchema tertium adjiciam.

Digitized by Google

Schema demonſtrans quot ex modis generalibus ſyllogiſticis idonei ſint ad concludendum in tertia figura.

	A A A	Peccat contra ſecundam.	Regulæ ſpectantes ad tertiam figuram.
*	A A I	...DARAPTI.	
	A E E	Peccat contra primam	
*	A I I	....DATISI.	Prima regula hæc eſt. *Minor debet eſſe affirmativa.*
	A O O	Peccat contra primam.	
	A E O	Peccat contra primam.	
	E A E	Peccat contra ſecundam.	
*	E A O	....FELAPTON.	Secunda regula hæc eſt.
*	E I O	....FERISON.	*Concluſio debet eſſe particularis.*
*	I A I	.....DISAMIS.	
	I E O	Peccat contra primam.	
*	O A O	....BOCARDO.	

In hoc itaque ſchemate advertis ſex combinationes , quæ idoneæ ſunt ad recte concludendum in tertia figura : ac proinde intelligis pro eadem figura admittendos eſſe ſex modos, quales vulgo admittuntur ***Darapti felapton*, *diſamis*** , &c. Verum non è re erit ſi obiter obſervaveris caſu tantùm eveniré potuiſſe , ut Ariſtotelici , qui in cæterarum figurarum combinationibus enumerandis defecerunt , non erraverint in enumerandis combinationibus iſtius tertiæ , de quibus omnibus id tantùm addo non arduum eſſe ut hac eâdem viâ detegatur quot , & quales combinationes admitti poſſint pro illa quarta figura , quam ſupra diximus à Galeno fuiſſe admiſſam , neque eſſe , niſi ex hoc capite , quòd eſt ferè inutilis , reprobandam. Ordina enim ut in ſchematibus ſuperioribus hinc combinationes generales , hinc talis figuræ regulas , quas apud authores pro Galeno pugnantes legere eſt , & ſic illico deprehendes quot, & quales modi ad quartam illam figuram attineant. Nihilominùs adhuc ſubjungo non obſtare errores in calculo modorum ſyllogiſticorum Ariſtotelico compertos , quominùs iis ſpretis enumerationem receptiſſimam amplectamur , & eapropter more Ariſtotelico explicui illam ſuperius ; & deinceps non aliam memorabo , ut in re aliàs non adeò magni momenti non recedatur ab uſitata loquendi , ac diſputandi conſuetudine. **IX. Hinc colligi poteſt quot eſſent modi in quarta figura.**

ARTICULUS IV.

DE VARIIS SPECIEBVS ſyllogiſticis.

I. Syllogiſmi alii ſunt ſimplices & alii ſunt compoſiti.

EX dictis hactenus de modis, ac figuris ſyllogiſticis ſatis conſtat quæ, & qualis ſit varietas argumentandi, illa ſcilicet quæ pendet ex forma, quam in utriſque ſupra dictum eſt conſiſtere. At ultra varietatem illam alia ſupereſt, quæ oritur ex materia, & ratione cujus poſſint ſyllogiſmi primò dividi in ſimplices & compoſitos, prout nempe conſtant ex propoſitionibus aut ſimplicibus, aut compoſitis. Simplices eos voco, in quibus unicum prædicatum cum unico ſubjecto per copulam *eſt* affirmativam conjungitur, aut ab illo disjungitur per negationem talis copulæ; & hujuſmodi ſunt illi omnes, quos in exempla facilia modorum ſyllogiſticorum ſupra attulimus. Compoſiti è contra illi ſunt, qui ex multis ſubjectis, aut prædicatis, aut ſimul utriſque coaleſcunt ſive conjungendis per affirmationem, ſive per negationem mutuò dividendis. Et ad hanc variam ac multiplicem compoſitionem attinent, quæ in diſputatione proximè ſuperiori art. 2. dicta ſunt de propoſitionibus copularivis, disjunctivis, conditionalibus, &c. ex quibus proinde componi poſſunt ſyllogiſmi, quos vocare poteris copulativos, disjunctivos, conditionales, &c. Neque illorum omnium exempla refero, cùm unicuique obvia ſint; ſed tantum obiter animadverto in hujuſmodi argumentationes compoſitas ſæpe errores irrepere, quos quiſque non aliter expeditiùs obſervabit ac redarguet, quàm ſi illas in ſimplices commutaverit: ad illas autem ſic commutandas prævalet quibuſcunque regulis in hunc effectum aſſignabilibus maturi, & attenti, ac præſertim non præventi judicii diligens, & iterata conſider.tio.

II. Syllogiſmi alii ſunt de-

Secundò dividi aliter ſyllogiſmi poſſunt ratione connexionis materialis, quæ eſt inter ſubjecta & prædicata propoſitionum, ex quibus illi conficiuntur, in demonſtrativos, topicos & ſophiſticos. Syllogiſ-

Digitized by Google

mus demonſtrativus ille eſt, in quo ex præmiſſis certis & evidentibus infertur certa, & evidens concluſio. Sic etiam topicus, aut aliter probabilis, ſeu opinativus ille eſt, in quo ex præmiſſis veriſimilibus infertur concluſio veriſimilis. Ac denique ſophiſticus, ſeu captioſus ille dicitur, in quo ex falſis ac fallacibus præmiſſis ſuboritur falſa pariter, ac fallax concluſio. Tum ad clariorem notitiam definitionis, quæ pro ſyllogiſmo demonſtrativo tradita eſt, obſerva certitudinem eſſe duplicem, ſubjecti ſcilicet, & objecti. Certitudo ſubjecti, id eſt intellectus, eſt firma, fixa, & conſtans mentis adhæſio ad id, de quo judicat: certitudo autem objecti, id eſt ſyllogiſmi ipſius demonſtrativi, eſt pondus, ac valor rationis, quam menti proponit idoneam pro firma illa, & fixa, & conſtante mentis adhæſione exigenda. Sæpe autem accidit, quod omnibus notum eſt, ut major ſit certitudo ſubjecti, quàm objecti; aut è contra, prout intellectus aut non capit omnem vim demonſtrationis, aut apprehendit juſto majorem. Quod autem dixi de certitudine, id ipſum intellige etiam de evidentia, quæ nihil aliud eſt, quàm prædictæ certitudinis novus quidam ſplendor mentem oblectans, rapiens, & obfirmans in aſſenſu. monſtrativi, alii topici, alii ſophiſtici

Præterea certitudo demonſtrativa poteſt aliter dividi in metaphyſicam, phyſicam, & moralem. Metaphyſica illa eſt, quæ ſic premit, & convincit intellectum, ut reputet nec divinitùs poſſe fieri, ut res aliter ſe habeat, quàm apprehenditur: talis autem ac tanta certitudo provenire non poteſt, niſi ex principiis metaphyſicis notiſſimis, aut ex aliis v. g. geometricis, quorum non inferior ſit evidentia: uti *Quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe; Omne totum eſt majus ſua parte; Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia* &c. Certitudo autem phyſica non adeò vehementer intellectum ſollicitat, nihilominùs ſatis convincit, ut reputet rem etſi poſſit divinitùs ſe habere aliter quàm apprehenditur, non poſſe tamen aliter ſe habere ſpectato rerum naturalium curſu, & ordine; & hæc eſt certitudo, quam habet v. g. Aſtronomus de hora, ac momento eventuræ eclipſis. At errare tamen abſolute loquendo poteſt Aſtronomus ex conſpectu aſtrorum illam prædicens; poteſt enim interim diſponere Deus omninò aliter motus aſtrorum, ſicut errat Calviniſta ex ſpeciebus panis dijudicans adeſſe panem in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; quaſi verò non potuerit Deus ſubſtantiam panis, ſpeciebus ejuſdem remanentibus, deſtruxiſſe. Addo obiter ex rebus phyſicis non paucas eſſe, de quibus tanta certitudo obtinetur, ut pro metaphyſica haberi poſſit; talis eſt certitudo, quâ quiſque novit ſe exiſtere, ſe cogitare, ſe velle, &c. Denique certitudo moralis illa eſt, quæ adhuc multo minùs urget mentem ad aſſenſum; & li- III. Triplex eſt certitudo demonſtrativa.

cet non omnino convincat, attamen ſuadet viros prudentes non poſſe diſſentiri, ex eo præſertim quòd ii omnes, qui prudentes, & æqui rerum æſtimatores reputantur, ſuum aſſenſum præbeant ei ſcilicet rei, quæ pro moraliter certa accipitur. Unde intelligis certitudinem moralem non tam ex rationum, quàm ex ſuffragiorum pondere ac numero ſuboriri; quatenus præſertim in communi hominum æſtimatione fundatur: atque ita id quod communiter homines pro vero reputant, aut pro vero reputarent ſi illis proponeretur, id moraliter certum vocatur; in quo ſenſu moraliter certum eſt virum probi ſalvâ legitimâ excuſatione die Dominicâ adfuturum miſſæ, & ſic de aliis.

IV. Syllogiſmi demonſtrativi alii ſunt à priori, & alii à poſteriori.

Dividitur etiam ſyllogiſmus demonſtrativus in demonſtrativum à priori, & demonſtrativum à poſteriori; & ſic duplex eſt demonſtratio, alia à priori, quam aliter vocant *propter quid*, & alia à poſteriori, quam vocant *quia*. In illa probatur qualiſcunque effectus per qualem cunque cauſam; in iſta ex adverſo probatur qualiſcunque cauſa per qualemcunque effectum. At illa adhuc ſubdividitur in potiſſimam, & non potiſſimam. Potiſſima dicitur, in quâ aliquis effectus probatur per cauſam proximam, ac principalem, aut potiùs per primam, quæ ideo non ſit demonſtrabilis per aliam antecedentem; in quo ſenſu dixit Ariſtoteles ſyllogiſmum demonſtrativum conſtare ex præmiſſis *primis, immediatis, notioribus, prioribus, & cauſis concluſionis*. Demonſtratio autem non potiſſima illa eſt, in qua, ut ſuperiùs dicebam, probatur qualiſcunque effectus per qualemcunque cauſam. Nec video cur demonſtratio à poſteriori non poſſit ſimiliter dividi in potiſſimam & non potiſſimam; cùm perinde cauſa probari poſſit per effectum proximum, aut per remotum. Nec rurſus monendum puto qualiter iſtæ omnes demonſtrationes ſint aut metaphyſicæ, aut phyſicæ, aut morales, attentis hinc cauſis, hinc effectibus diverſi ordinis, id eſt metaphyſici, phyſici, aut moralis. Tantum annoto præmiſſas demonſtrativas ſic convincere mentem, ut hæc reſilire non poſſit ab aſſenſu exhibendo concluſioni: & ratio eſt, quia concluſio tota eſt in præmiſſis, alioquin non poſſet inferri tota ex illis: ergo eadem convictio, quæ eſt pro præmiſſis, eſt etiam pro concluſione, quoties nimirum latitudo veritatis earum comprehenditur; poſſet enim fieri per accidens ut aliquis non ſatis comprehendens præmiſſas non agnoſceret concluſionem inferibilem, ac proinde exiſtentem in illis implicite. At iſto inſcitiæ caſu ſecluſo verum eſt conceſſis præmiſſis mentem neceſſitari ad conceſſionem concluſionis: & ita quidem ſplendide verum eſt, ut putem eſſe omni ulteriori probationi ſuperſedendum, quamvis nonnunquam in ſcholis id ſatis fusè controvertatur.

Digitized by Google

Denique quod ſpectat ad utramque aliam ſpeciem ſyllogiſmi hinc topici, hinc ſophiſtici non complectitur peculiarem ullam difficultatem, in cujus ſolutione hæreri poſſit; nam pro topico quidem conſtruendo eadem omninò formæ ſyllogiſticæ præcepta obſervanda ſunt, quæ ſupra enumeravimus, ſicut hæc eadem præcepta juvant ad deſtructionem alterius ſophiſtici, id eſt ad detegendas fallacias, quas in illum introducit vel inſcitia, vel fraus Sophiſtarum. Evidens quippe eſt ſyllogiſmum tot fallaciis ſubjacere, quot ſunt regulæ, quæ ad eas vitandas ac dignoſcendas traduntur, ſicut revera eas vitat ac dignoſcit non admodùm difficilè, quiſquis mentem habet talibus regulis idonee comprehenſis præventam, & exercendis aſſuefactam. De cætero nihilominùs non deſunt innumeræ aliæ fallaciæ, ut æquivocationes, ambiguitates, diſtorſiones quæſtionis, petitiones principii, adductiones cauſarum, aut effectuum non convenientium, enumerationes imperfectæ, præjudiciorum complicationes, &c. quarum omnium exempla nimis frequenter occurrunt in humanis ſtudiis, ſcriptis, colloquiis, quàm ut proponi indigeant. **V. Eædem regulæ ſunt obſervandæ pro cæteris ſyllogiſmis.**

ARTICULUS V.

DE REDUCTIONIBUS ſyllogiſticis.

QUAMVIS valde, ut opinor,. inutilia ſint, quæ à Logicis circa ſyllogiſticas iſtas reductiones traduntur; nihilominus non omnino prætermittenda eſſe putavi ſaltem ad hoc, ut eorum ignorantia non præbeat locum ſuſpicandi utilitatem, cùm ea quæ ignorantur, ut ſæpe nullius pretii, ita ſæpe nimii reputentur. Itaque ſyllogiſmi alii perfecti, alii perfecti vocantur: perfecti illi ſunt, qui reſpondent quatuor primis modis primæ figuræ ***Barbara, celarent, darii ferio***: cæteri autem omnes, qui aliis modis ſeu indirectis primæ figuræ, ſeu directis ſecundæ, ac tertiæ figuræ reſpondent pro imperfectis, ſeu potiùs pro minùs perfectus habentur; ideo ſcilicet, quia illorum concluſio non tam aperte, ac naturaliter conſequitur ex præmiſſis; **I Quot ſint, & ad quid inſerviant reductiones ſyllogiſticæ**

unde contingere poteſt, ut aliquis talibus præmiſſis conceſſis neget, aut certe non advertat vim concluſionis. In quo caſu ne quid deſit probationi ſyllogiſticæ, tradunt logici artem reducendi modos imperfectos ad perfectos; idque dupliciter ſcilicet per reductionem oſtenſionis, ut vocant; & per reductionem ad impoſſibile, de qua utraque nunc agendum eſt.

II. **Qualiter fiat reductio per oſtenſionem.** Reductio per oſtenſionem eſt revocatio ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum per ſolam propoſitionum converſionem & tranſpoſitionem cùm opus fuerit; pro cujus itaque revocationis toto artificio capiendo obſerva omnes modos tam perfectos, quàm imperfectos habere pro litera initiali aliquam ex his conſonantibus ***B***, ***C***, ***D***, ***F***: quare ſyllogiſmus imperfectus, cujus litera initialis eſt B, reducendus eſt ad illum è quatuor perfectis, qui habet eandem literam initialem; ſic ***Baralipton*** reducitur ad ***Barbara***; ***celantes*** ad ***celarent***, &c. Obſerva rurſus in quibuſdam ſyllabis modorum imperfectorum reperiri iſtas alias conſonantes ***S***, ***P***. ***M***, **C**: quando itaque in aliqua ſyllaba comperis literam ***S***, propoſitionem ei literæ correſpondentem converte ſimpliciter; ſicuti per accidens illam, cui correſpondet litera ***P***. At quando in aliqua ſyllaba reperitur litera ***M***, ſignum eſt præmiſſas ſyllogiſmi reducendi ſic tranſponendas eſſe, ut major loco minoris, & è contra minor loco majoris conſtituatur: ac tandem litera **C** denotat modum imperfectum, cujus aliqua ſyllaba per eam afficitur, non poſſe reduci, niſi per reductionem ad impoſſibile juxta hæc duo ſubſequentia carmina.

S vult ſimpliciter verti, P verte per accid.
M mult. tranſponi, C per impoſſibile duci.

Ad quorum uberiorem intelligentiam duo hæc aut tria exempla ſubjicio.

BA Omne animal eſt vivens.		BAR Omne animal eſt vivens.
RA Omnis leo eſt animal.	Converti-	BA Omnis leo eſt animal.
LIP Ergo aliquod vivens eſt leo.	tur ſic.	RA Ergo Omnis leo eſt vivens.
CES Nullus leo eſt lapis.		CE Nullus lapis eſt leo
A Omnis gemma eſt lapis.	Converti-	LA Omnis gemma eſt lapis.
RE Ergo nulla gemma eſt leo.	tur ſic.	RENT Ergo nulla gemma eſt leo.
DIS Aliquis lapis eſt ſubſtantia.		DA Omnis lapis eſt corpus.
A Omnis lapis eſt corpus.	Converti-	RI Aliqua ſubſtantia eſt lapis.
MIS Ergo aliquod corpus eſt ſub.	tur ſic.	I Ergo aliqua ſubſtantia eſt corp.

Videamus

Digitized by Google

Videamus nunc qualiter fiat reductio ad impoſſibile, quam ſic definiunt. Reductio per evidentem, ut aiunt, deductionem ad impoſſibile eſt revocatio ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum cogens eum, qui negaverit concluſionem imperfecti vel ad eam admittendam, vel ad admittenda duo contradictoria, aut duo contraria ſimul vera: quòd utique impoſſibile eſt. Ad praxim autem hujus reductionis obſerva primò hæc quatuor vocabula ***Neſciebatis*, *Odiebam*, *Letare*, *Romanis***, quorum primum conſtat ex quinque ſyllabis correſpondentibus recto ordine tot modis indirectis & imperfectis primæ figuræ: ſecundum verò quatuor habet ſyllabas, quæ correſpondent quatuor modis imperfectis ſecundæ figuræ: ac tum reliqua duo vocabula conſtant ſex ſyllabis, quæ totidem repræſentant modos imperfectos tertiæ figuræ. Secundò etiam obſerva in illis quatuor dictionibus prædictis vocales ***A*, *E*, *I*, *O***, quia ſcilicet vocalis ***A*** denotat modum illum imperfectum, cujus ordini correſpondet, reducendum eſſe ad modum perfectum ***Barbara***; ſicut vocalis ***E*** denotat modi imperfecti, cui correſpondet, faciendam eſſe reductionem ad modum perfectum ***celarent***, ***I*** ad ***darii***, ***O*** ad ***Ferio***. Unde intelligis modum imperfectum ***Baralipton***, cui correſpondet prima ſyllaba vocabuli ***neſciebatis***, reducendum eſſe ad ***Celarent***, & modum imperfectum ***celantes***, cui ejuſdem vocabuli ſecunda ſyllaba correſpondet, reducendum eſſe ad ***Darii***; atque ita de aliis. **III. Qualiter fiat reductio ad impoſſibile.**

Sic igitur procedendum eſt in hujuſmodi reductionibus. Si quis tibi negaverit concluſionem hujus v. g. ſyllogiſmi attinentis ad modum ***darapti*** in tertia figura ***Omnes cæli ſunt mobiles : omnes cæli ſunt fluidi : ergo aliquod fluidum eſt mobile***, aſſume ſine mora contradictoriam concluſionis negatæ, quaſi ſic redarguendo: ***ergo nullum fluidum eſt mobile***; quam utique contradictoriam aſſumes pro majori propoſitione ſyllogiſmi conſtruendi in ***celarent***, quatenus modus prædictus imperfectus ***Darapti*** reſpondet primæ ſyllabæ vocabuli ***Letare***, ubi adeſt vocalis ***E***; & ſervata minori hujus ſyllogiſmi, cujus concluſio negata fuerit, ſcilicet ***Omnes cæli ſunt fluidi***, argumentum ſic procedet, ***Nullum fluidum eſt mobile; Omnes cæli ſunt fluidi : ergo nullum cælum eſt mobile***: ſicque Adverſarius tenetur concedere nullum cælum eſſe mobile. Et aliunde quia prædicti ſyllogiſmi imperfecti conceſſerat majorem iſtam ***Omnes cæli ſunt mobiles***, jam tenebitur vel ad admittendas iſtas duas propoſitiones contrarias ſimul veras, ***Omnes cæli ſunt mobiles ; Nullum cælum eſt mobile***: vel potiùs tenebitur ad recantandam negationem ſupradictæ concluſionis. Ecce artem totius reductionis ſyllogiſticæ abſolutam, niſi quòd explican- **IV. Exempla reductionis ad impoſſibile.**

Digitized by Google

da adhuc ſuperſunt quatuor hæc carmina, quæ ſequuntur.

Prima minorem adimit, facit è majore minorem.
(Excipe celantes, *in quo convertitur ordo.*
Servat majorem, variatque ſecunda minorem.
Tertia majorem variat, ſervatque minorem.

V. Regulæ pro reductione prædicta exponuntur.

PRima minorem adimit*, &c. hoc eſt, ſi quis negaverit concluſionem ſyllogiſmi imperfecti in prima figura, tunc contradictoria concluſionis negatæ ponenda erit loco majoris; & major ſyllogiſmi imperfecti, cujus concluſio negata fuit, ſtatuenda eſt loco minoris; ſicque ejuſdem ſyllogiſmi minor adimitur, id eſt truncatur. ***Excipe Celantes*** &c. & ideo ordo convertitur, quia minor ponitur loco majoris: ac tunc major adimitur, & ſic contradictoria concluſionis negatæ ponitur in minori. ***Servat majorem***, &c. hoc eſt, ſi quis negaverit concluſionem ſyllogiſmi imperfecti in ſecunda figura, tunc contradictoria concluſionis negatæ erit minor ſyllogiſmi conſtruendi, & ſic major alterius ſyllogiſmi, cujus negata fuit concluſio, ſervabitur pro ſyllogiſmo conſtruendo. ***Tertia majorem variat***, &c. hoc eſt, ſi quis ſyllogiſmi imperfecti in tertia figura concluſionem negaverit, tunc contradictoria concluſionis negatæ erit major ſyllogiſmi conſtruendi, & ejuſdem minor erit illa eadem, quæ erat minor ſyllogiſmi alterius, cujus concluſio negata fuit: quo pacto illius minor ſervatur, & major variatur, ſeu admitur, ut exprimitur dicto verſu. Pro quibus abſque labore ullo capiendis paucula hæc exempla ſubjicio.

BA	Omnis lapis eſt inſenſitivus.	Sic convertitur.	CE	Nullum inſenſit. eſt gemma.
RA	Omnis gemma eſt lapis.		LA	Omnis lapis eſt inſenſitivus.
LIP.	Ergo aliquod inſẽſit. eſt gem.		RENT.	Ergo nullus lapis eſt gemma.

CA	Omnis lapis eſt corpus.	Sic convertitur.	DA	Omnis lapis eſt corpus,
MES	Nullus ſpiritus eſt corpus.		RI	Aliquis ſpiritus eſt lapis.
TRES.	Ergo nullus ſpiritus eſt lapis.		I.	Ergo aliquis ſpir. eſt corpus.

BO	Aliqua ſtella non vivit.	Convertitur ſic.	BAR	Omne corpus vivit.
CAR	Omnis ſtella eſt corpus.		BA	Omnis ſtella eſt corpus.
DO.	Ergo aliquod corpus nõ vivit.		RA.	Ergo omnis ſtella vivit.

VI. Hinc eruitur tota utilitas prædictarum reductionum.

Ex quibus exemplis ſatis patet quot, & qualia ſint contradictoria, vel certe contraria & abſurda, ad quæ admittenda cogeretur quiſquis prave negaret concluſionem alicujus modi imperfecti: ac propterea illam non eſſe negandam eſt id unicum, quòd probant Logici iſtis hactenùs traditis reductionibus, quibus exercendis aſſueſieri poterit Lector ſi voluerit: quamquam hactenus raró viderim eas in ſcholaſticos uſus venire.

Digitized by Google

DISPUTATIO OCTAVA.

DE SCIENTIA IN COMMUNI.

QUONIAM ſupra dictum eſt Logicam eſſe veluti januam omnium ſcientiarum, ac rurſus ſyllogiſmum demonſtrativum, cujus leges traditæ hactenus fuerunt, ſcientias illas progignere, viſum fuit non omninò fore ſupervacaneum, ſi, ut ſolent multi alii, nonnulla ſubjicerem ad coronidem Logicæ apponendam, de ſcientia in communi. Atque ut ea breviter expediam divido ſic diſputationem præſentem in articulos quatuor, in quorum *primo* agam de natura ac multiplicitate ſcientiæ in communi; in *ſecundo* de productione ejuſdem ſcientiæ, in *tertio* de unitate, ac ſubordinatione ſcientiarum; & in *quarto* de contubernio ſcientiæ cum opinione, & fide.

ARTICULUS I.

DE NATURA, AC MULTIPLICITATE ſcientiæ in communi.

CUM principia ſyllogiſtica, de quibus ſupra actum eſt, certa ſint, eademque evidentia, proinde etiam idonea ſunt ad talem convictionem, quâ mens ſibi ſuadeat dari methodum, nempe ſyllogiſticam, per quam tutò inquiri ac comperiri rerum veritas poſſit: ſicut de facto cùm illas tali quodam modo ſe habere uſu ac ſubſidio methodi præ- I. Quid ſit ſcientia latè & ſtrictè accepta.

dictæ deprehendimus,] ac ſimul convincimur deprehendiſſe; tunc non dubitamus obtinuiſſe de illis ſcientiam. Atque ut id totum recte explicem, dico ſcientiam poſſe dupliciter accipi, aut improprie, & lato modo; aut proprie, & ſtricto modo: ſi priori modo accipitur, ſcientia vocatur qualiſcunque cognitio, ac non tantùm illa, quæ eſt opinionis & fidei, ſed inſuper illa omnis, quæ non ſuperat ſenſationem; ſic enim quæ viſu aut quocunque alio ſenſu percepta ſunt, ea juxta communiorem loquendi uſum ſciri dicuntur. At ſi ſcientia poſteriori modo accipitur, ad illius dignitatem tantùm accedit ea cognitio, quæ per demonſtrationes fuerit acquiſita. Unde quia id proprium eſt demonſtrationi ut certitudinem, & evidentiam progignat propter certitudinem, & evidentiam principiorum, quibus innititur, hinc intelliges quàm accurate definiatur ſcientia in hunc modum. Scientia eſt ***cognitio certa, & evidens acquiſita per demonſtrationem***, intellige ſeu ***à priori***, ſeu ***à poſteriori***; utraque enim convincit, & illuſtrat mentem; at illa abundantiùs. Itaque cùm aliquid ſciendum proponitur; vel ſciendum proponitur in ratione effectus; & tunc conquirendæ ſunt illius cauſæ juxta omnem latitudinem, & activitatem earum: vel ſciendum proponitur in ratione cauſæ: & tunc multiplices illius effectus, ac modi quibus producuntur, inquiri debent; taliter utique ut mens convincatur per operationes ſyllogiſticas tales ac taliter produci effectus cauſæ, quæ ſcienda proponitur: & effectum qui proponitur ſciendus, à talibus, ac taliter operantibus cauſis pendere. Nec repeto demonſtrationem à priori eſſe illam, quæ probat effectum per cauſas; ſicut altera, quæ à poſteriori vocatur, probat cauſam per effectus.

II. Qualiter ſcientia differat ab opinione & fide.

Tum ex hoc quòd ſcientia ſit cognitio certa, ſatis intelligitur qualiter differat ab opinione, quæ eſt cognitio incerta, ac non tollens fluctuationem mentis; propterea quòd rationes, in quibus ſtabilitur, non ſint niſi veriſimiles: at hæc veriſimilitudo non tollit formidinem oppoſiti. Rurſus ex hoc quòd ſit cognitio evidens, ſatis quoque conſtat qualiter diſcrepet à fide, quæ eſt de rebus certis quidem, ſed inevidentibus, imo, ut ſic loquar inviſibilibus, id eſt incomprehenſibilibus. Demum demonſtratio, per quam dixi ſcientiam obtineri, vel unica eſt, ac ſemel tantùm exhibita; & ſic gignit ſcientiam actualem; vel eſt multiplex, & pluries iterata; & ſic gignit ſcientiam habitualem, quæ eſt proprie, ac ſimpliciter dicta ſcientia, qualem concipere ſolemus ad inſtar habitus permanentis, ac prævie acquiſiti per frequentiam, & iterationem actuum convenientium. Iſti vero actus ſcientifici reperiri vel ſunt circa unam ac ſimplicem veritatem,

Digitized by Google

cui proinde correſpondet unica ac ſimplex ſcientia, quam poſſumus vocare ***incomplexam*** : vel ſunt circa plures veritates inter ſe connexionem habentes, de quibus proinde acquiritur ſcientia quædam compoſita ac multiplex, quam vocabimus ***complexam***. Neque aliter quàm complexæ vocari debent illæ omnes, quas novimus, uti Logica, Phyſica, Mathematica, &c. nam iſtæ omnes coaleſcunt ex variis deciſionibus circa objecta varia, quæ nihilominùs inter ſe connectuntur, & ad unum aliquod principalius referuntur : atque hinc oritur major minorve latitudo alicujus ſcientiæ prout ad plures, paucioreſve deciſiones de variis quæſitis inter ſe connexis, ac ſubordinatis extenditur. Sicut etiam cujuſlibet ſcientiæ dignitas petitur ex dignitate objecti, quod in ea potiſſimùm attenditur, & ad cujus inquiſitionem cætera quæſita omnia referuntur. Ac ſicut denique ſcientiæ cujuſvis qualitas, ſecundùm quam vocatur ſpeculativa aut practica, aut practico-ſpeculativa deſumitur ex modo, quo ad talis objecti ſpeculationem, aut exercitationem proceditur.

De cætero huc ſpectat, ut obiter annotem quàm ignorantiſſima fuerit opinio non paucorum ex antiquis Philoſophis, quibus viſum eſt nihil cognoſci certò & evidenter poſſe; atque ita non dari ſcientiam. Nam *primò* non deſunt multa principia, ac metaphyſica præſertim, & geometrica, uti ***quidquid eſt quandiu eſt neceſſe eſt eſſe. Quæ ſunt eadem cum uno tertio ſunt eadem inter ſe. Omne totum eſt majus ſua parte***, &c. quorum veritas ita emicat, ut de ea ſeriò dubitaſſe neque ipſos putem, qui profitebantur omnia in dubium revocare. ***Secundò*** cùm concluſiones contineantur in principiis, certa & evidens vel unius principii cognitio ſecum trahet certam, & evidentem plurium concluſionum cognitionem, tantòque plurium quantò certius & evidentius principium attingetur : ſcientia autem conſiſtit in eductione concluſionum ex principio, in quo continentur, & adhæſione firma & clara mentis ad talem eductionem. ***Tertiò*** ſi nihil eſt certum & evidens, id proinde quod Antiqui illi aſſerebant ***dubitandum eſſe de omnibus*** nec certum, nec evidens unquam fuit, atque ita quomodò id ſufficienter ſuadebant ? Neque demum addo certum ſaltem, & evidens cùm ſit Deum exiſtere, pro dogmate paris fere certitudinis, & evidentiæ convenienter poſſe admitti illum mentes noſtras diſpoſuiſſe potiùs ad vitandum, quàm ad incurrendum errorem; ac proinde potiùs ad occupandam veritatem, quàm ad nunquam deponendam erroris formidinem ab incertitudine orituram. **III. Oſtenditur dari ſcientia.**

Quod autem pro unico fulcro oppoſitæ opinionis adducitur ſcientiam omnem, ſi quæ eſſe poteſt, pendere ex ſenſibus, quos ſi mi- **IV. Nec obſ.**

Digitized by Google

at ſenſuum fallibilitas quia eſt emendabilis.

nùs fallaces, at certe fallibiles eſſe compertum eſt, nullius momenti eſt; ſive quia non ſatis apparet qualiter à ſenſibus pendeat notitia primorum principiorum, quæ ſic naturaliter nota ſunt, ut quamvis de cætero inaudita, & utcunque aliter inſenſata, non ignorentur. Sive etiam quia licet ſenſus, ut fateor, ſint & fallibiles & fallaces, ſunt pariter emendabiles à recta ratione; uti ab eadem emendatur viſio baculi, qui merſus ſub aquis, illicò comparet fractus: neque enim eum eapropter fractum credimus; tum quia bene novimus non potuiſſe mollitiem aquæ illum frangere; ac rurſus quia pariter novimus fractionis ſeu diſtorſionis illius comparitionem oriri ex refractione luminis ex aqua intra aerem reſilientis.

V. Multa tamen ſunt quæ putantur ſciri, licet ne ſciantur.

Nihilominùs quamvis negari non poſſit multa eſſe, quæ certò & evidenter ſciuntur ac quotidie addiſcuntur; fatendum tamen non tantùm peræque multa, ſed incomparabiliter plura eſſe, quæ falsò talia reputantur: aut quia mens rationibus non juſti ponderis ſinit ſe ad convictionem abduci: aut quia pro rectis judiciis computat iniqua præjudicia: aut quia nec idoneis prævenitur principiis; aut non ſelegit methodum idoneam ad diſquiſitionem veritatis; aut denique ob innumeras paſſionum criminumque perturbationes, quæ minuunt ac ferè lumen naturale obtenebrant. Et ideo homini jam ſatis maturæ ætatis atque experientiæ probatæ ſollicito de veritate rerum inquirenda non iniquè conſulitur, ut quæ hactenus pro certis habuit, deinceps quantùm potuerit reputet pro incertis, donec novo ſerioque examini ea ſubmiſerit, ac deinceps ab omnibus præjudiciis liber procedat in diſquirenda veritate rerum cautiùs, quàm pocedere ſoleant plerique homines Ad ſic autem cautiùs procedendum in ſcientiis addiſcendis variæ à variis leges conſcribuntur; ſed quæ revocantur facilè omnes ad optimam & ſuperiùs explicatam methodum recte definiendi, dividendi, ac diſcurrendi; quare in iis recenſendis non immoror.

ARTICULUS II.

DE PRODUCTIONE SCIENTIÆ

NON defuerunt olim Platonici, qui animas omnes rationales ſimul ab initio fuiſſe productas ad inſtar Angelorum aſſererent, nec niſi ob grave aliquod crimen commiſſum detruſas, & damnatas ſimul fuiſſe ad incarcerationem corpoream. Ac tum nec defuerunt etiam Pythagorici, qui eas animas contenderent ex corporibus intereuntibus in alia recenter genita tranſmigrare: quare id utriſque commune erat ut ſcientiæ productionem rejicerent, nec admitterent niſi reminiſcentiam. Tandem nec inter Ariſtotelicos deſunt, qui licet à prædictis erroribus ad animas, ſive ab initio ſimul productas, ſive exinde corporaliter tranſmigrantes ſpectantibus alieni, nihilominùs cùm modum productionis ſcientiarum non capiant, malunt ſtatuere ſcientias omnes eſſe infuſas taliter; ut eo inſtanti quo Deus creat aliquam animam rationalem, ei illicò conferat habitum alicujus ſeu unius, ſeu multiplicis ſcientiæ, ex quo deinceps, ut aiunt, accidit, ut varii homines ad varias ſcientias ſint propenſi, non producendas quidem, ſed excitandas, aut aliter exercitandas. Et hæc eſt opinio, quam impugnare hîc propoſui; ſed extra formam diſſertationis ſcholaſticæ, eo quod de eâ diſputari in ſcholis rarò contingat: ſicque etiam vitabitur prolixitas, quam contra jus faſque eſt adhibere in tractandis minoris momenti materiis, aut de quibus non multùm controvertitur. **I. Scientia verè acquiritur & probatur illam non infuſi.**

Et *primò* quidem cùm ad habitum pertineat inclinare & habilitare potentiam ad actus convenientes, non poteſt pro habitu ſcientifico reputari id, quod nec inclinat, nec habilitat intellectum ad actus ſcientificos: at quidquid illud eſt quod fingitur per infuſionem communicatum animæ in inſtanti creationis, nec inclinat, nec habilitat illam ad actus ſcientificos. Tum quia, ut experientia conſtat, non niſi cum immenſo labore ac ſtudio ſcientiæ comparantur. Tum etiam quia, ut Adverſarii fatentur, qualeſcunque habitus illi ſcientifici infuſi indigent **II. Talis infuſio eſſet omninò inutilis.**

Digitized by Google

excitari : at hæc excitationis non utique ſemel peragendæ, ſed ſæpiùs iterandæ neceſſitas ſatis probat eos eſſe in anima veluti emortuos, ac ſepultos : quomodò igitur ipſi poterunt inclinare & habilitare illam ad actus convenientes eliciendos, cùm ipſi potiùs inclinandi ſint, & ut ita loquar, habilitandi?

III. Hæc infuſio non minueret laborem ſtudiorũ. *Secundò* idem labor, qui ad prædictos ac veluti dormitantes habitus excitandos requiritur, omninò ſufficit ad illos acquirendos : nam quomodò excitari poſſunt, niſi per cognitiones idoneas? ſic habitus Philoſophicus non aliter excitabitur, quàm per cognitiones ſeu potiùs demonſtrationes ad ſtudia philoſophica attinentes, & ſic de aliis. At præter hujuſmodi demonſtrationes frequentes videlicet & iteratas nihil aliud ad illius acquiſitionem requiritur. Unde intelligis quàm fruſtranei ſint prædicti habitus illi infuſi, & quàm gratis excogitati : aut ſi ad aliquid utiles eſſent, non video cur non perinde cogitatum fuerit Deum conſimiliter præbere corpori in inſtanti animationis habitus diverſos pro certis motuum corporalium generibus deinceps faciliùs exercendis. Cumque id haud dubié cogitatum non ſit, quia acquiſitio habituum corporeorum per actiones corporeas ejuſdem generis repetitas poteſt fieri, nec erat cogitanda infuſio habituum ſcientificorum, quos conſtat non difficiliùs poſſe per actus conformes acquiri.

IV. Hinc ſequeretur ſcientias magicas fuiſſe infuſas. *Tertiò* quiſquis admittit prædictos habitus ſcientiarum infuſos vel negat illos poſſe acquiri, vel fatetur poſſe acquiri : ſi primum, cùm id de omnibus indiſcriminatim ſtatuendum ſit, quid aliud cùm quempiam videmus magicis, aut aſtrologicis ſcientiis deditum, quid inquam aliud dicendum occurret, niſi quod ei Deus illas infuderit : quod utique perabſurdum, atque indignum Deo videtur? Si ſecundum : nulla proinde eſt convictio in gratiam opinionis, quam impugnamus ; quotieſcumque enim poteſt effectus aliquis à duabus diverſis cauſis proceſſiſſe, non poteſt abſque revelatione determinari utra ex illis ſit, cui referri debeat : ſic itaque ſi Philoſophia v. g. acquiri ab illo potuit, in quo illam ſuſpicimus, quis præſumet acquiſitione illius pernegatâ infuſionem adſtruere?

V. Scientiæ illæ infuſæ eſſent quædam entitatulæ aliàs chimæricæ. Ac denique habitus illi ſcientiarum infuſi, ſi qui ſint, non poſſunt aliter concipi, quàm ad inſtar entitatularum, haud dubie ſpiritualium afficientium animam, eique cohærentium : at hujuſmodi entitatulæ etiamſi infinities illuſtriores & puriores eſſent ſubſtantia ipſa angelica, cum extraneæ ſint, nihil omninò conferrent ad animæ cognitionem, quæ utique eſt intrinſeca. Niſi forté, quod amentiam ſapit, ſi quis ſibi ſuadeat illas eſſe veluti magiſtras, quæ notiones ſcientificas

ficas animæ ſuggerant; ſic enim non modò rationales; ſed inſuper doctæ ſupponerentur. Unde ſatis conſtat entitatulas illas habituum ſcientificorum fore prorſus ad intentum finem inutiles; ac proinde quando contingit Deum Viris ad diſſeminationem Evangelii, aut ad alia conſimilis ſplendoris miniſteria ſelectis infundere notiones ſcientificas, non tunc putandus eſt, quales Adverſarii fingunt, entitatulas adhibuiſſe, ſed per ſe illuſtraſſe, ac edocuiſſe mentes eorum, & impreſſionem cerebo contuliſſe ei ſimilem, quam ſtudiorum, ſi adhibita fuiſſet, repetitio reliquiſſet.

VI. Opponuntur variæ propenſiones, de quibus ratio redditur.

Neque juvat quod in contrarium profertur per habitus hujuſmodi ſcientiarum & artium infuſos mire explicari varias ad variarum ſcientiarum, atque artium genera propenſiones noſtras, & ſimiliter diſpoſitiones. Non inquam id juvat; ſeu quia falſiſſimum eſt poſſe mentes noſtras ad quodcunque ſtudiorum genus inclinari, & erudiri per prædictas habituales entitatulas, in quibus utique nulla eſt notio, nulla ſuaſio, quâ mentem urgeant ad hæc ſtudia præ aliis excolenda: ſeu præſertim quia cùm in ſuis operationibus, qualeſcunque illæ ſint, quæ ad ſcientiarum artiumque ſtudia revocantur, mens à corpore pendeat, ipſumque corpus varie propendeat in varia exercitia illa motuum, qui pro ſcientiis artibuſque comparandis adhibendi ſunt, ac maxime intra cerebrum; non aliò revocanda eſt propenſio ac diſpoſitio illa hominum multiplex variaque ſciendi, quàm ad inæqualem contemperationem corporis, ac præſertim cerebi, quod eſt proximum organum animæ intelligentis. Quamquam ob egregiam libertatem, quâ fruimur, non infrequenter accidit, ut adverſantem & ineptam corporis contemperationem aſſidua actuum contrariantium repetitione vincamus, ac commutemus ad acquirendam, quam ſtudioſe peroptavimus artem, aut ſcientiam; ſicque ut poeta cecinit, *labor omnia vincit improbus.* Et hæc obiter dicta ſint; nam prolixior explicatio modi, quo ſcientifici habitus in anima producuntur, pertinet ad Phyſicam: fuitque impræſentiarum ſatis, ubi de ſcientia in communi aliquid dicendum fuit, breviter retuliſſe ac refutaſſe opinionem illam, quæ tuetur non produci ſcientias; ſed infundi.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE UNITATE, AC ſubalternatione ſcientiarum.

I. Diviſio arbitraria cujuſvis ſcientiæ redarguit unitatem illius.

UT *Primò* de unitate ſcientiarum breviter aliquid dicam ſciendum eſt nonnullis Ariſtotelicis, ac præſertim Thomiſtis viſum fuiſſe conveniens, ut admittatur quamlibet ſcientiam eſſe unum quemdam ſimplicem & indiviſduum habitum, ac tandem immunem ab omni vel etiam intelligibili compoſitione. At hujus opinionis nulla eſt vel minima veriſimilitudo; ſed apertiſſima falſitas. Nam diſtributio ſcientiarum eſt omninò arbitraria, non minùs quàm rejectio vel admiſſio quæſtionum, quæ in pertractandis ſcientiis proferuntur: ſic quippe Philoſophia poteſt pro unica ſcientia perinde accipi ac pro quadruplici, nimirum pro Logica, Metaphyſica, Phyſica, & Morali. Ac tum quælibet ex iſtis poteſt rurſus vel pro unica accipi, vel ſubdividi in plures, prout revera ſolet Phyſica v. g. dividi in eam, quæ tractat de corpore mobili, & in eam quæ tractat de corpore animato, & in eam quæ tractat de corpore ſanabili, cui inſuper nec ſuæ diviſiones deſunt. Id quoque patet in Mathematica, quam ad inſtar unius vel ad inſtar multiplicis ſcientiæ, ac diviſibilis in Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, &c. pro arbitrio conſideramus. Unde jam infero nihil à veritate magis alienum eſſe, quàm quod fingitur cognitionem habitualem ſcientificam eſſe entitatem quamdam unam ac ſimplicem; quaſi verò unitas ac ſimplicitas alicujus entitatis ab arbitrio noſtro pendeat, ſicut oſtenſum eſt pendere omnes ſcientiarum diviſiones, earumque pertractationes vel ad plura, & quæ quotidie innovantur quæſtionum genera, dilatatas; vel coarctatas ad pauciora.

II. Adeptio ſucceſſiva ſcientiæ tan-

Deinde nulla eſt ſcientia, quæ ob multiplicatem quæſtionum ex quibus coaleſcit addiſcatur aliter quàm ſucceſſive: imo non raro contingit ut quis poſtquam uni medietati, ut ſic loquar, quæſtionum talium addiſcendarum ſe applicuit, ad alteram non procedat: nec deeſt

Digitized by Google

exemplum familiare eorum, qui non omnes tractatus Theologicos addiſcunt; ſed in uno aut altero ſua occupant ac figunt ſtudia. Quid tum? iſti vel obtinent totum habitum Theologicum, vel nullatenus illum obtinent, vel obtinent imperfectum: cùmque nec totum obtineri, nec nullatenus obtineri manifeſtum ſit, ſupereſt ut obtineatur ir perfectus. At ſi ſic obtinetur, non conſiſtit proinde in una quadam ac individua entitate: cujus etiam ſimplicitati plurimùm contrariatur id, quod nemini non accidit in ſcientiis addiſcendis, videlicet ex quæſtionibus occurrentibus comprehendi deciſionem unius, non comprehendi autem deciſionem alterius: vel certè non utramque æque evidenter comprehendi: diſcrimen igitur non mediocre eſt ut ex parte acquirentis, ſic etiam ex parte habitus acquiſiti: cùm tamen non poſſit habitus unicus ac ſimplex tale ullum diſcrimen admittere, propterea quod ſit aut partim acquiſitus, aut ex toto acquiſitus. *dem unitatem impugnat.*

III. Unitati prædictæ non minùs contrariatur diverſitas actuum ſcientificorum

Denique omnis habitus ſcientificus non aliter acquiritur, quàm per actus ſcientificos diverſi generis, ac diverſis temporibus repetitos: quare ſi actus iſti producunt in anima aliquam entitatem de genere illarum, quas vocant habituales; tam impoſſibile eſt, ut illa ſit unica ac ſimplex, quàm impoſſibile videatur, ut ſit unius individuæ ac ſimplicis entitatis artefactum v. g. rotatum horologicum, quod ex diverſis organis, nec ſimiliter, nec ſimul elaboratis componitur. Ob idque maximè poſſunt actus ſcientifici ad acquiſitionem Phyſicæ v. g. concurrentes pro diverſis accipi, quòd ſint de objectis admodùm diverſis, uti de motu, & quiete; de luce, & tenebris; de finito, & infinito; de gravi & levi; &c. Ex quibus omnibus recte attentis ſatis liquet nullum habitum ſcientificum conſiſtere in realitate alicujus individuæ, ac ſimplicis entitatis.

IV. Nec tamen verificatur multiplicitas, qualem alii aſtruunt.

Sed non eapropter cogita veriſimiliorem eſſe opinionem aliorum, qui contendunt ex adverſo omnem habitum ſcientificum eſſe in ſe ipſo multiplicem & compoſitum, & ſucceſſive productum: nam etſi veriſimilior illicò compareat propter rationes jam adductas, nihilominùs in hoc æquè erronea eſt, quòd habitum ſcientificum proponat, ac ſtabiliat ad inſtar entitatis realis accidentalis, ſeu ſubjectatæ in anima. Talis quippe entitas nec poſſet quatenus compoſita ſubjectari in anima, quæ eſt res ſimplex; nec aliter eſſet compoſita quàm per coadunationem innumerabilem tot entitatularum pariter accidentalium, quot ac quoties neceſſe eſt elici actus ſcientificos pro aliqua ſcientia comparanda: ne inſuper adjiciam non ſatis manifeſtum eſſe, qui fieri poſſit, ut conſurgat tale quoddam compoſitum accidentale ex tot accidentalibus aliis entitatulis tam diverſis, quales

Digitized by Google

utique ſunt objectorum tam diſcrepantium cognitiones. Adeòne verum eſt non poſſe principium falſum cum veritate ullius concluſionis conſociari : ſic enim admiſſo quòd habitus ſcientificus ſit entitas accidentalis realis inhærens animæ , tanquam ſubjecto , & ab eodem ſubjecto diſtincta ; dic talem habitum eſſe ſimplicem , erras : nega eſſe ſimplicem , & contra dic eſſe compoſitum ; perinde erras. Utrinque igitur erras , niſi cohærenter ad doctrinam , quam in Phyſica ſtabilimus adversùs omnes ac ſingulas formas accidentales , dixeris tales habitus ſcientificos , de quibus agitur , non diſtingui realiter ; ſed potiùs identificari cum anima cognitionibus ſcientificis paulatim aſſuefacta , & ad eaſdem proinde exercitandas inclinata : licet ab illa eadem logice , aut aliter metaphyſice , ſeu in ſenſu abſtracto diſtinguantur. Unde ſequitur nihil obſtare quominùs in ſenſu abſtracto dicantur compoſiti : in ſenſu autem Phyſico individui atque ſimplices propter individuitatem ac ſimplicitatem animæ , à quâ in ſenſu eodem phyſico non diſtinguntur. Neque eſt hujus loci enarrare fuſiùs modum phyſicum , quo prædicti habitus ſcientifici , aut quicunque alii iiſdem ſimiles producuntur.

V. Quæ & qualis ſit ſubordinatio ſcientiarum.

Secundò ad ſubordinationem ſcientiarum quod intereſt , intellige hanc ſubordinationem vulgò deſumi vel ex parte principiorum , vel ex parte objecti , vel ex parte finis : ita ut illæ ſcientiæ dicantur aliis ſubordinatæ , quarum principia , objecta , & fines in aliarum principiis , objectis , & finibus tanquam in univerſalioribus , aut dignioribus continentur ; vel ab illis utcunque pendent propter aliquam inferioritatem connexionis , & ordinis ; ac præſertim in ſuis concluſionibus demonſtrandis. Quo pacto omnes ſcientiæ cæteræ cùm ad ſuas concluſiones probandas adhibeant quandoque principia metaphyſica, ut pote univerſaliora , vere ſubordinantur Metaphyſicæ ; ſicut etiam Medicina ſubordinatur Phyſicæ propterea quòd hujus principia in uſum illius ueniant ; quod ſimiliter aſſeri poteſt de Geometria reſpectu Arithmeticæ , &c. Deinde Moralis , quæ in decurſu philoſophico ſolet tractari , ſubordinatur aliter Theologiæ , & propter objectum , & propter finem ; nam utriuſque complementum eſt haud dubie Deus , quem pro objecto , ſciendum ; pro fine , poſſidendum Theologi ſuis ſtudiis proponunt , & apprecantur. Quod autem de ſubordinatione ſcientiarum jam obiter diximus , id tu ſimiliter , cùm res tulerit , ſubordinationi artium facilè applicabis.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

DE CONTUBERNIO SCIENTIÆ cum opinione & fide.

I. Idem objectum poteſt attingi per varias cognitiones.

QUÆSTIO hæc, quæ non aliter quàm de nomine controvertitur in ſcholis, facillimè decidetur, & abſque ullis ambagibus, poſtquam pauca quæ certa ſunt, & ad illam ſpectant fuerint obſervata. ***Primò*** igitur obſervandum eſt non raro contingere, ut de eodem prorſus objecto varii variè ſentiant propter varietatem cognitionis, quæ in aliis quidem eſt ſcientifica, in aliis autem tantùm opinativa, ac denique in aliis purè credita & vocatur fides: ſic enim ſi in exemplum adducamus Divinam exiſtentiam, certum eſt plures eſſe uti plebeios præſertim ac ruſticos homines, qui ſic meram ex illius auditu fidem obtinent, ut aliunde nullum motivum noverint, quod ad illam probandam utcunque idoneum ſit. Alii verò ac non pauci ſunt, qui ob minorem ruſticitatem proferre poſſent motivum ſaltem aliquod aptum ad illam veriſimiliter aſſerendam. Ac denique plurimi ſunt, qui ſive ex ſtudio, ſive ex feliciori ſplendore luminis naturalis colligunt proferuntque motiva, quibus illam ſtabiliunt, ac noverunt pro demonſtrata. Igitur de eadem & ejuſdem Dei exiſtentia, atque ita de aliis multis, certum eſt poſſe eſſe in variis hominibus cognitiones omninò varias, quæ vel conſcendant ad certitudinem & evidentiam ſcientiæ; vel ad certitudinem fidei inevidentem; vel tandem contineantur intra limites peræque inevidentes, ac incertos opinionis.

II. Hujuſmodi cognitiones ſibi ſuccedunt.

Secundò etiam obſervandum eſt non abſimiliter ſæpe contingere, ut in eodem intellectu de eodem objecto ſaltem ſucceſſive obtineantur prædictæ variæ cognitiones, uti ſcientiæ, opinionis & fidei; ſic enim ut à præmiſſo exemplo Divinæ exiſtentiæ non recedam, certum eſt pueros poſtquam ad perfectum maturæ rationis uſum pervenerunt, multaque audierunt à ſuis tum parentibus, tum magiſtris

Digitized by Google

de Divina exiſtentia, poſſe ex hoc auditu, ac præſertim per internam gratiam illuſtrato moveri, uti revera moventur ad eliciendos circa prædictam exiſtentiam actus fidei. Tum verò lapſu temporis non difficilè incidunt in talia motiva, quibus etiam ſecluſo quocunque auditu fidei compellerentur ſaltem ad opinandum Deum exiſtere. Ac tandem cùm ad eandem exiſtentiam conſultiùs attendunt, & maxime ſi præceptionibus Theologicis imbuuntur, commutant opinionem cum ſcientia, propter altiora motiva, quæ deprehendunt non jam dubia & incerta; ſed certa & evidentia, proindeque ſufficientia, ut ad demonſtrandam, ita ad convincendam, de qua agitur, exiſtentiam.

III. Non repugnat actum aliquem ſociari cum habitu oppoſito. *Tertiò* quoque obſervandum eſt non poſſe fieri ut, unicus actus opinionis v. g. circa aliquod objectum elicitus deſtruat deleatque omninò habitum ſcientificum de eodem objecto præacquiſitum, aut reciproce. Et ratio eſt, quia ut nullus habitus acquiritur, niſi per repetitionem actuum convenientium; ita nec ullus plane deperditur, niſi per repetitionem actuum contrariorum, id videlicet præſtantium, ut paulatim ea deleant veſtigia, quæ alii jam impreſſerant. Quapropter hinc jam ſatis conſtat poſſe ſociari opinionem actualem cum ſcientia habituali de uno eodemque objecto præacquiſita: nec aliter diſcurrendum eſt de fide actuali; aut viciſſim de ſcientia actuali reſpectu ſcientiæ vel opinionis habitualis.: & ſic ſi quædam eſt difficultas circa contubernium ſive cohabitationem, & compatibilitatem ſcientiæ, opinionis, & fidei in eodem intellectu circa idem objectum, illa eſt utique vel de actibus comparatis ad invicem, vel de habitibus. Sed neque eſt de actibus, cùm enim ſimul elici non poſſint duo actus cognoſcitivi ejuſdem generis v. g. ſcientifici, non poterunt à fortiori ſimul elici duo tales actus diverſi generis ut ſcientifici & opinativi. Itaque difficultas tota coarctatur ad habitus prædictos, de quibus inquiritur an & qualiter ſociari in eodem intellectu poſſint.

IV. Unus habitus non impedit acquiſitionem alterius. Verùm nec ſic multùm ardua eſt, ſi tantummodò attendatur habitum opinionis v. g. circa veritatem aliquam præobtentum, cùm mentem non obtenebret, ſed ſuo potiùs modo illuſtret, nullius proinde eſſe impedimenti, quo minùs iſta vel per ſe ipſam inquirat, vel ab aliis inquiſitum concipiat motivum aliquod certum & evidens, quo illa eadem veritas demonſtrabitur, atque ita ſcietur & habitualiter quidem, ſi mens ad idem aut aliud ejuſdem convictionis motivum ſæpiùs attendat. Tum verò mens motivis iſtis certis & evidentibus, ſive quod idem eſt ſcientificis, convicta non eapropter fruſtrabitur recor-

Digitized by Google

datione priorum, quæ non ipſam omninò convincebant; ſed permittebant tantummodò opinari. Unde conſtat penès ipſam deinceps fore, ut modò ad hæc, modò ad illa attendat, tantòque faciliùs quantò majorem attendendi conſuetudinem obtinuerit: ſicque circa eandem omninò veritatem habitualiter exercebit nunc actus ſcientiæ, nunc actus opinionis. Igitur nihil vetat utrumque illum habitum ſcientiæ, & opinionis circa eandem veritatem acquiſitum in eadem mente conſociari.

V. **Imo ſæpe unus habitus juvat ad alium acquirendum.**

Rurſus ſi ſupponamus veritatem, de qua mens jam obtinet habitum ſcientiæ & opinionis, eſſe veritatem ipſam Divinæ v. g. exiſtentiæ, quid impediet quo minùs mens apprehendat motiva credendi illam eandem veritatem propoſita à magiſtro, concionatore, &c. aut quid impediet quo minùs ſic apprehenſa mentem moveant ad credendum? Quin imo ad credendum tantò magis ſollicitabitur, quantò prævanta non tantùm aliis motivis opinandi, ſed & ſciendi, faciliùs dignoſcet nihil eſſe repugnans in eo, quod credendum proponitur. Atque ita mens quoties attendet ad hæc motiva credendi, credet; quoties attendet ad motiva opinandi, opinabitur; quoties demum attendet ad motiva ſciendi, ſciet ſeu convincetur Deum exiſtere. Quid verò id totum probat, niſi evidentem conſociationem poſſibilem ſcientiæ, opinionis, & fidei in eadem mente, ac circa eandem veritatem?

VI. **Qualiter hæc difficultas ſecluſis ambagibus proponi debeat.**

Ex quibus omnibus in hunc modum conſequenter deductis ſatis patet præſentem quæſtionem qualiter hactenùs eam explicuimus, eſſe facilis admodùm deciſionis: ſed quia non aliter quàm de nomine fit in ſcholis, ut ſupra inſinuatum eſt, hinc ambages & altercationes illarum omnes ſuboriuntur. Ideo autem fit de nomine, quia dum Thomiſtæ negant poſſe ſupradictas habituales cognitiones ſociari circa eandem veritatem in eodem intellectu, id negant relative ad unicum medium, ſeu motivum, quod utique non poteſt effectus adeò diſſimiles producere in eodem ſubjecto: quando autem è contra Scotiſtæ propugnant talium cognitionum ſociabilitatem, eam utique propugnant relative ad diverſa motiva, quæ ut offeruntur menti, diverſas illas in ea cognitiones producunt, efficiuntque habituales, ſi ſæpius offeruntur. Atque ita ſi de nomine quæſtio non ſit, conveniunt plane omnes in hoc quòd non poſſit quidem objectum idem cognoſci opinativè, ſcientificè & fideliter, ut ſic loquar, per unicum medium; poſſit tamen ſic tripliciter cognoſci per diverſa, nempe ad diſcrepantiam triplicis ejuſdem generis attinentia. De cæterò hanc quæſtionem, quam apud plures Authores videre poteris fuſiſſime agitatam, nolui niſi obiter pertractare, quia non niſi ex accidente ad

Logicam ſpectat, & à multis omninò prætermittitur. Quare hactenus ſatis actum ſit de Logica; faxit Deus, ut ejuſdem, quæ eſt ars rectè diſcurrendi, præſidio, ſic deinceps diſcurramus pro veritate rerum adinvenienda, ut tandem in adinventa conquieſcamus.

Finis Logicæ.

METAPHYSICA

Digitized by Google

METAPHYSICA
SIVE
PHILOSOPHIA ENTIS.

SI quid, tum inquiſitioni, tum adinventioni veritatis obſtat; id maximè, quòd juxta humanum loquendi & exinde ſentiendi uſum, ſeu potiori titulo abuſum, abſtracta cum concretis; ſimplicia cum compoſitis; particularia cum univerſalibus; tandem non entia cum entibus confunduntur: aut certe illa, quæ nec habent entitatem niſi objectivam, nec produci potuerunt, cum aliis, quæ vere producuntur obtinentque proinde entitatem realem, & ab omni cogitatione independentem. Hinc accidit ut omnis doctrina, ac præſertim phyſica in pudendam ignorantiam collabatur, dum ne vel de rerum, quæ in diſſertationem paſſim prodeunt, exiſtentiâ, aut reali non-exiſtentiâ convenitur. Cui malo obviam itur per aſſiduum ac ſérium ſtudium Metaphyſicæ, quæ ex profeſſo tractans de ente abſtracto, ac de conſimiliter abſtractis illius tum proprietatibus, tum differentiis, mentem acuit, inſtruitque ad iſtas à realibus ſecernendas: ſicque cavet ne (ut id obiter dicam) inter entia realia annumerentur ſubſtantialitates, quantitates, qualitates, relationes, cæteræque abſtractæ differentiæ præ-

Digitized by Google

dicamentales entis abſtracti. De cætero cum huic unico muneri officioque ediſſerendi de rebus abſtractis Metaphyſica, ut jam dictum eſt, devoveatur; miror cur non paucis viſum fuerit tractatus, nec parum prolixos, inſtituere in ea de Deo & Angelis, quaſi verò utriſque non competat exiſtentia, nec modò minime abſtracta; ſed maxime realis ac phyſica, proindeque ſpectans ad tractatus phyſicos ſubliniores, quos Theologicos vocant. Aut ſi ex eo quòd Deus ſit ens, tractandum de illo eſt in Metaphyſica, propterea quòd pro objecto ſortiatur ens in communi, hinc legitima excuſatio fuit ediſſerendi in ea adhuc de Angelis, potuitque pariter valere pro inſtituendis in eadem diſputationibus de homine, de animalibus, de mineralibus, de metallis, de elementis, de ſyderibus cæteriſque omnibus, quibus non diſconvenit entis denominatio. Nec propterea minùs ſtupendum eſt, cur Carteſius titulo meditationum metaphyſicarum donaverit diſquiſitiones ſuas ac præſumptas demonſtrationes circa tum ſui ipſius, tum Dei exiſtentiam, cæterarumque rerum, quæ in mundo ſunt: cùm potiùs pro phyſicis fuerint reputandæ, ac ſpecialiter pro Theologicis, pro Animaſticis, &c.

Verùm non eſt cur tantopere hæream in hac quæſtione de nomine: nihilominùs prætermittendum quoque omninò non eſt circa verbalem Metaphyſicæ etymologiam non ab illa multum abſcedere eos, qui Metaphyſicam quaſi Poſtphyſicam dictam volunt, veluti non ante tradendam, quàm abſoluta Phyſica fuerit; non enim abnuo quæ phyſica ſunt, ea intellectionibus noſtris priora offerri: nihilominùs expeditior ac tutiòr contraria methodus comprobatur, quâ ſtatim docentur communes illæ & univerſales entium proprietates, ac differentiæ, quas magiſtri & authores, qui nos anteceſſerunt, abſtraxerunt ipſi ab entibus phyſicis, ac phyſicis eorum proprietatibus, & differentiis; ſic enim peræque amovetur omne periculum promiſcue uſurpandi, ſeu confundendi entitates phyſicas cum metaphyſicis. Quapropter magis placet aliud etimologicon, ſi quis Metaphyſicam quaſi Supraphyſicam interpretetur, id eſt, tractantem de rebus, quæ per abſtractiones prævias ſupra naturam elatæ fuerint, & jam velut in ſublimi contineantur: in quo ſenſu principia ac dogmata metaphyſicalia ſunt quaſi quædam mentis meteora ipſam de cætero irradiantia pro quibuſcunque rebus phyſicis evidentiùs dignoſcendis; eodemque pacto ad reſeranda abſtruſioris naturæ adyta utimur Metaphyſicâ quaſi clavi, ut ſic loquar, Prophyſicâ: neque ad id parum idoneâ, ut ex decurſu intelligetur.

Tandem ad Metaphyſicæ partitionem quod attinet, ea non admodùm prolixa erit, ac diſputationibus quatuor continebitur; in qua-

Digitized by Google

rum prima agetur de ente in communi ; in ſecunda de proprietatibus ; in tertia de eſſentia & exiſtentia ; & in quarta denique de prædicamentis ejuſdem entis in communi. Verùm antecedenter ad iſtas diſputationes mihi viſa ſunt, etſi ſatis breviter, tractanda quædam proœmialia attinentia ad Metaphyſicæ notionem, ac præſtantiam magis elucidandam ; nec non ad uberiorem notitiam objecti , ac principiorum ejuſdem.

PROOEMIALIA METAPHYSICA.

PRIMO ad notionem eſſentiamque Metaphyſicæ quod ſpectat , dico Metaphyſicam non eſſe qualemcunque notitiam entis abſtracti , omniumque tum differentiarum , tum proprietatum ad illud attinentium , ſed eſſe ſcientificam ; ſeu quia , ut patebit deinceps , procedit illa in ſuis aſſertionibus ſtabiliendis per viam ſyllogiſticam: ſeu præſertim quia maxima eſt certitudo pariter ac evidentia principiorum , ex quibus illas eruit. Imo quia talia principia , quæ ſub finem enarrationis hujus proœmialis referentur ſunt prima , ſupremaque omnium , quibus ſcientiæ cæteræ innituntur ; hinc fit ut non tantùm in hoc conveniant omnes , quòd Metaphyſica reputari pro ſcientia debeat ; ſed inſuper quod inſignienda ſit titulo *ſapientiæ* , non in eo quidem ſenſu , quo ſapientia pro prudentia aut juſtitia , quæ eſt aggregatio virtutum univerſarum , accipitur ; ſed in alio , quo accipitur pro ſcientia , quæ probandis ſuis dogmatibus ſubminiſtrat cauſas ſupremas , certiſſimas , evidentiſſimas , ſeu quod idem eſt , altiſſimas , ut vocari ſolent communiter. Quin etiam ſi ad rei veritatem attenditur , nulla eſt ſcientia , quæ eum titulum promereatur independenter à conſiderationibus metaphyſicis ejus objecti , de quo pertractat : & ratio non procul quærenda hæc eſt , quia de rebus ſingularibus non datur ſcientia , niſi ſecundùm rationem communem , & invariabilem attendantur : ad illam autem non attenditur niſi per conſiderationes metaphyſicas. Atque ita , ſicut ſupra dictum eſt , cùm de Logicæ præſtantia ageretur , nullam eſſe ſcientiam , quæ non indigeat ſubſidio legum ſyllogiſticarum ; ita nunc in commendationem Metaphyſicæ adjici poteſt nullam

I. Metaphyſica eſt ſcientia , imo ſapientia.

eſſe pariter, in cujus ſubſidium neceſſe non ſit accedere conſideratiônes ejus generis abſtracti, quod ad Metaphyſicam attinet.

II. Prima eſt inter omnes ſcientias ſpeculativas *Secundo* cùm Metaphyſica tantùm de rebus abſtractis ex profeſſo edifſerat, hinc abſque labore ullo concipis eam non modó annumerandam eſſe inter ſcientias ſpeculativas, ſed inter illas ſupremum locum obtinere, eo quòd res, de quibus ediſſerit, ſint abſtractiſſimæ omnium: quid enim abſtractius, quàm ens abſtractum ab omni differentia? quod utique objectum Metaphyſicæ eſt, ut mox dicetur; & ad quod proinde cætera omnia, de quibus pertractat, referuntur. Atque ut aliud expreſſius dicam, Geometria quæ theorica vocatur, habet quantitatem abſtractam pro objecto; abſtractam ſcilicet ab omni particulari quantitate ſive cœli, ſive telluris, ſive marmoris, ſive ligni, &c. at certe non eſt abſtracta à menſurabilitate, quæ eſt aliqua differentia entis. Et Arithmetica ſimiliter, etſi pro objecto habeat numerum, ſcilicet abſtractum à quovis numero particulari ſive angelorum, ſive hominum, ſive lapidum, &c at certe non eſt abſtractus à computabilitate, quæ rurſus eſt aliqua differentia entis; idemque aut ſimile quid comperies in cæteris ſcientiis ſpeculativis: at ens quod eſt objectum Metaphyſicæ nullam ſecum involuit differentiam. Unde rectiſſime comprobatur illam eſſe omnium maximè ac purè ſpeculativam.

III. Nec poteſt dici quocunque modo practica. Neque obſtat quod quibuſdam videtur eam eſſe practicam ex ea ſaltem parte, quâ tractat de prædicamentis, in quibus utique pertractandis deſcendit ad differentias entis, nec modò conſiderandas; ſed etiam ordinandas ſecundum ſeriem, quam vocamus prædicamentalem: illa autem coordinatio quid eſt niſi quædam praxis intellectus? Non inquam id obſtat; ſive quia dum deſcendit ad differentias entis pertractandas, nec deſcendit niſi ad differentias maxime univerſales, uti ſunt ſubſtantia, quantitas, qualitas, &c. nec illas pertractat, niſi modo quodam maxime univerſali, ſeu abſtractiſſimo. Tum verò neque ad Metaphyſicam ſpectat niſi conſiderare ſeries prædicamentales, quæ ſupponuntur à Logica coordinatæ juxta leges univerſales generis, ſpeciei, &c. in ea traditas: unde planum eſt quàm falsò ſuſpicentur illam ex iſto capite practicam.

IV. Habet pro objecto ens abſtractum, etiam ab exiſtētia. *Tertiò* quamvis in aſſignando Metaphyſicæ objecto concors non ſit omnium Philoſophorum ſententia, communior tamen ac verior illa eſt, quæ aſſerit objectum illius eſſe ens non modò ab omi differentia conſequente ad exiſtentiam, ſed ab ipſa etiam exiſtentia abſtractum. Et ratio eſt, quia Metaphyſica non attendit niſi ad eſſentiam rerum, vel ad attributa, quæ neceſſariam habent cum eſſentia connexionem

ac dependentiam. At exiſtentia non habet connexionem neceſſariam cum eſſentia; quatenus poteſt quidem exiſtentia rei; ſed non poteſt ejuſdem rei eſſentia variari: atque hinc accidit, ut cùm Metaphyſici inquirunt alicujus rei eſſentiam, nulla circa illius exiſtentiam ſollicitudine torqueantur; ex eo nimirum quòd exiſtentia non immutet eſſentiam: & ita homo ſive exiſtat, ſive non exiſtat, perinde eſt animal rationale. Cùm itaque eſſentia rei non habeat ullam neceſſariam connexionem cum exiſtentia, multò minùs talem habet cum quibuſcunque aliis attributis conſequentibus ad exiſtentiam; atque ita illud ens, quod pro objecto Metaphyſicæ aſſignamus, cenſendum eſt ab iſtis adhuc multò magis abſtractum, quàm ab exiſtentia.

At neſcio quid ſibi velint nonnulli, qui illud ens non tantum ab omni exiſtentia; ſed etiam ab omni eſſentia abſtractum propugnant: nam entis, cujus nulla ſit eſſentia, nullæ ſunt proprietates; iſtæ enim qualeſcunque ſint undenam niſi ex eſſentia oriuntur? tum verò enti, quod eſt objectum Metaphyſicæ non deſunt ſuæ proprietates, de quibus pertractat eadem Metaphyſica. Unum eſt quod tandem adjicio non obſtare veritati hujus aſſertionis, quod in Metaphyſica non tantùm de ente abſtracto, ſed de variis illius proprietatibus ac differentiis, quæ illud utique contrahunt, edifferatur; nam de illis ediſſeritur eo tantùm fine, ut ſciatur quæ & quales illæ ſint, à quibus poſſit abſtrahi, ſicque abſtractum conſiderari.

Quartò ac denique adjiciam nonnulla axiomata ſeu principia receptiſſima, quæ etſi omnibus ſcientiis congrua ac familiaria ſint in adducendis pleriſque demonſtrationibus ſuorum dogmatum, nihilominùs cùm ſuprema ſive altiſſima ſint omniumque notiſſima, ſolito ac ſingulari titulo metaphyſica nominantur: & hæc ſunt, quæ breviter ſic recenſeo. **V. Recenſentur axiomata metaphyſica**

AXIOMATA METAPHYSICA.

PRIMUM eſt. ***Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe***; cujus quidem principii vis, ac evidentia tanta eſt, ut nec per veritatem ullam ſuperiorem & evidentiorem probari poſſit oſtenſive; nec aliter per deductionem ad aliud, cujus major ſit impoſſibilitas, quàm illa, quæ manifeſtiſſima occurrit in exiſtentia & non exiſtentia ejuſdem ſimultanea. At non intellige illud ***idem*** aliter quàm formaliter & reduplicative idem; ſive non tantùm realiter idem, ſed etiam omninò intelligibiliter idem; nam aliàs nulla eſt repugnantia in hoc, quòd ſecundùm diverſos reſpectus aliquid ſit, & non ſit. **VI. Expoſitio primi.**

Rurſus illud *ſimul* intellige pariter de uno eodemque inſtanti, ſive reali ſive imaginario, parum intereſt: dummodò accipiatur pro temporis duratione prorſus indiviſibili. Ut autem impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, ita (quod omnino æque notum eſt) ***impoſſibile eſt idem fuiſſe ſimul & non fuiſſe, idem fore ſimul & non fore***; & ſic de aliis quibuſcunque temporum differentiis.

VII. Expoſitio ſecundi. Secundum eſt. ***Quodlibet eſt, vel non eſt***: & hoc quidem principium quamvis notiſſimam præ ſe ferat tum certitudinem, tum evidentiam; nihilominùs probari per primum poſſet ſub hac forma. Si falſa eſſet illa disjunctio ***quodlibet eſt, vel non eſt***; vera eſſet hæc conjunctio ***quodlibet eſt & non eſt***: atqui ***impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe***: ergo illa disjunctio, per quam ſtatuitur quodlibet eſſe vel non eſſe, non eſt falſa; quin potiùs veriſſima. Aut aliter, ſi falſum eſſet illud principium ***quodlibet eſt vel non eſt***, daretur proinde aliquod ens, quod neque eſſet, neque non eſſet; ſed hoc eſt impoſſibile, quatenus impoſſibile eſt aliquid eſſe ſimul, & non eſſe: at illud quod neque eſſet, neque non eſſet; ſimul non eſſet & eſſet; non eſſet quidem ex hypotheſi; eſſet verò, quia illæ duæ negationes ***neque non eſſet*** æquivalent uni affirmationi & eandem vim habent, ac ſi diceretur ***eſſet***: ergo &c. Quando autem pro axiomate profertur quodlibet eſſe vel non eſſe, applicare illud potes cuicunque differentiæ temporis, & ſic proferre ***quodlibet fuit, vel non fuit***: ***quodlibet erat, vel non erat***: ***&c.***

VIII. Expoſitio tertii. Tertium eſt. ***De eodem ſecundùm idem non poſſunt verificari ſimul affirmatio, & negatio***: neque difficilè probatur iſtud per primum. Quia enim tunc affirmatio eſt vera, quando id quod affirmatur, eſt, ſicuti affirmatur: & ſimiliter tunc negatio eſt vera, quando id quod negatur, non eſt, ſicuti negatur: hinc manifeſtum eſt non poſſe affirmationem, & negationem verificari ſimul de eodem ſubjecto, ac præſertim ſecundùm eundem prorſus formalem reſpectum conſiderato; quia aliàs eſſet ſimul, & non eſſet quale affirmatur; ***at impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.*** Quemadmodum autem non poſſunt affirmatio & negatio verificari de eodem ſubjecto; ita proinde nec de illo verificari ſimul poſſunt duæ propoſitiones contradictoriæ: quatenus ex dictis alibi in Logica propoſitiones contradictoriæ ejus ſunt naturæ & conditionis, ut quod affirmat una, id totum neget altera: ac proinde etiam duo contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera: ut intelligitur.

IX. Expoſitio quarti. Quartum eſt. ***Quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe***: & hujus principii quamvis per ſe ſatis manifeſti hæc adhuc ratio reddi po-

Digitized by Google

teſt : quia ſi aliquid non eſſet quandiu eſt ; eſſet proinde , ac non eſſet ſimul per aliquod tempus : atqui impoſſibile eſt aliquid eſſe ſimul & non eſſe , etiam vel per unum inſtans temporis : igitur quidquid eſt, quandiu eſt , neceſſe eſt eſſe. Neque opus eſt , ut rurſus advertatur hoc quoque principium intelligendum eſſe de omni differentia temporis : ita ut ſicuti neceſſe eſt aliquid tandiu eſſe quandiu eſt ; etiam neceſſe ſit , ut tandiu fuerit , quandiu fuit : &c. ſed fortè non ſuperfluum erit ſi advertam neceſſitatem , cujus mentio fit in enunciatione hujus principii , eſſe neceſſitatem hypotheticam , non verò abſolutam: ſic enim abſolute loquendo nulla eſt neceſſitas circa exiſtentiam lapidis v. g. annuam : ſed nihilominùs ex hoc quòd ſupponatur illum toto anno exiſtere , neceſſe eſt exiſtere : non enim poteſt exiſtere ſimul, & non exiſtere : & ſic iſte eſt ſenſus principii adducti , quidquid eſt, *quandiu ex hypotheſi eſt* , tandiu neceſſe eſt eſſe.

Quintum denique principium hoc eſt. *Non datur negatio negationis*, pendetque ex præcedentibus , ex quibus intelligitur qualiter eſſe & non eſſe opponantur , in hoc quod *eſſe* tollat *non eſſe* & reciproce. Igitur uni negationi non poteſt altera negatio correſpondere , quod idem eſt , ac ſi diceretur negari poſſe quidem *eſſe* , ſed non poſſe negari ſimiliter *non eſſe*: ſi enim aliquid negaretur *non eſſe* , hoc ipſo affirmaretur eſſe , propterea quòd duplex negatio æquivaleat uni affirmationi : ut ſi quis hanc propoſitionem enuntiaret : *Nego cælos non eſſe mobiles* ; nunquid hiſce verbis illos eſſe mobiles affirmaret ? aut aliter , & fortè expeditiùs intelliges prædictum principium concipiendo omnem negationem eſſe negationem alicujus , quod negationi opponitur ; ſive quod opponitur alicui *non eſſe* ; at alicui *non eſſe* quid opponitur niſi eſſe , tanquam uni enti negativo , aliud poſitivum ? Et hæc ſunt altiora ac ſublimiora principia , quæ vel à Metaphyſica ipſa uſurpantur , vel ſuppeditantur aliis ſcientiis ad ſuorum reſpectivè dogmatum probationes. X. Expoſitio quinti.

Ad hæc adjici poteſt nullum eſſe de facto progreſſum infinitum ſive in cauſis , ſive in formalitatibus aſſignandis , quatenus ſcilicet evidenter neceſſe eſt, ut cauſæ omnes ac formalitates ab una aliqua cauſa & formalitate prima dependeant, ad eundem modum quo præmiſſa principia pendent à primo , & ad illud facilè revocantur. Rurſus quoque adjici poterit ea omnia entia ſingularia eſſe , quibus propria competit exiſtentia realis & independens ab exiſtentia cujuſcumque alterius entis , quatenus ſcilicet univerſalia non habent , niſi exiſtentiam communem , eamque omninò dependentem à cogitatione intellectus : unde rectè infertur illa entia pro ſingularibus eſſe habenda , quibus pro- XI. Acceduut & exponuntur duo alia theoremata ſeu poſtulata

pria comperit exiſtentia, & independens ut à quacunque exiſtentia extranea, ſic multò magis ab omni cogitatione intellectus. Et hæc duo Theoremata, quæ haud dubie pro inconcuſſis principiis admitti poſſunt, maluit Maignanus noſter more Mathematicorum tanquam poſtulata præmittere; ſive quia nulla egent probatione; ſive quia, ſi quâ indigent, hæc ex alibi dicendis eruenda eſt.

XII. Carteſius temere propoſuit cogitationem pro principio

Nec de iſtis Metaphyſicis principiis plura loquar: niſi quod opto ut ſaltem obiter animadvertatur, quàm inconſulte iſtis ſpretis poſuerit Carteſius *cogitationem* ſuam pro principio totius ratiocinii ad inveſtigationem veritatum omnium naturalium adhibendi; volueritque ſuadere humano generi non poſſe perveniri ad illam aliter quàm initio facto ab hac prima omnium conſideratione *ego cogito*: unde intulit *ergo ſum*: ac deinde *ergo Deus eſt*, &c. Nam cùm cogitari falſa perinde, ac vera poſſint, ut frequentiſſimè experimur, imo cùm ob neſcio quam cogitandi infelicitatem multò plura ſint, quæ falſò cogitantur; non debuit ſola cogitatio potiùs pro principio veritatis, quàm erroris proponi: ſed ſi quæ ſunt principia receptiſſima, quæ ratio recte cogitans adinvenerit, qualia ea ſunt, quæ ante præmiſimus; ea utique pro norma humani ratiocinii multò feliciùs, modeſtiùſque propoſuiſſet Carteſius, quàm ſuam *cogitationem*. Deinde conſequentiæ omnes, quas ex cogitatione ſua Carteſius intulit, aut ex ſimplici cogitatione illa veritatem ſuam obtinent, aut aliunde: ſi aliunde, ergo illa alia principia debuerunt proponi: ſi autem ex ſimplici cogitatione, vel hæc infallibilis erat, quod nemini ut puto ſuaſum eſt; vel ſi erat fallibilis, fuit parum conſultè propoſita pro norma veritatis ſtabiliendæ certa ac infallibili. Atque ita ad hoc ut homines fidem aliquam præberent Carteſianis conſequentiis, debuit author ille non utcunque ſuam cogitationem, ſed infallibitatem ſuæ cogitationis proponere pro principio, uti ſi dixiſſet in hunc modum *quidquid cogito verum eſt*: unde recte intuliſſet ac pro dogmatibus veriſſimis potuiſſet proponere ſui ipſius, ac tum Dei exiſtentiam, quin & mundi, & motuum qui in eo fiunt, &c.

XII. Veritas rerum nullatenùs pendet à noſtra cogitatione.

Inſuper quidquid ſit de illa prima conſideratione, quâ quiſque advertit ſe cogitare, certum eſt nullius propoſitionis veritatem præciſe ab ulla cogitatione pendere; ſed à veritate ejus principii, in quo continetur. Sic enim veritas hujus propoſitionis, manus eſt minor corpore, non pendet ab ulla cogitatione; ſed à veritate hujus principii *Totum eſt majus ſua parte*: atque ita de aliis. Igitur omninò inutiliter meminit Carteſius illius primæ conſiderationis *ego cogito*, cùm nemo neſciat ſe cogitare; ſed adducenda erant talia principia, in qui-

bus

Digitized by Google

bus propoſitiones , quas deinceps circa plurima naturæ phænomena conſcripſit , continerentur. Denique adeò parum intereſt primò cogitare de ſui ipſius cogitatione , ut multi qui nunquam de illa primò cogitarunt , pervenerint tamen ad inquiſitionem veritatis rerum quàm plurimarum naturalium ; & certe cur de illa primò cogitandum eſt, cum nec ipſe Carteſius primò de illa cogitaverit. Vel enim de illa cogitavit antequam cogitandum eſſe de illa cognoverit, vel poſtquam cognovit : ſi primum : ergo nullam cauſam habuit cogitandi primò de illa : ſi ſecundum , ergo non primò cogitavit de ſua cogitatione, ſed de neceſſitate cogitandi de illa. At hæc tantùm obiter dicta ſint : qui autem plura exoptaverit adverſus Carteſianum illud principium ***Ego cogito*** , videat illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Huetium in libro , quem pro impugnanda Carteſii Philoſophia Typis edidit.

DISPUTATIO PRIMA.

DE ENTE IN COMMUNI.

HANC disputationem divido in articulos quatuor, in quorum primo agam de conceptu entis: in ſecundo de univocatione entis: in tertio de præciſionibus entis: ac tandem in quarto de diſtinctionibus entis.

ARTICULUS I.

DE CONCEPTU ENTIS.

I. Ens aliud eſt in actu, & aliud in potentia.

NOTANDUM *Primò* ens dupliciter poſſe accipi, ſcilicet vel pro ente in actu, vel pro ente in potentia. Ens in actu ſecum importat exiſtentiam, & juxta hanc ſignificationem derivatur, ut Grammaticis placet, à verbo *ſum*, cujus ſignificatum eſt *exiſto*, & cujus participium eſt *ens*, quaſi exiſtens. Ens verò in potentiâ non importat ſecum exiſtentiam actualem; ſed ſimpliciter eſſentiam, quæ eſt aptitudo ad exiſtendum, & ſecundùm hanc ſignificationem, ut rurſus Grammatici ſentiunt, eſt nominale; propterea quòd ens nominaliter acceptum ſignificat eſſentiam indifferenter ſive conjunctam, ſive non conjunctam cum exiſtentia. Uno verbo *ens* vel ſignificat exiſtentiam, vel eſſentiam; ſed nota quòd ſicuti exiſtentia eſſentiam præſupponit, ita eſſentia non eſt ſine aptitudine ad exiſtendum; unde fit ut quæcunque impoſſibilia

Digitized by Google

ſint ; omnino inter non entia computentur ; ſicque intelligis diſcrimen entis à nihilo : nam nihili non modò nulla eſt exiſtentia ; ſed nec eſſentia ulla eſt.

Notandum *Secundò* conceptum entis, quod hîc ac ferè in tota Metaphyſica nominaliter ſumitur, eſſe duplicem ; formalem nempe, & objectivum. Conceptus formalis vocatur actus ille, quo mens concipit rebus omnibus à ſe cognitis, vel etiam cognoſcibilibus convenire rationem ac denominationem entis : conceptus autem objectivus dicitur ratio illa eadem, ac denominatio entis, quæ menti objicitur, ſive repræſentatur tanquam conveniens rerum omnium ſeu ab ipſa mente cognitarum, ſeu aliter cognoſcibilium multitudini : ſicque conceptus objectivus nihil eſt, niſi objectum ipſum conceptus formalis. **II. Conceptus entis alius eſt formalis, alius objectivus.**

Tum verò hîc inquiritur an & qualiter iſte uterque conceptus tam objectivus, quàm formalis ſit unus. Sed inquiſitionis deciſioni non parum proderit, ſi inſuper prænotetur id eſſe connaturale intellectui, ut poſtquam varias variarum rerum perfectiones conſpexit, hæreat in conſideratione aliarum præ aliis, & unius quidem præ omnibus, ſi ſic libuerit ; quaſi ſeparando illas, ſeu ut loquuntur Metaphyſici, præſcindendo. Atque in hoc inter alia multa intellectus prævalet viſui, qui non poteſt niſi conjunctim intueri objecta, quæ conjunctim videnda offeruntur : at intellectus ex plurimis, quæ æque novit, poteſt conſiderare aliqua ſeorſim, quaſi avertendo ſe à conſideratione aliorum : quamquam ad id accurate præſtandum ſtudio & exercitio metaphyſico opus eſt. His prænotatis propoſita quæſtio decidetur in aſſertione ſequente. **III. Quid ſit præſcindere.**

ASSERTIO UNICA.

Conceptus formalis eſt unus : & idem dic de objectivo.

PROBATUR *Primò.* Conceptum formalem entis eſſe unum, nihil aliud eſt, quàm intellectum unico actu apprehendere rerum omnium tam cognoſcibilium, quàm cognitarum convenientiam ſub communi ratione & denominatione entis : ſed intellectus id præſtat unico actu : ergo &c. Major conſtat ex prænotatis : minor verò probatur in hunc modum. Si intellectus id non præſtaret unico actu ; ideo maxime, quia unicus actus ad id, de quo agitur, præſtandum non ſufficeret : atqui non modò non ſufficit ad id unus ; ſed è contra ſi non eſſet unus, non ſufficeret : nam ſi unico actu poteſt apprehendi ſub prædicta communi ratione & denominatione entis convenientia **IV. Mens unico actu attingit communem rationem entis.**

Digitized by Google

duarum rerum ; cur non trium ? cur non quatuor ? & ſic deinceps, ac tandem cur non omnium, cùm convenientia omnium non habeat, niſi conditionem objecti unius ? Ac deinde ſi actus ille, ut dixi, non eſſet unus, non niſi ſeorſim conferrentur res quædam cum aliis, & ſic nunquam ſimul conferrentur omnes : ac proinde nunquam attingeretur omnium illa, de qua agitur, convenientia. Igitur intellectus unico actu convenientiam illam attingit : talemque actum vocamus conceptum formalem entis, ut præmiſſum eſt.

V. Neque obſtat multiplicitas rerum.

Probatur *Secundò*. Si quid impedit quo minùs res omnes apprehendantur uno actu ſub communi ratione & denominatione entis, id maximè impedit earumdem rerum multiplicitas : atqui iſta multiplicitas id non impedit : ergo &c. & ſic conceptus formalis entis erit unicus. Major conſtat ; quodnam enim aliud erit aſſignabile impedimentum ? Minor autem ſic probatur ; ſeu quia ſi rerum multiplicitas id impediret, tot actus neceſſarii forent, quot ſunt res : unde quia nunquam perveniretur ad omnes & ſingulas ſeorſim conſpiciendas, nunquam proinde intellectus cognoſceret eas omnes convenire ſub communi ratione & denominatione entis : cùm nihilominùs id probe agnoſcat. Seu etiam quia nemo eſt, qui neget plurimas partes poſſe unico actu intelligi ſub una ratione & denominatione totius, quod componunt : ſic cælum unico actu intelligitur ; quin etiam unico actu intelligitur veritas illa ſcripturæ aſſerentis Deum in principio creaſſe cœlum & terram ; atque ita de aliis. Igitur ſi multiplicitas partium, ex quibus cœlum componitur, non impedit quin unico actu agnoſcantur ſub una ratione & denominatione cœli, quod componunt, nullo ſimiliter impedimento erit multiplicitas rerum omnium, quin omnes apprehendantur uno actu ſub communi ratione & denominatione entis. Sed ut jam ſatis patet, actus ille eſt conceptus formalis, de quo agitur : ergo conceptus formalis entis eſt unicus.

VI. Res omnes induunt rationem unius objecti.

Addidi in aſſertione *idem eſſe ſentiendum de objectivo* ; & ratio evidens eſt : quia propter convenientiam illam, quam res omnes obtinent ſub communi ratione & denominatione entis, induunt omnes formam ac conditionem unius objecti, ad eundem modum, quo pro uno objecto computantur milites omnes, qui componunt exercitum ; ac cives omnes, qui componunt urbem, &c. Omnis quippe convenientia eſt quædam unitas : ac proinde omnis convenientia, quæ offertur intellectui cognoſcenda, eſt quoddam unum objectum illius. Cùm itaque conceptus objectivus entis nihil aliud ſit, quàm convenientia illa rerum omnium ſub communi ratione & denominatione entis propoſita cognitioni intellectivæ, hinc apertiſſime ſequitur con-

Digitized by Google

ceptum objectivum entis eſſe unum : tantùmque ſupereſt ut ſcias ad unitatem utriuſque iſtius conceptus, formalis nimirum, & objectivi intelligendam recolenda eſſe, quæ alibi dicta ſunt circa efformationem univerſalitatis naturarum. Nam ſicuti ad conſtituendam v. g. naturam humanam univerſalem conſiderantur ſtatim illius individua ſecundùm ſimilitudinem & diſſimilitudinem, quam habent; ac tum conſideratur ſimilitudo eorum ſeorſim ab omni diſſimilitudine : & hæc ſimilitudo ſic abſtracta ab omni differentia diſſimilitudinis individualis reddit naturam humanam unam, & ſub una ratione prædicabilem de ſuis individuis, id eſt, univerſalem. Hoc itaque modo conſiderat intellectus res omnes ſecundùm ſimilitudinem ac diſſimilitudinem, quam habent; tum verò non conſiderat, niſi earum ſimilitudinem à diſſimilitudine præciſam : ſicque intelligis conſiderationem hujus ſimilitudinis, ſeu quod idem eſt, convenientiæ ſub ratione communi & denominatione entis eſſe conceptum illum, quem vocamus conceptum formalem entis, quemque ſimul adverteris eſſe univerſalem: & illa convenientia ſic objecta intellectui quid eſt, niſi conceptus entis objectivus, & maxime univerſalis?

Objicies *Primò*. Omnis conceptus, qui unicus eſt, indiviſibilis eſt; ſed conceptus entis tam objectivus, quàm formalis non eſt indiviſibilis : ergo &c. Major conſtat ex terminis, ſiquidem quidquid vere ac perfecte unum eſt, id incompoſitum eſt : repugnat autem aliquid incompoſitum dividi. Minor verò ſic probatur : quia ſi poteſt univerſitas rerum ſub ratione ac denominatione communi entis concipi, poteſt exinde concipi ſimiliter modò una, modò altera medietas, ac quævis alia multitudo comprehenſa ſub medietatibus talis univerſitatis, quod evidens indicium eſt actum illum, quo ſic concipitur univerſitas rerum, continere in ſe plures actus, quibus ſeorſim ac ſucceſſive ſic concipi poſſunt variæ multitudines talium rerum : unde conſequitur actum illum eſſe multipliciter multiplicem, ſicut ex alio capite univerſitas rerum eſt diviſibilis in varias multitudines ſeorſim ac ſucceſſive cognoſcibiles ſub illa ratione entis & denominatione communi, de qua agitur : ergo &c. VII. Opponunt omnem conceptum entis eſſe diviſibilem.

Adde quòd conceptus ſaltem objectivus entis non eſt unus : ergo &c. Probatur antecedens : conceptus objectivus entis importat omnem multitudinem rerum, quæ offeruntur intellectui conſiderandæ prout convenientes ſub prædicta communi ratione & denominatione entis; ſed hujuſmodi multitudo, ut patet, non poteſt vocari una : ergo &c. Imo quia conceptus formalis ſupponit objectivum & reſpondet illius latitudini, ſeu intelligibilitati adæquatæ : hinc rurſus conſequitur conceptum formalem entis non eſſe magis unum, quàm ſit objectivus. VIII. Ac præſertim id ſtatuunt de conceptu objectivo.

Digitized by Google

atque ita neuter eſt unus contraquàm aſſertum fuit.

IX. Sed iſta diviſibilitas eſt tantùm virtualis. *Reſp.* Diſtinguendo majorem. Omnis conceptus qui eſt unicus tam virtualiter, quàm formaliter, eſt indiviſibilis, concedo majorem: unicus formaliter; ſed non virtualiter, nego majorem: ac tum conceſſâ minori nego ſimiliter conſequentiam ſub data diſtinctione. Cujus itaque diſtinctionis ratio hæc eſt; quia licet conceptus, de quo agitur, ſit formaliter unus propter rationem ac denominationem unam & formaliter eandem, quam attingit, nihilominùs æquivalet multis conceptibus, quibus utique poteſt ſeorſim ac ſucceſſive conſiderari una illa eademque formalitas rationis & denominationis communis: ideo ſcilicet, quia in conceptu communi rerum omnium, continetur haud dubiè conceptus omnium hominum, &c. atque hoc modo nihil obſtat, quin conceptus formaliter unus, qualis aſſeritur, ſit aliunde virtualiter multiplex.

X. Modus concipiendi probat unitatem conceptus. Ad id verò quod additur, nego antecedens, pro cujus probatione ſolvenda dico conceptum objectivum poſſe conſiderari dupliciter, vel relative ad res quas complectitur, vel relative ad modum, quo res illæ objiciuntur intellectui: & hic poſterior reſpectus ille eſt, ſub quo aſſeritur conceptum objectivum eſſe unum: quatenus etſi res illæ, quibus eadem ratio ac denominatio entis convenit, ſint evidenter multæ, non aliter tamen objiciuntur intellectui, quàm ad inſtar unius. Sicque illa univerſitas rerum, etſi materialiter ſit multiplex, objectivè tamen una eſt: quæ ratio fuit aſſerendi conceptum objectivum entis eſſe unum.

XI. Opponitur impoſſibilitas prædicti conceptus. Objicies *Secundò*. Conceptus entis ille, quem contenditur eſſe unum, talis eſt, ut per eum res omnes attingantur ſub communi ratione & denominatione entis: atqui hujuſmodi conceptus eſt impoſſibilis: ergo non eſt unus, ut contenditur. Probatur minor, quia talis conceptus præſupponit cognitionem rerum omnium, cujus utique incapax eſt omnis intellectus creatus: eam verò præſupponit quandoquidem ſi vel una res non præcognoſcitur, unde eruet intellectus rationem entis communem eſſe illi, perinde ac aliis: ergo &c.

XII. Ac in primis propter differentias entis ſive incluſas, ſive excluſas. Adde quòd conceptus ille entis in communi vel includit differentias omnium entium, vel non includit: ſi non includit, igitur contra hypotheſim non eſt communis, ſeu univerſalis: quandoquidem differentiæ omnes ſunt totidem entia. Si verò includit: igitur conceptus ille non erit unus; quia implicat differentias ex hoc ipſo quòd differentiæ ſint, habere aliquid commune. Ergo falſum eſt quidquid de unitate illius conceptus ſive formalis, ſive objectivi aſſeritur.

XIII. Oſtendi- *Reſp.* Et conceſſâ majori nego minorem, pro cujus probatione

Digitized by Google

ſolvenda dic prærequiri quidem tali conceptui cognitionem rerum omnium, ſed ſufficere confuſam: qualis utique facillimè obtinetur; ex hoc enim quòd diſtinctè noverimus rationem communem & denominationem entis convenire hominibus, arboribus, lapidibus, &c. hujus regionis, rationabiliter judicamus illam non minùs convenire rebus conſimilibus, licet inviſis alterius cujuſvis regionis. Unde fit ut deinceps res omnino omnes ſub prædicta ratione & denominatione communi entis concipiamus, poſtquam ſcilicet ab illis differentias ſingulares abſtraximus.

tur qualiter ille conceptus ſit poſſibilis

XIV. Nec obſtant differentiæ, quia non ſunt entia ſimpliciter.

Ad id verò quod additur dico conceptum illum unum entis & communem, de quo agitur, eſſe præciſum ab omnibus differentiis: non quod differentiæ non ſint entia, alioquin pro puro nihilo reputarentur; ſed quod non ſint entia niſi cum addito, id eſt talia entia. Sic quippe in ſermone ac ſenſu metaphyſico, qui in decurſu notior fiet, differentiæ, per quas entia ab invicem diſcernuntur, non ſunt entitates, ſed tantummodò talitates ac modificationes entitatum. Unde ex hac inſtantiâ nihil rectè infertur contra aſſertionem ſatis hactenus ſtabilitam.

ARTICULUS II.

DE VNIVOCATIONE ENTIS.

I. Quid ſit univocatio.

NOTANDUM *Primò* entis univocationem, ſi quæ eſt, nihil aliud eſſe, quàm talem communitatem, ratione cujus tum ratio, tum denominatio entis eadem conveniat rebus omnibus, increatis & creatis, pulchris & deformibus; validis & debilibus; mollibus & compactis; &c. Idque eruitur ex vulgatiſſima apud Philoſophos definitione, per quam univoca, ſcilicet univocata, ea dicuntur, ***quorum nomen commune eſt, & ratio per illud nomen ſignificata omninò eadem.*** Quare ſi res omnino omnes nomen idem entis, & eandem eo nomine ſignificatam rationem obtineant, hoc pacto indubitatum erit ens eſſe univocum reſpectu rerum omnium, ac proinde reſpectu Dei & creaturam; reſpectu Angelorum & formicarum; reſpectu cœlorum

Digitized by Google

& granulorum arenæ ; &c. abſque ullo diſcrimine. Cùm autem de nomine pateat nihil eſſe , cui adaptari non poſſit , uti dicendo Deus eſt ens , Angelus eſt ens , Formica eſt ens , &c. ſola difficultas ſupereſt de ratione per nomen ſignificata , quæ de cætero non poteſt non eadem cenſeri , poſtquam fuit præciſa ab omnibus differentiis : at dictum eſt in articulo præcedente qualiter ſic præſcindi poſſit ; quare illic habes deciſionem planè integram hujus quæſtionis ; neque hic iterandam , niſi conſuetudo juberet locum ſingularem præbere exercitationi iſti ſcholaſticæ reputari ſolitæ inter non infimas.

II. Agitur de univocatione metaphyſica. Notandum *Secundò* ne quæſtio agitetur tota , uti ſolet , de nomine , duplicem diſtinguendam eſſe univocationem , phyſicam ſcilicet & metaphyſicam. Phyſica convenit iis rebus , quæ cùm intra eandem ſpeciem contineantur , ejuſdem etiam perfectionis , aut ſaltem ferè ejuſdem ſunt participes : ſic nemo negat nomen ***hominis*** univoce univerſis hominibus convenire. Univocatio autem metaphyſica , quæ utique univerſalior quàm phyſica eſt ; vel nulla erit ; vel reperietur etiam in rebus ad diverſas ſpecies revocandis ; ſicque ſaltem nomen animalis conveniet univoce univerſis animalibus ; & nomen lapidis univerſis lapidibus , &c. Ubi neceſſe eſt , ut advertas ea , quæ phyſice æquivoca ſunt , poſſe eſſe univoca metaphyſicè , quatenus non attentis differentiis ſingularibus , quæ phyſicam æquivocationem conſtituunt , poteſt ex illis præſcindi perfectio quædam communis , ſive generica : ſicque nomen animalis , quod phyſice æquivocum eſt reſpectu hominis & leonis propter differentias in utroque notabiles animalitatem contrahentes , evadet univocum metaphyſice per ſolam differentiarum talium præciſionem. Jamque ſatis intelligitur quæſtionem de univocatione entis propoſitam , agitari utique de univocatione metaphyſica , ac proinde niſi de nomine moveatur , ſenſum illius eſſe omninò iſtum. An ratio entis ſic poſſit ab omnibus differentiis præſcindi , ut fiat in hunc modum univoca reſpectu rerum omnium , ſive quod idem eſt , ut omnibus conveniat ſub eâdem denominatione , & eâdem ejuſdem denominationis ſignificatione. His prænotatis breviter probabo partem hujus controverſiæ affirmativam.

ASSERTIO

ASSERTIO UNICA.

Ens eſt perfectè ac ſine reſtrictione ulla univocum reſpectu rerum omnium, quæ poſſunt utcunque intellectui ſubjacere: atque ita perinde eſt univocum reſpectu Dei & creaturam, ac reſpectu ipſarum creaturarum ad invicem, qualitercunque aliàs diſtinctarum per varios, ac varios gradus perfectionum inæqualium.

III. Nihil repugnat unitati nominis & rationis.

PROBATUR *Primò.* Si quid obſtat perfectæ ac non reſtrictæ univocationi entis, id ſe tenet vel ex parte denominationis, vel ex parte rationis per denominationem ſignificatæ; quaſi utraque, aut alterutra non poſſit rebus omnibus convenire: ſed utraque illis convenit: ergo &c. Probatur minor, & *primò* quidem nulla eſt res intelligibilis, quæ non ſubjaceat denominationi entis, ſiquidem nulla eſt, quæ non ſit diſtincta à *nihilo*, cujus contradictorium eſt *ens. Secundò* illa ratio, quæ per univerſalem ſignificationem entis importatur, nihil aliud in ſuo conceptu exprimit, quàm oppoſitionem cum nihilo; ſive quod idem eſt, eſſentiam, radicem proprietatum, poſſibilitatem exiſtendi, vel quid aliud ſimile, quod rebus omninò omnibus ex hoc ipſo quòd ſunt res, neceſſariò convenit: Igitur non ſolum una denominatio entis, ſed etiam una eademque ratio, qualem jam explicui, per talem denominationem ſignificata convenit rebus omnibus: quod idem eſt ac dari perfectam, & ſine ulla reſtrictione univocationem entis, ut dictum eſt.

IV. Entia omnia ſunt ejuſdem perfectionis metaphyſicæ.

Probatur *Secundò.* Ad hoc ut ens ſit perfectè univocum reſpectu rerum omnium intelligibilium, ſufficit, ut illæ omnes in ſtatu quodam abſtracto intelligibili ſint omninò ejuſdem metaphyſicæ entitativæ perfectionis: ſed in ſtatu prædicto omnes nullâ exceptâ ſunt ejuſdem hujuſmodi perfectionis, ergo &c. Major conſtat, quia hic non agitur de univocatione phyſica entis concreti, ſed de univocatione metaphyſica entis abſtracti: minor autem ſic probatur. Perfectio metaphyſica entitativa, qualis in ſtatu abſtracto entis concipitur, eſt in indiviſibili poſita: ergo non poteſt aliter quàm omninò eadem rebus omnibus convenire: rurſuſque probatur antecedens; tum quia cùm ratio entis

Digitized by Google

& nihili contradictorie opponantur, ſicut nihilum non ſuſcipit magis & minùs, ita neque ens, cujus proinde perfectio non minùs, quàm imperfectio nihili indiviſibilis eſt. Tum etiam quia ſi diviſibilis eſſet, conſtaret utique ex variis partibus, ſeu aliter gradibus perfectivis, qui rurſus ſinguli vel ex aliis componerentur, vel non, & ſic tandem vel dabitur progreſſus in infinitum, contra principia, vel devenietur ad entitatem abſtractam ſimplicem, incompoſitam, indiviſibilem, cujus proinde perfectio quæcunque illa eſt, non poteſt, niſi una & eadem rebus omnibus convenire. Hinc adeò manifeſtum eſt qualiter ens ſit univocum, ut nihil adjiciendum ſit præter ſequentium objectionum ſolutionem, quæ proderit ejuſdem aſſertionis ampliori elucidationi.

V. Opponũt rationem entis non eſſe eandem in Deo & creaturis

Objecies, *Primò*. Non poteſt ens eſſe univocum reſpectu Dei & creaturarum, ſi intelligi nihil poteſt, quod ſit ei commune cum creaturis: ſed ſic eſt, nihil intelligi poſſe, quod ſit commune Deo & creaturis: ergo &c. Sequela majoris manifeſta eſt, quia ſi nihil intelligi poteſt commune Deo cum creaturis, nec proinde ens erit commune, cùm ens ſit aliquid. Minor autem ſic probatur. Quidquid eſt in Deo, eſt independens, infinitum, increatum, &c. & è contra quidquid eſt in creaturis, id totum eſt dependens, finitum, creatum &c. ergo &c.

VI. Aut ſaltem principaliùs convenire Deo, ideoque tantùm analogice.

Adde quòd ſi ens eſt commune Deo & creaturis, hæc utique tum ratio, tum denominatio entis conveniet priùs ac principaliùs Deo quàm creaturis; atqui ex hoc ſufficienter convincitur ens non eſſe perfecte univocum reſpectu Dei & creaturarum: ergo &c. Major conſtat, quia tota illa entitas, quæ poteſt in creaturis excogitari, eſt entitas derivata & participata à Deo: Minor verò probatur, quia ſic ſufficienter convincitur ens illud non eſſe niſi analogum: ſicut enim Logici dicunt *ſanum* reſpectu animalis, medicinæ, urinæ, &c. eſſe analogum, propterea quòd non dicitur de medicina & urina, niſi propter animal, cui primò ac principaliter convenit: ita ens non erit niſi analogum, ſimili nempe analogia, quam vocant attributionis, quia non dicitur de creaturis niſi propter Deum, cui primò ac principaliter competit ſecundùm omnem rationem ſui ac denominationem. Igitur &c.

VII. Diſtinguitur inter rationem entis cõcretam & abſtractã.

Reſp. Et conceſſà majori nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda diſtinguo antecedens. Quidquid eſt in Deo, eſt independens &c. conſideratum in ſtatu concreto, concedo antecedens; conſideratum in ſtatu abſtracto, nego antecedens. Similiter quoque reſpondeo ad alteram partem antecedentis, quidquid eſt in creaturis, id totum eſt dependens, &c. in ſtatu concreto, conceditur: in ſtatu abſtracto negatur; nam in ſtatu abſtracto entis à ſuis omnibus differentiis denu-

Digitized by Google

dati Deus neque eſt ens infinitum, neque finitum; neque independens, neque dependens; &c. ſicut etiam creatura in ſtatu conſimiliter abſtracto neque eſt ens finitum, neque infinitum; neque dependens, neque independens; &c. Imo quæcunque eſt illa independentia Dei nunquid eſt ens? & idem dic de aliis attributis Divinis: igitur res eò ſemper redit, ut ens ſit commune Deo & creaturis. Aut ſi argumentum Adverſariorum eſt efficax; æqualiter convinceret ens non eſſe univocum reſpectu Angeli & lapidis; quia quidquid in Angelo eſt, ſpirituale eſt, & è contra quidquid in lapide eſt, corporeum eſt, & ſic de aliis: & nihilominùs nemo Metaphyſicus eſt, qui neget univocationem illam, vel aliam ejuſdem generis inter creaturas ad invicem comparatas.

Ad id verò quod additur ſolvendum ſufficit hæc eadem reſponſio, quâ Adverſarii monendi ſunt; ut non confundant ſtatum entis concretum, cum ſtatu ejuſdem abſtracto: in quo utique nullatenus attenditur ad modum, quo ens convenit rebus ab ipſo denominatis. Unde fit ut quamvis phyſice & concrete loquendo Deus ſit ens, & omnino aliter, & omnino aliud quàm creatura; nihilominùs loquendo metaphyſice & abſtracte nec ſit aliter; nec ſit aliud: quia nimirum hæc entis conſideratio ex hoc ipſo quòd eſt, ut toties explicuimus, abſtractiſſima, nullas prorſus involuit eſſendi differentias. Itaque etſi ens ſit analogum reſpectu Dei & creaturarum in ſenſu phyſico, nihilominùs in ſenſu metaphyſico eſt perfecte univocum, ut jam ſatis intelligitur. VIII. Et ſufficit hæc diſtinctio pro ſolvenda inſtantia.

Objicies *Secundò*. Ad hoc ut ens ſit perfecte univocum reſpectu rerum omnium intelligibilium, neceſſe eſt illud poſſe abſtrahi ab omnibus illarum differentiis: ſed abſtrahi non poteſt: ergo &c. Major conſtat, quia univocatio importat omnimodam identitatem rationis & nominis: quantulacunque autem differentia tollit identitatem illam. Probatur minor. Nulla eſt differentia, quæ quantumcunqve præciſa, non retineat rationem entis: quomodò enim illa non erit ens, ſi eſt aliquid? aut quis neget illam eſſe aliquid, cum ſit, ut ſupponitur, differentia: ergo ens non poteſt abſtrahi ab omnibus differentiis, imo neque ab ulla; ſicque non poteſt eſſe univocum. IX. Probant ens non poſſe præſcindi à differentiis.

Adde quòd etiamſi ens abſtraheretur, ut præſumimus, ab omnibus differentiis, non tamen propterea eſſet univocum: & ratio eſt, quia juxta notionem ſcholaſticam univocationis, non eſt univocum, niſi id quod ſub eodem nomine & ſub eadem ratione convenit multis: at talia multa, quibus ens ſub eodem nomine & eadem ratione conveniat, nulla ſunt: quænam enim? nulla utique ſunt, niſi recurras ad differentias entis, quibus aliàs impoſſibile eſt ex hoc ipſo quòd diffe- X. Et addūt hanc præciſionem, etſi fieret non ſufficere.

Digitized by Google

rentiæ ſunt, eandem rationem ullam convenire. Aliter entis univocatio eſt ratio quædam communis abſtracta: at unde abſtracta niſi à differentiis? ſed ab iſtis quomodo abſtracta, cùm in illis non præexiſtat, alioquin independenter ab abſtractione obtineretur univocatio contra doctrinam hactenus traditam. Ex quibus omnibus attentè trutinatis conjici poteſt illam eandem doctrinam eſſe multùm chimæricam.

XI. Diſtinguitur inter differentias adæquate & inadæquate acceptas.

Reſp. Et conceſſa majori nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda dico in omni differentia entis adæquate conſiderata contineri hæc duo, ſcilicet ens, & tale ens, ſive talitatem illius entis: at conſiderari inadæquate poteſt præterea ſecundùm talitatem illam præciſam. Cùm itaque dicunt Adverſarii differentiam quantumcunque præciſam eſſe adhuc ens, diſtinctione utendum eſt, & id quidem de differentia adæquate ſumpta concedendum, de ſumpta inadæquate negandum: ſic enim in hoc ſenſu formaliſſimo non eſt, niſi talitas entis.

XII. Et per hanc diſtinctioné cæteræ difficultates ſolvuntur.

Nec minùs hæc diſtinctio ſufficit ad additæ inſtantiæ ſolutionem, ſi nimirum ſic concipias per abſtractionem, quâ ens redditur univocum, entitatem differentiarum ab ejuſdem talitate ſejungi, quatenus iſtâ non attentâ, illa attenditur. Tum verò quid vetat quo minùs illam entitatem ſuæ, ut ſic loquar, talitati reſtituas, quaſi jam in contrarium & conjunctim attendendo quàm bene altera alteri conveniat, entitas ſcilicet talitati? In quo caſu non alia quærenda ſunt ſubjecta entis univoci, quam iſtæ talitates differentiales, de quibus omnibus tum idem nomen, tum eadem ejuſdem nominis ratio poteſt peroptime prædicari. Et hoc pacto cæteras hujus generis ſubtilitates enodabis, nec difficilè intelliges præſentem difficultatem, quæ inter Thomiſtas & Scotiſtas contentioſiſſime agitatur ex eo maximè pendere, quòd ob non ſatis dilucide ſtabilitum quæſtionis ſtatum, multo minùs de re, ut ſuperius dixi, quàm de nomine moveatur.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

DE PRÆCISIONIBUS ENTIS.

NOTANDUM *primò* hactenus quidem dictum fuiſſe ſatis de præciſione illa, per quam ens redditur univerſale & univocum; ſed ſupereſt, ut deinceps agatur de præciſionibus, quæ ſpectant ad formalitates cujuſlibet entis ſive præciſi, ſive aliàs non præciſi à ſuis differentiis. Certum quippe eſt ens etiam quantumvis præciſum ab omni differentia ſive generica, ſive ſpecifica, ſive individuali retinere nonnullas proprietates, quales in primis ſunt veritas, bonitas & unitas, de quibus in diſputatione ſequente tractabitur. Quod ſi non eſt præciſum à prædictis differentiis, tantò evidentius patet illud multis abundare proprietatibus, quæ licet realiter identificentur cum ente cujus ſunt, nihilominùs poſſunt ſeorſim conſiderari veluti per totidem conceptus. Cùm autem in Philoſophia tritus ſit modus ille loquendi, quo omnis proprietas, ſive qualitas propriè conveniens alicui ſubjecto vocatur forma, aut formalitas, hinc contingit ut conceptus, per quos proprietates cujuſvis entis attinguntur ſeorſim ſeu præciſive, appellitentur præciſiones formales, ſicut illæ ipſæ proprietates, quas vides aſſumi pro objecto præciſionum formalium, exinde vocantur præciſiones objectivæ. I. Quid ſit præciſio formalis & objectiva.

Notandum *Secundò* toties contingere præciſionem formalem ſimul & objectivam, quoties non obtinetur niſi inadæquata cognitio alicujus entis; nam hæc inadæquata cognitio conſiſtit in hoc, quòd aliquas talis entis proprietates attingat, cæteras autem non attingat: unde non immeritò colligitur pleraſque noſtras cognitiones eſſe præciſivas; imo potiùs dixerim omnes, cùm nullam obtineamus verè adæquatam; nam quæ verè adæquata eſt, comprehenſiva eſt; & hæc eſt ſolius Dei. At tum dupliciter contingit ut cognitiones noſtræ ſint præciſivæ; quandoque enim id contingit ex arbitrio intellectus, qui etſi noverit plures formalitates alicujus entis, eas tamen ſeorſim, II. Omnis cognitio, quæ non eſt adæquata, eſt præciſiva.

ſive quod idem eſt, præſcindendo conſiderat; quandoque autem ac ſæpiùs contingit id ipſum ex ignorantia ejuſdem intellectus, qui cùm non ſatis aſſequatur omnes formalitates alicujus entis, conſiderat quas novit præciſas ab iis, quas non novit.

III. Proponitur ſtatus difficultatis. Ex quibus ſic prænotatis eruenda eſt deciſio intricatiſſimæ difficultatis, quæ ab aliis quidem in Logica, ab aliis verò, & id quidem commodiùs, in Metaphyſica proponitur circa præciſiones objectivas, an ſcilicet & qualiter dentur. Et difficultas quidem in hoc conſiſtit, utrum dentur ex parte entis ſive communis ſive aliter ſingularis, quod intellectionibus noſtris objicitur, formalitates diverſæ, quæ licet realiter identificatæ cum ente cujus ſunt, obtineant nihilominùs ſingulæ ſuam repræſentabilitatem, quæ utique conditio ſit, vel ſaltem occaſio præciſionum formalium. Nam ſi ſic dentur hujuſmodi formalitates, poterit una cognoſci & alia non cognoſci; ſive poterit ens cognoſci ſecundùm unam & non cognoſci ſecundùm aliam: quod repugnantiſſimum putant in ſecta Ariſtotelica Nominales contra cæteros, quibuſcum præciſiones objectivas deinceps propugnabimus.

ASSERTIO UNICA.

Admittendæ ſunt præciſiones objectivæ, tum reſpectu entis in communi, tum reſpectu cujuſvis alterius in particulari.

IV. Omne ens habet formalitates ſeorſim cognoſcibiles. PROBATUR *Primò.* Dari præciſiones objectivas nihil aliud eſt, quàm dari ex parte entis, quodcunque illud ſit, plures formalitates, quarum una ſeorſim ab alia objici intellectui poſſit; etſi illæ omnes cum ente cujus ſunt, identificentur realiter: Atqui ſic eſt, dari hujuſmodi formalitates: ergo &c. Major ſatis conſtat ex prænotatis; minor verò ſic probatur. Et *Primò* quidem ſi de ente in communi agitur, certum eſt convenire illi plures formalitates, uti veritatem, bonitatem, unitatem, cæteraſque ex illis conſequentes non paucas, ut intelligibilitatem, imaginabilitatem, appetibilitatem, diſtinguibilitatem, &c. At ex hujuſmodi formalitatibus poteſt objici una intellectui ſeorſim ab alia; ut revera toties ſic objicitur, quoties veritatem entis apprehendimus nondum cognita bonitate, aut unitate: cùm enim bonitas pendeat ex veritate, ut infra oſtendetur; neceſſe abſolute eſt, ut veritas priorem ſe cognoſcendam objiciat; atque ita pro tali prioritate cognoſcendam objicit ſe ſeorſim à bonita-

te, & ſic de aliis. *Secundò* ſi agitur de quocunque ente particulari, id ipſum comprobatur, eſſe nimirum in eo plures formalitates, quæ ſeorſim objiciuntur intellectui; nam leo v. g. præter univerſaliſſimas illas formalitates entis veri, boni, unius, imaginabilis, appetibilis, &c. quamplures alias includit minùs univerſales, uti entis ſubſtantialis, corporei, viventis, ſenſitivi, quanti, qualis, relati, locati, agentis, patientis, &c. At iſtæ omnes non ſe conjunctim objiciunt cognoſcendas: ſive quia nec illas omnes attingit intellectus niſi ſucceſſive; ſive etiam quia nec fortè unquam illas omnes attingit etiam ſucceſſive, propterea quòd ſint mirum in modum numeroſæ & abſtruſæ: aut certè non niſi ad doctos Metaphyſicos pertinet univerſas inveſtigare. Ergo &c.

Probatur *Secundò*. Si dantur cognitiones inadæquatæ objectorum intelligibilium, dantur præciſiones objectivæ: ſed dantur hujuſmodi cognitiones inadæquatæ: imo potiùs cognitiones noſtræ omnes ſunt hujuſmodi: ergo &c. Minor eſt certa: ſiquidem ſi cognitiones noſtræ reſpectu objectorum intelligibilium non eſſent inadæquatæ, cognoſceretur ſtatim id planè totum, quod in ipſis eſt, nec ulla opus eſſet ulteriori inquiſitione: ſic quippe primo ac unico intuitu conſpicerentur omnes perfectiones Divinæ, & Angelicæ, & humanæ, &c. ab eo, qui cognitione qualicunque ſua attingeret Deum, Angelum, hominem, &c. At id quàm falſum ſit ſatis edocet experientia laboris temporiſque impendendi in ſcientiis promovendis. Sequela majoris jam ſic probatur. Si dantur cognitiones objectorum inadæquatæ, ſignum eſt evidens formalitates talium objectorum non ſe repræſentare omnes ac conjunctim intellectui; ſed ſeorſim ſeu præciſive: atqui ſi ita eſt, dantur præciſiones objectivæ, ut ex ſupra dictis manifeſtum eſt: ergo &c. Probatur rurſus ſequela majoris, quia cùm intellectus ſit potentia neceſſaria, non poteſt non advertere quæcunque ipſi ſimul ac conjunctim repræſentantur: quare ſi omnes alicujus objecti intelligibilis v. g. aut entis in communi, aut cujuſlibet entis in particulari formalitates ſeſe omnes ſimul ac conjunctim illi repræſentarent, omnes ſimul ac conjunctim adverteret; ad eum modum quo oculus tantò plura objecta ſimul conſpicit, quantò plura ei ſimul objiciuntur. Ergo &c.

V. Omne ens poteſt cognoſci, imo cognoſcitur inadæquate.

Atque ut hæc doctrina de præciſionibus rerum intelligibilium objectivis dilucidè concipiatur, multùm proderit advertere, qualiter illæ accidant in rebus ſenſibilibus, in quibus utique ſunt variæ ſenſibilitates ad eum modum, quo in illis variæ ſunt intelligibilitas pro varietate formalitatum, ex quibus conſtant. Sic in carbone ignito v.

VI. Præciſiones intellectivæ probantur & ex

plicantur per ſenſitivas.

g. variæ ſunt ſenſibilitates; namque ſenſibilis eſt in ratione lucidi, tum in ratione calidi, tum in ratione odorabilis, &c. At varias illas ſenſibilitates non exercet niſi per varias operationes, quæ in variis ſenſoriis varias ſenſationes efficiunt: unde accidit frequenter ut propter debilitatem, aut propter ſeparationem talium operationum carbo ille ignitus non exhibeat ſuam omnem ſenſibilitatem: neque omitto operationes, per quas objecta ſenſibilia ſenſibilitates ſuas exhibent, eſſe ſpecies illas ſenſibiles, quæ, ut in Phyſicis videbitur, ad ſenſationem efficiendam deſiderantur. Itaque ut operationes, ſive ſpecies, rerum ſenſibilium ſeparari poſſunt cùm ſint diverſæ; neque enim ſpecies carbonis lucidi eſt ſpecies ejuſdem ut calidi, &c. ita ſimiliter ſeparari poſſunt rerum intelligibilium ſpecies, quæ cum analogia concipi poſſunt ad inſtar non abſimilium operationum; quandoquidem una hujuſmodi ſpecies non eſt alia: ſic quippe ſpecies Dei intelligibilis ſub ratione boni, non eſt ſpecies ejuſdem intelligibilis ſub ratione juſti, &c. Tandem adjici poteſt quòd ſicut rerum ſenſibilium ſpecies pendent aliæ ex aliis, unde fit ut aliæ priores aut poſteriores ſint aliis; ſicque priùs aut poſteriùs exhibeantur: ita ſpecies rerum intelligibilium ſimilem inter ſe tueantur dependentiam, & aliæ aliis priùs aut poſteriùs exhibentur. At hæc omnia ſi attentè ſpectentur, probant cur & qualiter admittendæ ſint præciſiones objectivæ, de quibus ſermo eſt: nihilque addendum ſupererit poſt ſolutionem objectionum ſequentium.

VII. Opponſ: omnes formalitates cujuſvis rei ſimul objici intellectui.

Objicies *Primò*. Non poteſt una formalitas alicujus rei objicere ſeſe intellectui, quin eidem ſimul ſeſe objiciant ejuſdem rei formalitates cæteræ omnes: igitur non ſunt admittendæ præciſiones objectivæ. Conſequentia omninò patet ex quæſtionis ſtatu, qualem ſupra abſque ambagibus ullis propoſuimus. Antecedens ſic probatur. Si id poſſet ita fieri, ſequeretur poſſe aliquod objectum cognoſci ſimul ſecundùm unam formalitatem, & non cognoſci ſecundùm aliam; ut hominem v. g. ſecundùm animalitatem, & non ſecundùm rationalitatem: atqui id eſt impoſſibile: & hæc propoſitio ſic manifeſte probatur. Quia non minor eſt contradictio in hoc quod eſt cognoſci ſecundum unam formalitatem & non ſecundum aliam, quàm in hoc quod eſt exiſtere ſecundùm unam formalitatem & non ſecundùm aliam. At hoc poſterius eſt omninò contradictorium: ergo & illud prius. Quo argumento tanquam palmari utuntur ii omnes, qui præciſiones objectivas impugnant, & inter quos legi poterit prolixiſſimus Arriaga totâ diſput. 5. Logicæ.

VIII. Vel ma-

Adde quòd formalitates intellectui objicibiles, de quibus agitur, ſupponuntur

ſupponuntur identificatæ realiter omnes tum inter ſe, tum proinde cum ente, cujus ſunt formalitates: ergo non poſſunt niſi conjunctim objicere ſe omnes intellectui; & ſic inter illas non datur præciſio objectiva. Probatur conſequentia. Non poteſt aliquid ſimul cognoſci & non cognoſci: at in caſu præciſionum objectivarum, idem cognoſceretur ſimul & non cognoſceretur: nam formalitas quæ ſeorſim objiceret ſe intellectui, cognoſceretur, ut ſupponimus; & rurſus non cognoſceretur, quia non cognoſcerentur cæteræ, quæ nihilominùs cum illa ſunt unum & idem. Poteſtque id totum confirmari hac paritate, quia non poteſt cognoſci homo, quin cognoſcatur animal rationale propter realem utriuſque identitatem: atqui non minus realiter identificatur una formalitas cum alia, quàm homo cum animali rationali; identitas enim realis non ſuſcipit magis & minùs: ergo &c.

Reſp. negando antecedens, pro cujus probatione ſolvenda concedo ſequelam majoris, & negatâ minori contendo tum nullam eſſe contradictionem in hoc quod eſt exiſtere ſecundùm unam formalitatem & non ſecundùm aliam; quia contradictio, ſi in rigore philoſophico accipitur, eſt affirmatio & negatio ejuſdem de eodem, qualiter nulla eſt in caſu præſenti, in quo de diverſis formalitatibus agitur. Tum etſi contradictio quædam foret in eo quod eſt ***exiſtere ſecundum unam formalitatem & non ſecundùm aliam***; nulla tamen foret in eo quod eſt ***cognoſci ſecundum unam & non ſecundùm aliam.*** Et ratio eſt, quia omnis exiſtentia eſt exiſtentia rei totius, ſive totius entitatis, quæ producta fuit in re exiſtente: at omnis cognitio non eſt cognitio totius intelligibilitatis, quæ eſt in re cognita: alioquin omnis cognitio eſſet adæquata, imo comprehenſiva. Cùm igitur quælibet formalitas habeat ſuam intelligibilitatem diſtinctam, etſi diſtinctam non habeat exiſtentiam; hinc accidit ut non modò non poſſint, ſed etiam ſoleant non aliter cognoſci res omnes, quàm per cognitionem ſucceſſivam, ſive, quod idem eſt, præciſivam formalitatum, quæ in ipſis ſunt. Et ſic quidem cùm hominem procul à nobis ambulantem, aut iter agentem intuemur, non advertimus ſtatim in eo, niſi formalitatem corporis, aut animalis: ſed ſi propiùs ad nos acceſſerit, aut nos ad illum, erit hæc eadem acceſſio, veluti quædam progreſſio cognitionis, quâ paulatim dignoſcetur illum eſſe hominem, & indutum quidem veſtibus holoſericis; & natione gallum, & concivem, & amicum, &c. Quæ quidem omnes formalitates ab initio, quo viſus fuit, in ipſo erant; ſed nihilominùs non ſe objiciebant, aut ſaltem ſufficienter, noſtro conſpectui. **IX. Sed convincitur oppoſitum.**

Ad id verò quod additur conceſſo antecedente nego conſequentiam; **X. Neque**

Digitized by Google

obſtat idẽtitas, quam opponũt, imò nimis probat.

pro cujus probatione ſolvenda dico non poſſe quidem unum & idem objectum cognoſci & non cognoſci ſecundùm eandem formalitatem ; poſſe tamen cognoſci & non cognoſci ſecundùm diverſas : nam tunc quidem etſi objectum ſit materialiter unum & idem , non eſt tamen unum & idem formaliter. De cætero autem hæc inſtantia Adverſariorum nimis probat , ſiquidem probaret non modò non dari præciſiones objectivas , ſed neque formales , quas hactenus nemo negavit. Exemplum autem adductum identitatis , quæ eſt inter animal rationale & hominem incongruum eſt , quia hæc identitas eſt formalis ſimul & realis : at illa identitas , quæ eſt inter formalitates diverſas , non eſt niſi realis , ut patet.

XI. Opponitur neceſſitas repræſentationis & intellectionis ſimultaneæ.

Objicies *Secundò*. Nec poteſt fieri quin omnes formalitates alicujus entis objiciant ſe ſimul omnes intellectui , nec poteſt fieri quin intellectus illas omnes ſimul advertat : ergo falſum eſt dari præciſiones ullas objectivas. Patet conſequentia ex ſupra dictis : antecedens autem ſic probatur quoad utramque partem. Et primò quidem formalitates omnes cujuſcunque entis , in eo quod eſt ſe ipſas repræſentare , habent rationem agentis neceſſarii : ſicque cùm non poſſint ſuam repræſentationem differre & ſuſpendere ad libitum , neceſſe eſt ut omnes ſimul ac conjunctim repræſententur. *Secundò* intellectus quoque eſt potentia neceſſaria , quæ proinde non poteſt non apprehendere ſimul omnes formalitates , quæ ſimul intelligendæ objiciuntur : quemadmodum nec poteſt oculus non ſimul intueri objecta omnia , quæ ejus intuitui offeruntur : ergo &c.

XII. Et affertur in exemplũ cognitio ſeu Angelica, ſeu in primis Divina.

Adde quòd formalitates qualeſcunque objectivæ non aliter ſe gerunt reſpectu intellectus humani , quàm reſpectu Angelici , aut Divini : at reſpectu intellectus tum Angelici , tum præſertim Divini non præſcinduntur : ergo &c. Major propoſitio conſtat , quia ut jam dictum eſt , tales formalitates ſunt agentia neceſſaria , quibus id proprium ac ſingulare eſt , ut uno ſemper modo ac tenore agant. Minor autem probatur , quia niſi illæ ſe ſimul ac conjunctim & abſque ulla præciſione repræſentarent intellectui Angelico , non poſſet Angelus illas omnes ſimul attingere : attingit tamen , quia non diſcurrit perinde ac nos in inveſtigandis rerum proprietatibus. Tum præſertim intellectus Divinus eas non ſucceſſive ; ſed ſimul attingit per ſuam infinitam comprehenſionem , ut ſatis patet : ergo &c.

XIII. Oſtenditur non omnes formali-

Reſp. & nego antecedens quoad utramque partem. Nam *primò* etſi formalitates objicibiles intellectui reputari debeant pro agentibus neceſſariis , nihilominùs non inde ſequitur illas ſimul ei objici ; ac præſertim ſi verificatur alias ex aliis pendere quoad ſuam repræſentatio-

Digitized by Google

nem, ut revera pendent, quatenus aliæ ſunt aliis occultiores, ac veluti remotiores ab intuitu: idque ad eum modum, quo notum eſt multa eſſe principia ſcientifica, in quorum ſufficientem cognitionem deveniri nunquam poteſt, niſi aliorum notitia quædam præceſſerit. Signum itaque eſt alia aliis priùs, aut poſteriùs noſtris intellectionibus objici: & idem intellige de formalitatibus cujuſcunque objecti, in quo non infrequenter accidit nonnullas eſſe ſic occultas, ut nunquam etiam à viris ſtudioſis in earum notitiam deveniatur. *Secundò* ac rurſus etſi formalitates omnes cujuſvis objecti repræſentarentur ſimul intellectui, cui fateor propriam eſſe activitatem agentis neceſſarii, non tamen ſufficeret ad omnes ſimul advertendas; idque probo illa ipſa paritate, quam Adverſarii adducunt oculi intuentis ſuum objectum: nam cùm oculus v. g. intuetur cœlum, quis dixerit illum advertere omnes ac ſingulas partes cœli, aut commiſſuram talium partium & poros interceptos, & æqualitatem aut inæqualitatem illarum, &c. ergo idem valet pro intellectu, qui haud dubiè non omnes formalitates objectorum ſuorum attingit, ſive interim id proveniat ex ipſius naturali inſufficientia, ſive ex inſufficiente illarum repræſentatione, ut ſupra dictum eſt. **tates eſſe æquè primò repræſentabiles.**

XIV. Imò neque erga intellectum Angelicum aut etiam Divinum.

Ad id verò quod additur, dico non aliter quidem repræſentari formalitates, de quibus agitur, intellectui Angelico aut Divino, quàm humano, quantùm nempe ex parte ipſarum eſt; ſed ſi quid deeſt inſufficienti ipſarum repræſentationi, id ſupplet ac perſcrutatur perſpicacia intellectus Angelici: unde planum eſt quàm aperte omnes etiam occultiſſimæ intellectui Divino pateant. Nihilominùs tum poteſt intellectus Angelicus eas præſcindere, quaſi magis applicando ſe conſiderationi alicujus, & avertendo ſe à conſideratione alterius: tum neque omnem illarum latitudinem attingit, alioquin comprehenderet ſua objecta, quod falſum eſt; nec id convenit niſi cognitioni Divinæ, quæ ſemper eſt comprehenſiva. Quamquam juxta noſtrum modum concipiendi nihil impedit quominùs poſſit Deus magis ad unam formalitatem attendere, quàm ad aliam; uti cùm miſeretur alicujus non quia homo eſt, ſed quia Chriſtianus eſt, & ſic de aliis. Quod eſt aliquatenus præſcindere. Et hæc hactenus dicta de præciſionibus objectivis, pauloque clariùs, quàm ſoleant, pertractata, adhuc uberiùs intelligentur ex dicendis in articulo ſequente.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

DE DISTINCTIONIBUS ENTIS.

I. **Quæ ſit diſtinctio entium actu exiſtentium.** NOTANDUM *primò* entia ſubjacentia diſtinctionibus, de quibus modò agendum eſt, vel eſſe in ſtatu exiſtentiæ actualis, vel in ſtatu exiſtentiæ tantùm poſſibilis: & in poſteriori quidem ſtatu ut nondum habent entitatem realem, ita nec adhuc obtinent diſtinctionem realem, quæ utique nihil aliud eſt, ut poſtmodùm convincetur, quàm hinc & inde realitas ipſa entium diſtinctorum. At in ſtatu priori cùm prorſus repugnet plura entia quæcunque actualiter exiſtentia obtinere exiſtentiam communem, quæ quidem eſt ipſa realis eorum entitas, hinc certum eſt illa hoc ipſo quòd plura ſunt, habere plures entitates reales: atque ita differre realiter ab invicem. Itaque extra omnem aleam eſt diſtinctionem entitativam ſeu realem iis tantummodò entibus convenire, quibus convenit exiſtere actualiter: aut ſaltem ne deinceps quæſtio fiat de nomine, moneatur nos per diſtinctionem realem ſubintelligere illam, quæ eſt inter res exiſtentes actu: idque ad diſcrimen illius, quæcunque illa ſit, quæ reperitur inter res non exiſtentes, ſive de cætero poſſint, ſive non poſſint aliquando exiſtere actu.

II. **Quæ ſit diſtinctio entium poſſibilium.** Notandum *ſecundò* duo eſſe genera entium: alia enim ſunt, quorum entitas eſt purè objectiva, & alia, quorum entitas non eſt purè objectiva. Prioris generis ſunt illa omnia, quæ aliud non habent eſſe, quàm cogitatum, aut cogitabile, & hujuſmodi ſunt omnia ſeu poſſibilia, ſeu etiam impoſſibilia. At quia perinde illa concipimus ad inſtar entium exiſtentium; hinc accidit ut inter illa concipiamus ſpeciem quamdam diſtinctionis realis, & ſic nihil vetat quin dicamus Petrum poſſibilem differre realiter à leone poſſibili, & ab utroque differre realiter chimæram, quin & chimæras differre realiter ab invicem. Nihil inquam id vetat, modò id dicatur cum hac moderatione addita, vel ſaltem ſubintellecta, nempe quòd differant realiter intelligibiliter: quatenus intelligitur ea, ſi fortè aliquando exiſterent, habitura realem

inter ſe diſtinctionem. At ſi abſolute & rigoroſe loquendum eſt, cùm diſtinctio realis ſubſequatur ad realitatem entium, nullaque ſit talium entium ſive poſſibilium ſive impoſſibilium realitas niſi mentalis, nulla quoque diſtictio niſi mentalis eſt. Poſterioris autem generis ſunt cætera omnia entia, quorum entitas cogitari quidem poteſt; ſed cogitatione non eget ad hoc ut ſit; & hujuſmodi ſunt univerſa entia, quæ actu exiſtunt. Ex quibus prænotatis ſatis eruitur omnes omnium entium diſtinctiones revocandas eſſe ad alterutram, nempe ad realem, vel ad mentalem. Nihilominùs cùm in ſcholis Ariſtotelicis variæ aliæ diſtinctiones celebrentur, uti formales ex natura rei, modales, virtuales, &c. quæ & mediare reputantur inter realem & mentalem: operæ pretium eſt ut fuſe oſtendamus, quàm falſò id reputetur: proderitque multùm in phyſicis id oſtendiſſe, ad hoc ut, quod attentiſſimè cavendum eſt, non confundantur ſive res, ſive rerum proprietates phyſicæ cum metaphyſicis.

ASSERTIO UNICA.

Nulla inter quacunque aſſignabilia entium genera reperitur diſtinctio, quæ non ſit aut omninò realis, aut omninò mentalis.

PROBATUR *Primò.* Quæcunque inter ſe diſtinguntur, ut ſupponimus, vel exiſtunt; vel non exiſtunt: atqui hinc ſequitur omnem diſtinctionem quæ inter qualiacunque entia comperitur, aut eſſe omninò realem, aut omninò mentalem: ergo &c. Major propoſitio patet: minoris autem ſequela ſic probatur. Et *primò* quidem ſi agitur de diſtinctione, quæ inter entia exiſtentia ſupponatur, ſic argumentor. Aut enim exiſtentiam habent unam & communem, aut non habent: ſi habent, cùm exiſtentia non ſit niſi ipſa entitas rei ut infra probabitur, ſequitur illa non diſtingui realiter; quia quidquid reale in ipſis eſt, commune eſt: ſi non habent; igitur diſtinguntur realiter; quia ut exiſtentiam eandem non habent, ita neque realitatem. *Secundò* autem ſi agitur de diſtinctione inter entia non exiſtentia, cum illa nullam habeant realitatem, nec diſtinctionem inter ſe realem ullam obtinent; unde enim aliunde ſuboritur diſtinctio realis, quàm ex realitatibus entium non iiſdem? Sic Petrus differt realiter à Paulo, quia nihil ejus realitatis, quæ eſt in uno, comperitur in altero. Ergo cùm nulla diſtinctio poſſit eſſe partim realis, &

III. Diſtinctio rerũ attenditur penès exiſtentiam aut non exiſtentiam.

partim non realis ; ſequitur omnem, quæcunque illa eſt, aut eſſe omninò realem, aut omninò mentalem, ut erat oſtendendum.

IV. Attenditur quoque fundamentum diſtinctionis. Probatur *Secundò*. Omnis diſtinctio qualiumcunque entium vel eſt fundata in aliquo reali, vel in nihilo reali ipſorum : ergo omnis diſtinctio eſt aut omninò realis, aut omninò mentalis. Antecedens certum eſt, quatenus nihil reale idem eſt ac non aliquid reale ; atque ita contradictoriè opponitur cum aliquo reali : nec proinde datur ullum medium conceptibile inter aliquid reale, & nihil reale. Conſequentia autem ſic probatur. Et *Primò* quidem ſi diſtinctio, quam ſupponimus, fundatur in aliquo reali, ſignum eſt realitatem unius non eſſe realitatem alterius, quod diſtinctum ſupponitur : in quo caſu evidens eſt diſtinctionem illam eſſe omnino realem, cum illa nihil aliud ſit, quàm pluralitas quædam realitatum. Tum *ſecundò* ſi diſtinctio, de quâ hypotheſis procedit, in nihilo reali fundatur, erit igitur totum illud reale quod reperitur in entibus ex ſuppoſitione diſtinctis, unum & idem : atque ita diſtinctio illorum nullatenus erit realis : ergo rurſus ſi quæ eſt, erit omninò mentalis, quatenus non habens pro fundamento, niſi arbitrariam aliquam mentis conſiderationem.

V. Conſideranda etiam eſt ſeparabilitas rerum. Probatur *tertiò*. Entia quæ ſupponuntur diſtincta vel ſunt ſeparabilia realiter ab invicem, vel non ſunt : Si *primum* : hinc ſequitur totam unius realitatem non eſſe realitatem alterius, & ſic diſtinctionem eorum reciprocam eſſe omninò realem. Si *ſecundum* : hinc è contrario ſequitur nihil realitatis eſſe in uno, quod non reperiatur in alio : alioquin illud quantulumcunque non ejuſdem realitatis, eſſet ſeparabile. Atque ut id totum clariùs intelligatur, cogita nullum ens ſimpliciter acceptum, eſſe de eſſentia alterius ſimpliciter accepti, alioquin falſa eſſet ſuppoſitio, ac ſimiliter denominatio entis unius & alterius : nam quod alicui eſſentiale eſt, non eſt quid alterum ab eo, de cujus eſſentia eſt. Rurſus quidquid non eſt de eſſentia alterius : non habet cum illo neceſſariam connexionem, ſive neceſſariam inſeparabilitatem : quandoquidem in illo realitas quædam eſt, quæ in altero non reperitur ; aliàs una eademque eſſet utriuſque eſſentia, nempe realis atque exiſtens, de quâ agitur. Ergo ut quæcunque ſeparabilia ſunt, realiter differunt ; ſic realiter non differunt quæcunque inſeparabilia ſunt : & ſic ex ſeparabilitate aut inſeparabilitate, nempe reali, entium bene concluditur eorum diſtinctio, aut omninò realis, aut nullatenus realis, ſeu, quod idem eſt, omninò mentalis.

VI. Habenda eſt inſu- Poſſetque tandem adjici ex dicendis in Phyſica diſp. 4. non poſſe fieri ut duo entia realiter diſtincta per unam & eandem actionem pro-

Digitized by Google

ducantur : quare illa quæ diſtincta ſupponimus vel producta fuerunt per unam & eandem actionem, & ſic contra ſuppoſitionem identificantur realiter : vel per actionem diverſam, & ſic realiter diſtinguntur : ergo hinc pariter ſequitur omnem diſtinctionem aut eſſe omnino realem, aut nullatenus realem, id eſt omninò mentalem : ut adhuc multò dilucidiùs patebit ex ſolutione objectionum. **per ratio productionis.**

VII. Difficultas petitur ex attributis Divinis. Objicies *Primò* Attributa Divina diſtinguntur ab invicem : at neque omninò realiter, neque omninò mentaliter : ergo ſaltem inter illa admitti debet diſtinctio quædam media, quæ neque ſit omninò realis, neque omninò mentalis : & qualis illa eſt, quam Theologi vocant *virtualem*. Major conſtat ; nam niſi aliquatenus diſtinguerentur, nec proferrentur pluraliter, nec deſignarentur nominibus diverſis ſapientiæ, miſericordiæ, juſtiæ, &c. Minor autem probatur per partes : & certè quidem non diſtinguntur omnino realiter, propterea quòd Deus ſit ens in ſe ipſo ſimpliciſſimum ; ſed neque diſtinguntur omninò mentaliter ; propterea quòd antecedenter ad omnem mentis noſtræ conſiderationem alia ſit operatio unius attributi, & alia alterius ; aliterque omninò juſtitia quàm miſericordia exerceatur, & ſic de aliis : quomodò autem poſſunt non diſtingui independenter à mente talia attributa, quorum operationes diverſæ nequaquam pendent à noſtris cogitationibus ? Ergo &c.

VIII. Tum ex prædicatis contradictoriis Naturæ & Perſonæ. Adde quòd ea ſaltem, quæ independenter à mente ſubjacent prædicatis contradictoriis, diſtinguntur pluſquam mentaliter. At in Deo ſic ſe habent Natura & Perſona : quatenus natura eſt communicabilis, ut revera communis eſt tribus perſonis : perſona autem eſt incommunicabilis, ut revera Paternitas non eſt communis Filio; nec Filiatio Spiritui ſancto ; idque ſic contingit in Divinis antecedenter ad omnem mentis noſtræ operationem; Cùm igitur diſtinctio, quæ eſt inter naturam & perſonam in Divinis, non ſit diſtinctio purè mentalis ; nec aliunde ſit purè realis ob ſummam Divinæ entitatis ſimplicitatem, ſequitur talem diſtinctionem, quare & ad diſcrimen *virtualis* vocatur, mediare inter realem & mentalem.

IX. Sed neq; hæc attributa diſtinguũtur niſi mentaliter. *Reſp.* Et contendo quæcunque illa ſunt, quæ diſtinguntur in Divinis (ſi nempe relationes perſonales ad invicem comparatas exceperis) non aliter quàm omnino mentaliter diſtingui : cùm in Deo nulla ſit pluralitas rerum. Nihilominùs cùm entitas Divina ſit tum in eſſendo, ut ſic loquar, tùm in operando ſimpliciter infinita ; hinc accidit ut quamvis ſit omnino incompoſita, operetur tamen modis diverſiſſimis, perinde ac ſi ex variis operandi principiis componeretur : quapropter etiam talia principia, aut aliter attributa quæcunque ad Divinum mo-

dum eſſendi & operandi ſpectantia dicuntur à Theologis diſtincta virtualiter, id eſt realiter æquivalenter. Verumtamen hæc diſtinctio virtualis nullatenus mediat inter realem & mentalem, niſi nomine tenùs, nomine, inquam, quod Theologi non adinvenerunt, niſi ad ſubterfugium, quo opus habent ad explicandum qualiter eſſe poſſint in Deo ſaluâ ipſius ſummâ ſimplicitate tot ac tam diverſæ tum eſſendi, tum operandi perfectiones. Hinc etiam ad res creatas eadem illa diſtinctio virtualis traducitur, quoties advertitur enti cuidam ſimplici, uti Angelo & animæ rationali, convenire varias perfectiones & operationes. Uno verbo non negamus diſtinctionem illam virtualem, ſed contendimus eam non mediare inter realem & mentalem, ut vulgò fingitur.

X, Nec aliter diſtinguntur Natura & Perſonæ. Ad id verò quod additur reſpondeo naturam & perſonas in Deo non minùs identificari realiter, quàm attributa ejuſdem inter ſe, quamvis contradictoria ſint talia prædicata, quorum unum, nempe communicabilitatis convenit naturæ; alterum verò ſcilicet incommunicabilitatis convenit perſonis. Unde ſequitur omninò mentalem eſſe diſtinctionem naturæ & perſonarum, perinde ac illam attributorum, cùm non poſſit eſſe in Deo diſtinctio realis ſine pluralitate rerum: at hæc pluralitas nulla eſt, niſi dixeris æquivalenter: & hæc æquivalentia non fundatur niſi in latitudine ejuſdem Divinæ entitatis, quæ ſimpliciſſima eſt, & nihilominùs infinita in omni genere tum eſſendi, tum operandi, ut à Theologis fuſiùs explicatur. De cætero tota difficultas eſt in eo, ut concipiatur modus, quo una ac eadem ac ſimpliciſſima res poſſit continere multiplicem perfectionem, & exinde etiam multipliciter operari. Nec ad id concipiendum adeſt exemplum fortè convenientius, quàm illud quod deſumi poteſt ex punctis ſive atomis phyſicis, quæ, ut ſuo loco oſtendetur, cum ſimplicitate materiali jungunt multiplicitatem v. g. facierum; quare igitur non poterit aliqua res ſpiritualis cum ſimplicitate ſua ſpirituali jungere multiplicitatem potentiarum, ſcilicet per reſpectus varios diſtinctarum. Ex his itaque colliges qualiter admitti quidem poſſit diſtictio virtualis tum in multis rebus creatis, tum maximè in increatis; ſed qualiter tamen non ſit niſi nomine tenùs media inter realem & mentalem, ut ſupra aſſertum fuit.

XI. Difficultas petitur ex formalitatibus rerum, Objicies *Secundò*. In homine, in arbore, in lapide, &c. ſunt variæ formalitates, uti entis, ſubſtantiæ, corporis, animati vel inanimati, ſenſitivi aut inſenſitivi, &c. Atqui hujuſmodi formalitates nec diſtinguntur omninò realiter, nec omninò mentaliter: ergo inter illas admittenda eſt diſtinctio quædam media, uti qualem admittere ſolent Scotiſtæ *formalem ex natura rei.* Probatur minor: & de diſtinctione quidem omninò reali patet non admittendam eſſe inter prædictas.

Digitized by Google

dictas formalitates, quæ nimirum non ſunt res totidem diſtinctæ & ſeparabiles. Sed neque inter illas datur diſtinctio purè mentalis: tum quia variis ac diverſis definitionibus ſubjacent: tum maximè quia ut non pendet ab intellectu identificare rationem ſubſtantiæ cum ratione entis, &c. ita neque ab illo unicè pendet diſtinctio talium rationum. Ergo &c.

XII. Tum ex motivis diſtinguendi res ab invicem.

Adde quòd poteſt intellectus dupliciter duo quædam diſtingnere: aut cum fundamento ex parte rei, aut ſine fundamento: quoties igitur illa diſtinguit abſque fundamento, toties contingit fieri diſtinctionem omninò mentalem: at quando diſtinguit illa cum fundamento ſupradicto ex parte rei, tunc contingit fieri diſtinctionem, quæ non eſt omninò mentalis. Unde ſic licet argumentari. Diſtinctio quæ fit ab intellectu cum fundamento ex parte rei neque eſt omninò realis, neque omninò mentalis: atqui talis diſtinctio reperitur inter ſupradictas & conſimiles formalitates entis, ſubſtantiæ, corporis, &c. ergo &c.

XIII. At tales formalitates non diſtinguntur niſi mentaliter.

Reſp. Et abſolute nego majorem; quia formalitates quæcunque illæ ſunt, revera nihil aliud ſunt, quàm conſiderationes diverſæ ejuſdem entis, ſive ſubjecti: at tales conſiderationes ſunt omninò in mente, non autem in ſubjecto. Et ratio evidens eſt: quia tales formalitates non tantùm in ſubjectis materialibus, ſed etiam in immaterialibus ac ſimpliciſſimis finguntur; ſic enim non minùs in Deo quàm in homine conſiderari poſſunt formalitates illæ entis, ſubſtantiæ, viventis, incorporei, &c. at certum eſt illas cùm in Deo nullam efficiant compoſitionem, nullam quoque ſubire diſtinctionem, quæ non ſit tota ab intellectu. Neque obſtat prædictas formalitates ſubjacere variis definitionibus; nam variæ definitiones non probant niſi varietatem conceptuum, aut quod idem eſt, ſolam varietatem reſpectuum unius ejuſdemque rei per conſiderationem intellectus multipliciter obſervatæ.

XIV Nec ſunt motiva ulla diſtinguendi ter, niſi aut realiter aut mentaliter.

Ad id verò quod additur dico diſtinctionem illam, quam Scotiſtæ ingerunt cum fundamento ex parte ſubjecti, vel ſupponere plures realitates in ſubjecto, vel unicam tantùm ac ſimplicem. Si *primum* talis diſtinctio erit verè realis: ſi *ſecundum*, ſupereſt ut ſit pure mentalis; & ad inſtar illius, quæ ſola admitti poteſt inter perfectiones Divinas propter ſummam ſimplicitatem totius *eſſe* Divini, ut jam ſæpius dictum eſt. Quapropter ſi formalitates, de quibus agitur, non ſunt realiter plures in ſubjecto, id eſt, ſi non ſunt in illo veluti plures realitates, non poteſt diſtinctio illarum eſſe niſi pure mentalis, perinde ac illa omnis, quæ abſque ullo fundamento poſſet inter duo quædam excogitari: cum enim inter aliquid reale & nihilum reale nihil medieo,

conſequens eſt ut diſtinctio, quæ defectu fundamenti realis, non eſt realis : ſit quoque defectu ejuſdem pure mentalis.

XV. Opponitur differentia quæ eſt modorũ.

Objicies *tertiò*, Præter formas dantur etiam modi : atqui ſi ita eſt, admittendum erit genus aliquod diſtinctionis , quæ neque ſit omnino realis, neque omnino mentalis : ergo, &c. Major conſtat ex communi aſſenſu Philoſophorum , qui id quod eſt eſſe corporeum v. g. aſſumunt pro forma ; at id quod eſt eſſe tortuoſum, aut incurvum, &c. aſſumunt pro modo. Minor autem ſic probatur : quia ſi modi diſtinguuntur à formalitatibus, aliter haud dubiè diſtinguuntur ab illis , quàm formalitates inter ſe rurſus aliter quàm illæ diſtinguuntur à ſuis communibus ſubjectis: Ergo licet formæ ſeu formalitates , non aliam ſubirent diſtinctionem , quàm aut purè realem aut purè mentalem, adhuc tamen excogitanda eſſet alia pro modis ſive ad ſua ſubjecta, ſive ad ſe mutuò comparatis : qualis utique illa eſt , quæ à multis Ariſtotelicis ad diſcrimen cæterarum *modalis* vocatur.

XVI. Affertur modus ſpecialis.

Adde quod aliter res differunt inter ſe : & aliter chimæræ à chimæris : & aliter denique res à chimæris : Ponamus itaque res differre à ſe mutuò purè realiter : Et rurſus ponamus chimæras differre inter ſe purè mentaliter : nunquid ſupereſt tertia quædam diſtinctionis ſpecies, per quam res differant à chimeris ? Ergo dabitur diſtinctio media inter purè realem & purè mentalem.

XVII. Sed modi in hoc nihil habent ſupraformalitates.

Reſp. Tum modos non eſſe niſi veluti formalitates minùs principales alicujus ſubjecti ; ſive quod idem eſt poſteriores modificationes illius, cum formalitatibus conveniat , ut priùs illud modificent ; & ſic tortuoſitas baculi eſt poſterior. Quædam illius formalitas , aut modificatio ſuperaddita corporeitati, quæ intelligitur priùs informare & modificare talem baculum. Tum modos ſive à formalitatibus differant ſive non, cum utriſque id commune ſit ut nihil reale ſuis ſubjectis ſuperaddant , non poſſe inducere novum ullum genus diſtinctionis : niſi quòd ut intra genus diſtinctionis realis aliter diſtinguitur lapis à ſtella , quàm à roſa : ſic intra genus diſtinctionis mentalis aliter diſtinguetur à ſuo ſubjecto formalitas, & aliter modus : & rurſus aliter diſtinguentur inter ſe formalitates, & aliter modi , ſed, ut dixi , intra genus unicum diſtinctionis mentalis.

XVIII. Nec modus ſpecialis, quem opponunt,

Ad id verò quod additur dico diſtinctionem rerum à chimæris eſſe purè mentalem : quia diſtinctio quæ iſti opponitur nimirum purè realis ſupponit exiſtentiam extremorum , quæ diſtinguuntur. Neque obſtat quod in hoc caſu detur unum extremum exiſtens , non inquam obſtat, quia omnis diſtinctio eſt reciproca : ac proinde diſtinctio quæ realiter non eſt reciproca , eſt realiter nulla. Cùm itaque ſit nullate-

Digitized by Google

nùs realis, ſupereſt ut ſit purè mentalis: & ſic paucis eluditur vana illa ſubtilitas Adverſarii: ſicque etiam fit, ut cæteræ ſolutiones, quæ hactenùs adductæ ſunt, planè confirment ſuperiorem noſtram aſſertionem: ſi ad amuſſim & abſque præjudicio attendantur.

quicquā convincit.

XIX. Diſtinctio, quæ eſt inter res diſtinctas. non diſtinguitur ab illis.

Adjiciendum poſteà circa diſtinctionem ipſam in communi quàm turpiter errent non pauci Ariſtotelici, qui aſſerunt illam eſſe diſtinctam à rebus diſtinctis; nam ſi illa eſt quid diſtinctum ab iſtis, dabitur alia diſtinctio, per quam prior illa à rebus diſtinctis diſtinguetur: Et ſic vel poteſt fieri, ut extrema, quæ ex hypotheſi ſunt diſtincta, talia ſunt ex ſe ipſis; vel dabitur progreſſus in infinitum contra principia in aſſignandis diſtinctionibus diſtinctionum. Igitur diſtinctio non eſt quid reale diſtinctum à rebus diſtinctis, ſi ita eſt nec identitas erit. Quid diſtinctum à rebus identificatis; nec ſimilitudo à rebus ſimilibus: nec unio à rebus unitis, &c. proderitque deinceps id obiter annotaſſe.

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS in communi.

CUM ad naturam cujuſvis rei conſequantur proprietates ejuſdem, cumque hucuſque actum ſit de natura entis in communi, deinceps agam de ejuſdem proprietatibus ſeu attributis per quatuor conſequentes articulos; in quorum *primo* tractabitur de veritate & falſitate entium; in *ſecundo* de veritate & falſitate propoſitionum; in *tertio* de bonitate & malitia entium; & in *quarto* denique de unitate & multitudine entium, ac præſertim individuorum.

ARTICULUS I.

DE VERITATE ET falſitate entium.

1\. Agitur de proprietatibus veri entis, quarum

NOTANDUM *Primò* quod cùm proprietates entis inquiruntur, non utique inquiruntur niſi proprietates veri entis: nam ens, quod non eſſet verè ens, eſſet proinde non ens, ſive nihilum, cujus nullæ ſunt reales proprietates. Unde ſtatim apparet primam inter omnes proprietates entis eſſe veritatem ipſam ejuſdem entis: ad quam

ſubſequitur ſecundo loco, bonitas; ac tertio tandem unitas, ut oſtendetur deinceps contra communem ſcholaſticam conſuetudinem enumerandi tres illas entis proprietates ordine hoc inverſo unitatem, veritatem, bonitatem. Quare nunc *primò* inveſtigatur quid ſit veritas entis; ea inquam veritas, quæ tranſcendentalis eſt, & convenit omni enti non tantum actuali, ſed etiam poſſibili: at cum tali diſcrimine, quod quiſque ſatis intelligit conforme differentiis, quæ inter ſtatum actualem & poſſibilem reperiuntur. Cùm autem dico veritatem iſtam tranſcendentalem, de qua agendum eſt, convenire omni enti, ſic intellige quod nullum ſit ens aſſignabile, cui non conveniat ſua veritas; idque cautè annota, ne quod de veritate cæteriſque proprietatibus in poſterum docebitur, putes convenire entibus confuſè & indeterminatè acceptis atque in tali ſtatu abſtracto, qui eis adimat determinationem ſui ſtatus particularis aut particulariter aſſignabilis: nam ens, quod neque eſſet hoc neque illud: ſed vagè tantùm eſſet hoc aut illud, non haberet veritatem determinatam, de qua utique quæſtio eſt. Uno verbo entia hic accipiuntur prout in ordine ſeu poſſibili ſeu actuali, tuentur ac ſervant ſingula ſuum ſingularem ac determinatum eſſendi ſtatum.

prima eſt Veritas.

Notandum *Secundò*, omnem omninò entis rationem intelligibilem eſſe in Deo, quandoquidem in ratione entis eſt ſimpliciter infinitus. Unde meritò concludunt Theologi rerum omnium ſive actualium, ſive poſſibilium eſſentias nihil aliud eſſe, quàm vel actuales participationes, vel participabilitates eſſentiæ Divinæ. Quod ut clarè intelligas, cogita omnes guttas aqueas, quæ ſunt in univerſis fontibus, Fluviis, Stagnis, Puteis, &c. contentas quondam fuiſſe ab initio in illis aquarum congregationibus quas appellavit Deus *Maria*, ita ut fontes ſinguli ac Fluvii, &c. nunc nihil aliud ſint, quàm prædicti, maris certæ quædam portiones ſive ſcaturientes, ſive fluentes, &c. imò cùm fortè ejuſdem maris portiones quædam ad hujuſmodi ſcaturiginem aut fluxum, &c. nondum pervenerint, ſed deinceps perventuræ ſint, aut certè pervenire poſſint; hinc fontis, fluviique futuri & poſſibiles nihil aliud ſunt, quàm illæ ipſæ maris portiones, quæ pervenient, aut pervenire tandem poterunt ad ſcaturiginem, ut ſit in fontibus; & ad deſcenſionem, quæ ſit in fluviis, &c. Igitur nunc conſimiliter cogita eſſentiam Divinam eſſe, modo ut ineffabili ſic inexhauſto, quoddam veluti mare totius *eſſe* tum poſſibilis, tum actualis; & ſic quidem ut quælibet creatura non ſit niſi quædam portio entitatis illius immenſæ, quam eſſentia Divina comprehendit. Unde tandem intelligis eſſentiam Divinam eſſe legiti-

II. Exponitur qualia entia omnia præcontineantur in Deo.

mum & primarium exemplar rerum omnium, quarum proinde veritas non immeritò deinceps explicabitur per conformitatem cum prædicto exemplari, cujus tanta præciſæ, ac talis perfectio participata conſtituit tantam præciſæ, ac talem rei cujuſlibet perfectionem. His prænotatis non difficilè ſtabilietur quid ſit veritas entium tranſcendentalis, de qua eſt ſermo.

ASSERTIO UNICA.

Veritas tranſcendentalis eſt talis perfectio tranſcendentalis, per quam quodlibet ens eſt id totum, quod eſſe debet ad hoc ut ſit conforme ſuo exemplari. Sive quod idem eſt, veritas eſt conformitas entitatis, quæ in quolibet ente eſt, cum entitate ſui exemplaris entitativi: quod eſt eſſentia Divina, quatenùs eſt participabilis, vel participata à ſingulis creaturis. Unde intelligis veritatem entium eſſe perfectionem intrinſecam & abſolutam.

III. **Veritas entis conſiſtit in cumulo perfectionum ſibi debitarum.**

PROBATUR *Primò* hoc ipſo quod aliquod ens habet id totum, quod habere debet ad hoc ut ſit in ſe ipſo id, quod revera eſſe debet; hoc ipſo eſt verum: atqui hoc ipſo quod eſt id totum quod eſſe debet ad hoc ſit conforme ſuo exemplari, habet id totum quod habere debet ad hoc ut ut ſit in ſe ipſo id, quod revera eſſe debet: ergo &c. Major conſtat; nam ſi de auro v. g. agitur, nunquid illud verum eſt, hoc ipſo quod nihil ei deeſt ad hoc ut ſit aurum? id eſt hoc ipſo quod habet pondus, colorem, ſoliditatem, lævorem cæteraſque ejus generis proprietates tum extrinſecas, tum intrinſecas, quæ ad naturam auri deſiderantur. Minor autem non tam probatione, quàm expoſitione iſta indiget; retinendo enim idem exemplum auri ſi ſupponamus præexiſtere in eſſentia Divina illam menſuram præciſam entitatis, quæ correſpondet entitati auri, hoc ipſo quod Deus communicabit alicui enti menſuram illam præciſam hujus entitatis, hoc ipſo illud ens erit aurum, quatenus hoc ipſo obtinebit entitatem, cujus menſura conformis eſt entitati illi præciſæ, quæ in Deo eſt perfectio auri. Igitur per iſtam conformitatem.

Digitized by Google

entitatis, quæ in auro eſt, cum entitate, quæ in Deo adæquat præciſe perfectionem auri, optimè explicatur veritas auri, & ſic de aliis, ſive actu ſive potentiâ tantùm exiſtentibus, ut enim actualis conformitas iſta conſtituit veritatem entium exiſtentium, ſic illa eadem conformitas poſſibilis conſtituit veritatem entium poſſibilium.

Probatur *Secundò*. Ens omne, quod habet perfectiones requiſitas ad aliquod genus entis, verum eſt in eo genere entis: atqui propter conformitatem ſupra dictam omne ens habet perfectiones requiſitas ad aliquod genus entis: ergo propter eandem conformitatem omne ens eſt verum in ſuo genere entis: & hic veritas tranſcendentalis optimè per talem conformitatem exponitur. Major conſtat, quia ſi quid obſtaret quo minùs aliquod ens ſit verum in determinato genere entis id utique tantùm obſtaret, nempe quòd non haberet omnes perfectiones requiſitas ad tale genus entis: & ſic aurum non eſſet verum in genere auri, ſi de eſſet ei vel una ex his perfectionibus, quæ ad genus auri deſiderantur. Minor verò ſic probatur, quia cùm, ut ſupra diximus, omnes omnium entium rationes ſive perfectiones in eſſentia Divina contineantur ac proinde cùm perfectio auri v. g. in Deo ſit; non poteſt etiam fieri, quin pro vero auro reputandum ſit tale ens, cui Deus ſuam illam, quam vocare liceat auri perfectionem, communicaverit: ſive quod idem eſt, cui Deus conceſſerit entitatem, quæ eſt totius Divinæ eſſentialis entitatis portio illa, quæ in ipſo Deo perfectionem auri præcisè adæquat. Nam ſic comperietur perfecta conformitas entis, quod aurum eſt, cum ſuo primario exemplari entitativo. Ergo &c. **IV. Hæc veritas eſt conformitas cum Deo in ratione entis participabilis.**

Ad hæc non erit ſuperfluum addere rationem, cur homo pictus v. g. non ſit verus homo, hanc unam eſſe; nempe quia effigies habet quidem externa corporis humani delineamenta, at ſenſa interna & organa ejuſdem non habet; ac multò minùs vitam & operationes: ſed ſi quidquid in exemplari eſt, id totum eſſet in effigie exemplata, nunquid nunc homo pictus, eſſet verus homo? Nunc itaque cogita creaturas omnes eſſe veluti totidem effigies, quæ non totam quidem entitatem eſſentiæ Divinæ repræſentant; ſed certas illius portiones: & eas quidem repræſentat non tantùm ſecundùm extrinſecam aliquam delineationem, ſed ſecundùm conſtitutionem ac contemperationem intrinſecam. Quare propter hanc perfectam conformitatem neceſſe eſt, ut quælibet creatura ſit vera in ſuo genere: cùmque eapropter creaturæ cujuſlibet veritas ſit ipſa ejus entitas, quam diximus eſſe conformem ſimili entitati quæ in Deo eſt, hinc intelligis, quod ſimul ſupra aſſervi, veritatem cujuſlibet entis eſſe perfectionem in- **V. Explicatur qualiter prædicta veritas ſit perfectio intrinſeca.**

rinſecam & abſolutam. Quæ omnia adhuc dilucidiùs intelligentur ex ſolutione objectionum ſequentium.

VI. Conformitas, de qua agitur, non poteſt, inquiunt, eſſe perfecta.

Objicies *Primò*. Si veritas entium conſiſtit in conformitate ipſorum cum primario quodam exemplari entitativo, Divinæ eſſentiæ quatenus participatæ aut participabilis; non conſiſtit utique niſi in conformitate perfecta: ſed nulla eſſe poteſt perfecta hujuſmodi conformitas: ergo &c. Sequela majoris patet; nam ideo ſupra inſinuavimus hominem pictum non eſſe verum hominem, quia nimirum effigies non habet cum homine, cujus eſt effigies, conformitatem perfectam; ſed imperfectam & nude conſiſtentem in ſola aſſimilatione delineaturæ extrinſecæ. Minor autem ſic facilè probatur: quia quidquid in Deo eſt, increatum, infinitum, æternum eſt: & è contra quidquid in creatura eſt, id creatum finitum, temporale eſt. At evidens eſt nullam poſſe eſſe perfectam, ſive veram conformitatem entis creati cum increato, finiti cum infinito, temporalis cum æterno. Ergo &c.

VII. Et aliunde eſſet extrinſeca, ac relativa, qualis non eſt veritas.

Adde quod veritas entium debet eſſe quid intrinſecum & abſolutum inexiſtens: ergo non conſiſtit in ſupra dicta conformitate. Antecedens conſtat, quia omnis proprietas quandoquidem intimè conjungitur cum eſſentia cujuſlibet rei, tam intrinſeca illi eſt, quàm eſſentia ipſa; nec minùs quàm illa independet ab omni relatione, aut quacunque conſideratione intellectus. Conſequentia autem ſic probatur, quia talis conformitas eſt quid tum extrinſecum, tum relativum, ut probari poteſt ex conformitate, quæ generaliter reperitur inter exemplaria omnia & exemplata; & ſingulariter inter tabellam hominis appicti, & ipſum hominem qui in ea appictus eſt: nam hæc conformitas nihil eſt ſi abſtuleris ordinem illum, quo pictura ad hominem appictum refertur. Ergo &c.

VIII. Explicatur perfectio prædictæ conformitatis.

Reſp. Et conceſſâ ſequelâ majoris nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda adverte doctrinam, quâ ſtatutum fuit omnes omnium entium ſive creatorum, ſive creabilium perfectiones entitativas contineri in eſſentia Divina tanquam in origine inexhauſta omnis entitatis, intelligendam eſſe de continentia virtuali, quæ à Deo imperfectionem omnem creatæ limitationis excludat, uti corporeæ, temporalis, localis, &c. Et adverte rurſus continentiam illam etſi virtualem conſiderari tamen poſſe prout præciſe æquivalet perfectionibus ſingulis rerum ſingularum, quarum entitates dictum eſt in eſſentia Divina contineri: & inde eſt ut ſecluſâ omni imperfectione limitationis reperiatur in Deo perfectio æquivalens, ac proinde norma & exemplar ejus perfectionis entitativæ, quæ eſt in quacunque creatura aſſignabili. Neque obſtat quod perfectio iſta creaturæ aſſignabilis ſit finita,

quia

Digitized by Google

quia nihil obſtat quominùs intelligamus perfectionem Dei infinitam, veluti coaleſcentem ex perfectionibus finitis infinities repetitis; & ad eundem modum, quo intelligimus in multitudine infinita reperiri multitudines finitas, uti denariam, centenariam, &c. & in mole infinita reperiri quantitates finitas uti palmarem, pedalem, &c. Sic itaque, aut ſi volueris modo adhuc multùm ſublimiori, entitates finitæ entium in entitate infinita Divinæ eſſentiæ concluduntur, ut in Theologia fuſiùs exponi ſolet.

Ad id verò quod additur reſpondeo conformitatem, in qua veritatem entium aſſeruimus conſiſtere, eſſe conformitatem fundamentalem, non autem formalem, quæ utique, ut fateor, conſiſtit in actuali conformatione ſeu comparatione intellectiva entitatis, quæ eſt in ſingulis entibus cum entitate æquivalente, quæ in Deo eſt; & participabilis quidem eſt, vel actu participatur ab illis. Uno verbo conformitas, quæ eſt veritas entium, eſt ipſa illorum entitas derivata à Deo; ſed quia proinde conformis eſt entitati cuidam contentæ in eſſentia Divina, quatenùs eſt fons & origo omnis entitatis, eapropter veritas meritò per hujuſmodi conformitatem explicatur. At hæc conformitas hoc modo fundamentali accepta, eſt quid intrinſecum & abſolutum. Unde ſatis patet ſolutio inſtantiæ. IX. Et oſtenditur qualiter prædicta conformitas ſit intrinſeca.

Objicies **Secundò**. Conformitas, in qua dictum eſt veritatem entium conſiſtere, ſupponit participabilitatem eſſentiæ Divinæ, ſive quod idem eſt, derivabilitatem portionis alicujus entitativæ, quæ præextiterit in eſſentia Divina, tanquam in theſauro omnis entitatis: at hujuſmodi participabilitas eſt omninò chimærica: ergo &c. Major patet ex prænotatis; minor verò probatur; tum quia non poteſt entitas eſſentiæ Divinæ minui, ut reverà per ſupradictam participationem, ſeu derivationem minueretur: ſicuti minuitur mare, quoties per ſubterraneas decurſiones aut exſuctiones pervenit ad ſcaturiginem fontis, pergitque creſcere in fluvium aut in ſtagnum, &c. Tum etiam quia quidquid entitatis eſt in eſſentia Divina, id eſſentialiter conjunctum eſt cum omnibus ac ſingulis attributis Divinis; quæ cùm incommunicabilia ſint entibus creatis, ut patet de Aſeitate, de Independentia, de Omnipotentia, &c. Hinc liquidò apparet quàm chimæricum ſit, quidquid ad explicandam entium veritatem fingitur circa ſupradictam participabilitatem eſſentiæ Divinæ. X. Opponũt eſſentiam Divinam ſic fore imminuẽdam.

Adde quòd etſi ſupponatur eſſentiam Divinam non eſſe participabilem, atque ita non eſſe exemplar entitatis, quæ eſt in rebus cæteris: Imò etſi ſupponeretur Deum prorſus nullum exiſtere, nihilominùs ſingulis rebus ſua veritas conveniret, ut auro veritas auri; lapidi ve- XI. Et addũt veritatẽ non pendere ab,

existentia Divina. ritas lapidis, &c. igitur veritas rerum ſingularum nullatenus pendet ex ulla conformitate. Idque præſertim, quia cum ipſa eſſentia Divina nullum habeat ſui exemplar, cui conformis ſit, hinc ſequeretur veritatem entitatis eſſentialis Divinæ nullam eſſe; quod perabſurdum eſt, ergo &c.

XII. Sed ruit difficultas explicata participatione Divinæ eſſentiæ.

Reſp. Et conceſsâ majori nego minorem, cujus probatio duplex illa, quæ adducitur, vim nullam habet, ſi participabilitas, de qua ſupra dictum eſt, accipiatur in ſenſu legitimo, quem explico ſic. Quando itaque dicimus eſſentiam Divinam eſſe participabilem aut participatam, non ſic intelligimus, quaſi portio aliqua eſſentiæ Divinæ transferatur vel transferri in creaturam poſſit realiter; ſed tantùm aſſimilativè: quatenùs nimirùm producit Deus & producere poteſt entitatem aſſimilatam alicui portioni ejus totius immenſæ & inexhauſtæ entitatis, quæ in ipſo eſt. Unde ſequitur nullum imminere periculum imminutionis entitativæ in Deo: neque exempla quibus ad iſtam eſſentiæ Divinæ participabilitatem explicandam uti licet, maris in fontes & fluvios derivantis rigoroſè accipienda ſunt; ſed cum tali interpretatione accommoda, quæ ſuadeat derivationem utriuſque eſſe quidem utcunque ſimilem, ſed ſalva integritate omni eſſentiæ Divinæ, quæ non modò non poteſt exhauriri: ſed nec ullatenùs imminui. Deinde cùm non ſic communicetur eſſentiæ Divinæ entitas, ut Adverſarius fingit affingitque noſtræ aſſertioni, nec etiam ullum imminebit periculum talis attributorum Divinorum communicationis, quæ ſupremam Dei majeſtatem dedeceat; neque enim aliter communicabuntur; quàm aſſimilativè, imò nec omnia, ut eſt Aſſeitas aut Independentia, &c. ſed quæ & quo modo communicabilia ſunt, uti veritas, bonitas, unitas, juſtitia, miſericordia, ſapientia, &c.

XIII. Et oſtenditur inutilitas caſus impoſſibilis propoſiti

Ad id vero quod additur reſpondeo tum ſuppoſitiones de impoſſibili nihil probare, quia ex impoſſibili poſito ſequitur impoſſibile: tum etſi in hypotheſi Dei non exiſtentis foret in rebus cæteris veritas quædam: at non fore talem, quæ nunc ſtatuitur, ſcilicet repræſentativam ejus, quæ eſt in Deo tamquam in primario & legitimo exemplari. Quod autem ſpectat ad ipſius eſſentiæ Divinæ veritatem, hæc cùm ſuprema ſit, non mirum eſt, quod nullo egeat prævio exemplari: itaque eſſentia Divina ipſa ſibi ſuum exemplar eſt: ſed eſſentia omnis creata Divinam habet pro exemplari. Unde ſequitur non poſſe convenientiùs veritatem, de qua agitur, entium creatorum explicari quàm per conformitatem entitatis, quæ in ipſis eſt, cum entitate, quæ in Deo eſt prout correſpondente perfectioni connaturali ipſorum.

XIV. Hinc in...

Ex dictis intelliges quod cùm veritas realis conſiſtat in conformitate entitatis cujuſlibet rei cum entitate Divina participata, aut partici-

Digitized by Google

pabili in ratione exemplaris, ſic veritas formalis ſeu veritas noſtræ cognitionis conſiſtit in conformitate ejuſdem cum re cognita; acciditque hæc conformitas quoties cognoſcitur in re id totum & eo modo, quod & quo modo in ipſa occurrit cognoſcendum. Igitur ſicut omne ens reale eſt verum per hoc quòd obtinet attributa omnia, quæ in ſuo exemplari entitativo comperiuntur; ita omnis cognitio eſt vera per hoc quòd attingit omnia attributa, quæ in ente cognoſcibili præexiſtunt; aut realiter, ſi agitur de ente actuali, aut ſaltem objective: ſi agitur de poſſibili. Unde habes cognoſcibilitatem entis conſequi ad veritatem ejuſdem, ſicuti & cognitio ſupponit cognoſcibilitatem: quare omninò perabſurdum eſſet, ſi cogitares objecta eſſe vera eo quòd intelligibilia ſint, cùm è contra quidquid intelligibilitatis obtinent, id totum in veritate fundetur; ſicque veritas rerum reputanda eſt pro exemplari cognitionum, non aliter quàm Divinæ eſſentiæ veritas ſit exemplar ejus veritatis, quæ in cæteris omnibus ac ſingulis entibus reperitur. Et hæc non parùm proderunt ad ea intelligenda, quæ de veritate & falſitate propoſitionum viſa fuerunt in articulo conſequente pertractanda. **ſertur quid ſit veritas cognitionum noſtrarum.**

XV. Qualiter omne ens reale ſit verum, & ens rationis falſum.

Rursùs ex iis quæ hactenus dicta ſunt ad explicandam entium veritatem tranſcendentalem, tum intelligis nullum poſſe eſſe ens reale, quod non ſit verum: nam cùm omnis realis entitas in eſſentia Divina eo, quo dictum eſt, modo præcontineatur, non poteſt proinde fieri, ut careat ſuo exemplari, ſicque omnium entium realium ſeu poſſibilis ſeu actualis entitas eſt neceſſariò vera. Tum intelligis quoque falſitatem entium rationis in hoc conſiſtere quòd intellectus aut rei poſſibili impoſſibilitatem, aut impoſſibili poſſibilitatem: & rurſus aut exiſtenti non-exiſtentiam, aut non exiſtenti exiſtentiam affingat: ac ſi diceretur, affingat aut non enti entitatem, aut enti non entitatem, quod in idem recidit. Unde evenit ut in eſſentia Divina nullum ſit exemplar talium ſive entium ſive non entium, quæ fingit intellectus, & exinde habentur prò chimæricis. Uti ſi quis ſibi fingeret hominem lapideum, aut lapidem incorporeum, repræſentaret ſibi hoc ipſo objecta, quorum ut nulla eſt entitas in ſe ipſis, ita nec ulla eſt in Deo entitas, quæ tali entitati correſpondeat, ſcilicet propter contradictionem talium attributorum, quæ cohærere non poſſunt. Hinc iam conſtat talia objecta non poſſe attingi, niſi per cognitiones falſas & erroneas, quàndoquidem per illas aut reputatur non eſſe id quod eſt: aut reputatur eſſe id quod non eſt. Verùm de his entibus rationis fusè actum eſt in Logica.

Google

XVI. **Qualiter eſſentiæ rerum ſint indiviſibiles.** Denique ex iiſdem hactenùs probatis non difficilè etiam intelliges qualiter accipiendum ſit id, quod vulgò dicitur eſſentias rerum eſſe indiviſibiles, & ad inſtar numerorum nequaquam ſuſcipere poſſe magis & minùs. Nam cum eſſentia cujuſlibet rei ſit complexio quædam perfectionum, quarum norma & exemplar comperitur in Divina eſſentia: ſi à prædicta complexione vel unam perfectionem abſtuleris, aut addideris eſſentia non ampliùs erit eàdem, ſicuti nec eadem illius conformitas cum ſuo exemplari. Unde apparet de eſſentiis perinde ac de numeris meritò aſſeri quòd in indiviſibili conſiſtant: ſic enim ſi à numero ternario unitatẽ auferres, non jam ultrà ternarius, ſed binarius eſſet, ſicuti ſi unitatem è contrà adderes, evaderet quaternarius. Tum cùm eſſentiæ omnis veritas conſiſtat in ſupradicta conformitate, omnis autem conformitas, æqualitas quædam ſit, hinc ſequitur eſſentias perinde ac æqualitates rerum conſiſtere in indiviſibili: at æqualitates, ut patet, in indiviſibili conſiſtunt: Si enim ſuppoſueris duos baculos eſſe æquales, tantùm abeſt ut per cujuſcunque extenſionis additionem, vel detractionem magis aut minus æquales fiant, ut potiùs evadant illicò inæquales.

ARTICULUS II.

DE VERITATE ET FALSITATE propoſitionum.

I. **Quid ſit veritas cujuſvis propoſitionis.** NOTANDUM *Primò* veritatem alicujus propoſitionis conſiſtere in adæquata conformitate ipſius cum re propoſita. Ad hoc autem ut noveris, in quo conſiſtat hæc conformitas adæquata, ſpectandus eſt plenus ac perfectus ſenſus propoſitionis, ſeu potiùs proponentis, qui in ſenſu determinato propoſitionem ſuam conficit. Sic quippe in omni propoſitione in ſenſu pleno ac perfecto ſpectata non tantùm ſimplicem rei enuntiationem affirmativam aut negativam reperies; ſed inſuper tum temporis, tum modi alicujus ad illam affirmationem aut negationem attinentis: uti ſi quis dixerit *Petrus ſtudet*, evidens

eſt affirmari ſtudium Petri, at non niſi pro tempore præſente; neque niſi pro tali modo utique libero, quo convenit Petrum ſtudere; aliter enim ſtudet, ſcilicet libere, & aliter eſt corporeus v. g. aut rationalis, ſcilicet neceſſariò. Verùm pro vitandis pleriſque ambagibus habeamus tantummodò rationem temporis adſignificati per verbum, quod in propoſitione eſt; & ſtatuamus juxta vulgare axioma Philoſophicum ex eo quòd res eſt aut non eſt, mimirum pro tempore adſignificato, propoſitionem eſſe veram aut falſam. At quia res eadem non poteſt eſſe ſimul & non eſſe pro tempore eodem adſignificato, nec poteſt non eſſe quandiu eſt, ut in principiis metaphyſicis continetur: hinc ſequitur duas propoſitiones de eadem re contradictorias taliter ſe habere, ut ex illis una ſit ſemper ac neceſſariò vera, & altera falſa.

Notandum *Secundò* neceſſitatem illam, quâ ex duabus propoſitionibus contradictoriis uni veritatem & falſitatem alteri convenire dictum eſt, non ſuboriri aliunde, quàm ex ipſa vi contradictionis: cùm autem contradictio unam eandemque vim habeat in quacunque propoſitionum materia, ſive hæc contingens, aut neceſſaria fuerit; ſive de cætero aut impoſſibilis, aut poſſibilis: & rurſus cùm eandem quoque vim habeat pro quocunque tempore per propoſitiones adſignificato: non video cur potior difficultas ſtatuatur circa propoſitiones contradictorias in materia contingenti, & de futuro, ſeu, ut aiunt, de futuro contingenti, quàm circa propoſitiones pariter contradictorias alterius materiæ & alterius temporis. Sed etiam valde inutiliter inducitur in ſtatum quæſtionis deinceps agitandæ mentionem decreti Divini, quod utique cùm nec augeat, nec minuat vim contradictionis, quæ inter duas propoſitiones ſupponitur; nihil eapropter confert ad determinatam veritatem aut falſitatem disjunctivam illarum. **II. Quæ & quanta ſit vis contradictionis.**

Nihilominùs cum quæſtiones proponi eo modo debeant, quo ſolent, ideo præſentem ſic propono. Utrum ex duabus propoſitionibus de futuro contingenti una ſit determinate vera, & altera determinatè falſa, idque independenter ab omni decreto Divino: quamquam cavebitur ne eatur ultra limites Metaphyſicos inveſtigando curioſiùs, ac prolixius (quod inſtituti Theologici eſt) qualiter à decretis Divinis futuritio rerum pendeat. His igitur prænotatis ſupereſt tantùm ut non ſubticeatur potuiſſe & ſolere tractari à quibuſdam hanc difficultatem in Logica, ubi de propoſitione agitur, viſam tamen fuiſſe hîc commodiùs decidendam propter prædicta circa veritatem entium tranſcendentalem: de cæterò autem parùm in- **III. Proponitur clarè ſtatus quæſtionis.**

tereſt quod hic aut alibi tractetur, modò id accurate fiat; ut ſpero me facturum in aſſertione ſequente.

ASSERTIO UNICA.

Ex duabus propoſitionibus contradictoriis de futuro contingenti, uti Petrus amabit: Petrus non amabit: una eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa; idque independenter ab omni decreto ſive Petri, ſive etiam Dei aut poſito, aut ponendo.

IV. Propoſitio quæ aliquando erit vera, jam vera eſt.

PROBATUR *Primò.* Determinatè verum eſt nunc, & independenter ab omni decreto non poſſe utramque præmiſſam propoſitionem eſſe ſimul ſeu veram, ſeu falſam: atqui hinc ſequitur unam eſſe nunc determinatè veram, & alteram determinatè falſam: ergo &c. Major eſt certa, quia unicuique manifeſtum eſt & abſque ulla ambiguitate notum non poſſe fieri, ut unquam conjungatur amor Petri cum non amore ejuſdem ob contradictionem, quæ inter utrumque eſt; Et aliunde etiam ſatis conſtat ad veritatem hujus impoſſibilitatis nihil conferre ullum decretum, ſicuti nec ad veritatem hujus principii *impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe*; aut alterius, *Quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe*; &c. Probatur ſequela minoris. Si determinatè verum eſt non poſſe utramque illam propoſitionem eſſe ſimul veram aut falſam, determinate quoque verum eſt unam tantummodò poſſe eſſe veram, & alteram tantummodò falſam: atqui id ſufficit ad hoc ut una ſit nunc determinate vera, & altera falſa: ergo &c. Major rurſus conſtat, ex ipſis terminis: minor autem ſic probatur; quia cùm determinate jam verum ſit unam tantummodò poſſe eſſe veram, pariter verum eſt unam tantummodò fore veram; & rurſus ac pariter verum eſt illam nunc eſſe veram, quæ aliquando erit vera; ſi enim ſupponatur verum fore ut aliquando Petrus amet, hæc propoſitio *Petrus amabit* vera eſt; igitur & falſa eſt contradictoria illius, ſcilicet *Petrus non amabit*: ergo &c.

V. Nec impediri hoc poteſt à

Adde quòd nullo decreto impediri poteſt quominùs aliquando ſit, aut non ſit res per illas propoſitiones contradictorias enuntiata: ergo determinata illarum veritas, aut falſitas non pendet ex vi decreti ſed ex vi contradictionis. Antecedens manifeſtum eſt; quatenus cùm nullo de-

creto poſſit fieri, ut res illa aliquando ſit ſimul & non-ſit; eapropter ſive decretum ſupponas, ſive non ſupponas, alterutrum neceſſariò continget, nempe rem eſſe, aut non eſſe; ut ſi ad exiſtentiam rei opus foret decreto, tolle decretum & res non erit; aut ſi è contra opus eſſet decreto ad illius rei non exiſtentiam, tolle decretum, & res erit. Nec minùs manifeſta eſt conſequentia, quatenus, ut ſupra dictum eſt, ex eo quòd res eſt aut non eſt; erit aut non erit; fuit aut non fuit, &c. omnis propoſitio adſignificans diverſitates illas temporum eſt vera aut falſa. Ergo ſi nunc determinate verum eſt amorem v. g. Petri fore aut non fore, determinate quoque verum eſt hanc propoſitionem *Petrus amabit* eſſe veram aut falſam; quatenus aliquando verum aut falſum erit Petrum amare: igitur ſi hæc ſupponitur vera *Petrus amabit*, altera conſequenter eſt falſa, *Petrus non amabit*. Ergo &c. quovis decreto

VI. Ubi non eſt ambiguitas, ibi eſt veritas aut falſitas determinata.

Probatur *Secundò*. Illa propoſitio eſt determinate vera aut falſa, quæ determinatè ac diſtinctè enuntiat rem qualiter erit aut non erit, eſt aut non eſt; &c. ſed ex duabus propoſitionibus de futuro contingenti contradictoriis una determinate ac diſtincte enuntiat rem qualiter erit, & altera rem eandem qualiter non erit: ergo &c. Major conſtat; nam quæ indeterminatio poteſt eſſe in veritate alicujus propoſitionis, in qua ſine ulla ambiguitate affirmatur rem fore ſicut de facto erit, aut non fore ſicut de facto non erit; & ſimiliter rem eſſe ut de facto eſt, aut non eſſe ut de facto non eſt; &c. Ibi enim reperitur perfecta conformitas; & quali major nulla eſſe poteſt inter propoſitionem & rem propoſitam. Minor etiam conſtat; quia ex his propoſitionibus neutra affirmat quicquam, aut negat ſub ambiguitate futuritionis, aut non futuritionis, uti ſi diceretur *Petrus fortè amabit*, aut *Petrus fortè non amabit*; ſed una quidem omninò aſſertivè id enuntiat, altera autem conſtanter negat: quare ſi una ex illis eſt vera, altera autem falſa; uti neceſſe eſt, cùm utraque eſſe ſimul vera aut falſa non poſſit; conſequens eſt veritatem unius perinde ac falſitatem alterius eſſe omninò determinatam; ſive diſtinctiſſimè, aut quod idem eſt, determinatiſſimè enuntiatam.

VII. Affertur exemplū propoſitionis disjunctivæ.

Adde quòd hæc propoſitio disjunctiva *Petrus amabit*, vel *Petrus non amabit* eſt determinate vera: Ergo ex his duabus propoſitionibus ſeparatis *Petrus amabit*: *Petrus non amabit*, una eſt determinatè vera; & alia proinde eſt determinate falſa. Antecedens negari non poteſt, aut ſi fortè negabitur à protervo, probari evidenter in hunc modum poteſt, quatenus hæc propoſitio conjunctiva *Petrus amabit & Petrus non amabit*, eſt determinate falſa; neque

Digitized by Google

enim eſt tantùm dubiè falſa, ſed apertiſſimè: & id quidem propter intrinſecam impoſſibilitatem hujuſce conjunctionis. Igitur ſi hæc conjunctiva eſt determinate falſa, quis neget disjunctivam alteram eſſe determinate veram? Conſequentia autem ſic probatur; quatenus propoſitio illa disjunctiva non eſt determinate vera, niſi quatenus ac determinate verum eſt, è duobus enuntiatis unum quidem fore, alterum autem non fore. Ergo propoſitio ſimplex enuntians fore id, quod revera erit, eſt determinate vera: ac proinde etiam falſa erit altera, quæ enuntiat non fore id, quod revera non erit: at iſtæ duæ propoſitiones ſimplices ***Petrus amabit***; ***Petrus non amabit*** continentur in illa disjunctiva ***Petrus amabit, vel non amabit***: & aliunde ſunt de futuro contingenti: ergo &c.

VIII. Argumenta non ſatis gravia melius eſt ſubticeri. Multa alia ſunt argumenta, quibus impeti ſolet oppoſita, quæ maxime eſt Thomiſtarum, ſententia: at ſeu quia Theologica ſunt, ſeu rurſus quia non difficilè ſolvuntur, omitti debuiſſe exiſtimo; id enim quis neſciat in rebus omnibus probandis ac maxime in Philoſophicis cavendum eſſe ut ſubticeantur potiùs, quàm congerantur levia, ſi quæ offeruntur, ratiocinia: hæc enim tantùm abeſt ut ad convictionem proſint, ut potiùs, ab illa mentem removeant. De cætero ad ea plurimùm confirmanda, quæ in gratiam noſtræ aſſertionis adduximus, valde proderunt objectionum ſequentium ſolutiones, in quibus ordinandis id maximè curabitur, ut oſtendamus quàm æquivoce præſens difficultas tractetur in Scholis: propterea que pateat controverſiis nunquam dirimendis, donec de alio quæſtionis ſtatu cautiùs tranquilliùſque propoſito conveniatur.

IX. Opponunt voluntatem nondum eſſe determinatam. Objicies ***Primò***. Illa propoſitio nondum eſt determinate vera, cujus veritas adhuc pendet à determinatione libera voluntatis nondum poſita: atqui ex duabus propoſitionibus contradictoriis de futuro contingenti alterutrius veritas pendet à determinatione libera voluntatis nondum poſita: ergo neutra eſt determinate vera. Major videtur clara ex ipſis terminis, quia effectus non poteſt præcedere ſuam cauſam: ſi igitur veritas determinata alicujus propoſitionis ſortitur pro ſua cauſa determinationem liberam voluntatis, recte ſtatuitur nullam in propoſitione illa eſſe determinationem veritatis, niſi præceſſerit libera voluntatis determinatio. Minor autem probatur aſſumendo ex præmiſſis propoſitionibus contradictoriis alterutram, ac videlicet iſtam ***Petrus amabit***: ſic itaque argumentor. Veritas hujus propoſitionis ***Petrus amabit***, nulla eſt; ſi in poſterum non eſt vera hæc altera de præſenti ***Petrus amat***: ſed veritas iſtius pendet à determinatione libera voluntatis nondum poſita: ergo &c. Major rurſus patet

tet ex terminis, quia niſi in poſterum Petrus amet, falsò prædicitur Petrum eſſe amaturum. Neque minor, ut puto, inevidens eſt: cùm enim amor Petri ſit actio ejuſdem libera, pendet proinde à prævia determinatione libera: hæc autem determinatio nondum eſt poſita, Petrus enim ille, de quo fit iſta propoſitio, ***Petrus amabit***, ſupponi ad arbitrium poteſt nondum natus: ergo &c.

X. **Et addit nihil eſſe futurum, niſi quod Deus decreverit.**

Adde quòd nihil eſt deinceps contingenter futurum, quòd Deus non prædeterminaverit ita futurum: ergo etſi veritas illius propoſitionis ***Petrus amabit***, non penderet à determinatione Petri ponenda: at ſaltem penderet à determinatione Divinæ voluntatis jam poſita: quo pacto ſi propoſitio illa obtinet veritatem aliquam determinatam, illam utique non obtinet, niſi dependenter à decreto Divino. Antecedens certum eſt; nam aliàs invito, aut etiam neſciente, Deo multa contingerent: conſequentia autem ſic probatur. Aut enim prævia illa Divinæ voluntatis determinatio influit aliquid in veritatem determinatam propoſitionis, de qua agitur, aut nihil influit: ſi ***primum***: ergo veritas illius determinata pendet à decreto Divino; ſi ***ſecundum***: ergo Petrus amaret, etſi Deus illum amaturum non decreviſſet: quod niſi impiè poteſt aſſeri. Igitur. &c.

XI. **Diſtinguitur inter veritatem concretam & abſtractam.**

Reſp. Et conceſsâ majori diſtinguo minorem. Veritas alterutrius pendet &c. ſcilicet veritas concreta & exercita, concedo minorem; veritas abſtracta & exercenda, nego minorem: quâ diſtinctione ad ejuſdem objectionis varias propoſitiones utendum eſt: & ratio propter quam utaris, hæc eſt. Dupliciter enim poteſt attendi veritas alicujus propoſitionis de futuro contingenti, aut ſecundùm id totum, quod præcedit immediate exercitium ejus actionis, quæ proponitur v. g. ***amor Petri***; & ſic ſequitur nunquam verum fore, ut Petrus amet, quin ſe ipſum ad amorem antè determinaverit: aut ſecundùm id, quod tale exercitium mediate & multò ante præcedit, etiamque ab æterno, ſcilicet neceſſitas aut ponendæ, aut non ponendæ determinationis ad amorem: & ſic ſequitur eſſe etiam ab æterno verum, quòd Petrus vel amabit, ut ſupponitur, vel non amabit. Et hæc veritas vocari poteſt abſtracta & exercenda, ad diſcrimen alterius, quam vocavi concretam & exercitam. Uno verbo Petrus non amabit, niſi poſtquam amare decreverit, & ſic veritas prout exercita amoris pendet à decreto Petri: at cùm Petrus non poſſit aliter ſe gerere, quin vel decernat, vel non decernat amare, hinc anticipate verum eſt, quòd vel amabit, vel non amabit. Si igitur, ut ſupponimus, amabit: tam determinatè vera eſt in abſtracto nunc hæc propoſitio ***Petrus amabit***, quàm vera erit aliquando hæc in concreto, ***Petrus amat***:

Digitized by Google

aut ſi non foret aliquando vera hæc ***Petrus amat***; jam eſſet determinatè falſa iſta ***Petrus amabit***.

XII. Et hæc veritas abſtracta non pendet à decretis Divinis.

Ad inſtantiæ etiam additæ ſolutionem valet hæc eadem diſtinctio. Neque enim negandum eſt veritatem exercitam hujus v. g. propoſitionis ***Petrus amabit*** pendere à prædeterminatione Divina; ſed contendo dari veritatem abſtractam ejuſdem propoſitionis etiam ante omnem prædeterminationem Divinam. Supponamus enim & aſſumamus inſtans intelligibile, in quo Deus nondum quicquam decreverit circa amorem Petri: pro illo itaque inſtanti perinde oſtenditur alteram è duabus propoſitionibus ***Petrus amabit***, ***Petrus non amabit***, eſſe determinate veram: quoniam nullo decreto Divino impediri poteſt, quominùs deinceps Petrus aut amet, aut non amet: ſi igitur ex hypotheſi Petrus eſt amaturus: hæc propoſitio ***Petrus amabit*** tam vera eſt ante decretum Divinum quàm poſt, tam, inquam, vera in abſtracto. At, quod omninò notandum eſt, veritas hæc abſtracta eſt verè illa, de qua præſens controverſia intelligenda eſt, & quam ſupra diximus omninò, & unicè ſuboriri ex vi contradictionis, quæ inter propoſitiones, de quibus ſermo eſt, reperitur.

XIII. Petitur difficultas ex parte cognitionis Divinæ.

Objicies ***Secundò***. Si è duabus propoſitionibus de futuro contingenti alterutra eſſet determinate vera etiam antecedenter ad decretum Divinum, Deus antecedenter ad ſuum decretum vel cognoſceret veritatem illius determinatam, vel non: atqui neutrum rationabiliter reſponderi poteſt: ergo etiam neutra ex illis eſt determinate vera. Sequela majoris negari non poteſt; minor autem ſic probatur. ***Et primò*** quidem Deus antecedenter ad ſuum decretum non novit veritatem determinatam illius propoſitionis v. g. ***Petrus amabit***: quia ſi illam noſſet, non poſſet deinceps impedire amorem Petri: neque enim poteſt fieri etiam Divinitùs, ut non aliquando eveniat quidquid determinate eventurum eſt. ***Secundò*** etiam neque negari poteſt quòd Deus non noverit veritatem determinatam, ſi quæ eſt, prædictæ propoſitionis: quia hæc inſcitia Deum maxime dedeceret. Igitur &c.

XIV. Et augetur ex parte cauſæ indeterminatæ.

Adde quòd è duabus illis propoſitionibus ***Petrus amabit***; ***Petrus non amabit*** neſcit ipſe Petrus utra ſit determinate vera: & ideo neſcit aut quia nondum decrevit, ſive amare, ſive non amare; aut quia etſi alterutrum decreverit, novit tamen eventurum forſitan eſſe, ut mutet decretum: Unde apparet Petrum, donec v. g. amaverit, eſſe cauſam indeterminatam ſui amoris: & proinde argumentari licet in hunc modum. Effectus pendens à cauſa adhuc indeterminata non eſt determinate futurus: Sed amor ille pendet à cauſa adhuc indeterminata: ergo &c. Et idem dic de non amore; ergo &c. Imo

Digitized by Google

quia pro inſtanti intelligibili antecedente decreta omnia Divina Deus nondum eſt determinatus ad concurſum ſive amoris, ſive non amoris Petri; hinc ſimiliter ſequitur tum pro illo ipſo inſtanti Deum adhuc neſcire determinate an Petrus ſit amaturus, necne; tum nullam eſſe determinatam futuritionem ſive amoris, ſive non amoris; cùm uterque pendeat à concurſu, quem Deus nondum decrevit aut præbere, aut denegare. Ergo &c.

XV. **Sed cognitio Divina nihil affert ad rem, de qua agitur.**

Reſp. vel *primò* ad præſentis difficultatis ſolutionem nihil intereſſe quòd ſciat Deus aut neſciat utra è duabus propoſitionibus, de quibus agitur, ſit determinate vera; quia difficultas non eſt de notitia hujus veritatis, ſed de veritate ipſa; cujus determinatio non pendet, ut probatum fuit, ex cauſis ullis extrinſecis; ſed ex ſola vi intrinſeca oppoſitionis, quæ eſt inter propoſitiones contradictorias. Vel *ſecundò* reſpondebitur tum ſi ſuppoſueris Deum cognoſcere futurum amorem Petri, nullum inconveniens eſſe in hoc quòd impedire illum non poſſit; ut enim nulla eſt inconvenientia in hoc quòd impedire non poſſit præteritionem rei, quæ præteriit; ita nec nulla eſt in hoc quòd impedire non poſſit futuritionem rei, quæ futura ſupponitur. Tum ſi è contra negaveris Deum cognoſcere futuritionem prædicti amoris, nulla rurſus eſt inconvenientia in hoc quòd Deus non cognoſcat id, quod non eſt cognoſcibile: at ſecundum Adverſarios determinatio prædictæ futuritionis, cùm antecedenter ad decreta Dei nulla ſit, non eſt proinde cognoſcibilis. De cætero non eſt hujus loci explicare fuſiùs qualiter futuritio rerum, ac maxime contingentium, pendeat, aut non pendeat à decretis Divinis.

XVI. **Et ſatis eſt ſi cauſa indeterminata, ſit determinanda.**

Ad inſtantiæ additæ ſolutionem tantùm opus eſt, ut ex mox dictis advertas Adverſarium hoc tantummodò probare, nimirum quòd neutra è duabus propoſitionibus, de quibus agitur, ſit determinatè vera quoad nos; ſed non quod non ſit determinate vera quoad ſe, ut eſſet probandum. Aliunde autem ad determinatam futuritionem amoris, aut non amoris nihil prodeſt, aut obeſt ſive cognitio, ſive ignorantia talis futuritionis; idque omninò ad eum modum, quo ſive non noveris, ſive noveris Petrum nunc amare, id nihil confert ad determinatam veritatem, aut falſitatem hujus propoſitionis de præſenti *Petrus amat.* Deinde etiam nihil rectè arguitur contra determinatam futuritionem amoris prædicti, aut non amoris ex eo quòd antecedenter ad omnia decreta tum Petrus ſit indeterminatus ad amorem, tum ipſe Deus ad concurſum amoris; nihil, inquam, rectè arguitur; quia id non impedit quominùs determinate alterum è duobus eventurum ſit, aut quòd ponetur utriuſque determinatio ad amorem, aut quòd non ponetur: id autem ſufficit ad veritatem determinatam in abſtracto alterutrius propoſitionis

prædictæ. Et hæc ut puto abunde ſufficiunt ad deciſionem philoſophicam præſentis controverſiæ, theologicam autem immiſcere noluimus.

XVII. Propoſitio ſemel vera, nũquam poteſt eſſe falſa.

Tum denique ex hactenus dictis circa veritatem & falſitatem propoſitionum, quam vocare ſolemus logicam; ſatis quoque intelligitur propoſitionem, quæ ſemel vera eſt, nunquam poſſe evadere falſam; nam propoſitio non cenſetur eadem, nimirum eadem formaliter, niſi adſignificet eandem prorſus temporis circumſtantiam, aut cujuſvis alterius modi, qui ſupponatur ad propoſitionem attinuiſſe. At propoſitio quæ ſemper eaſdem circumſtantias adſignificat, ſemper eſt vera, ſi ſemel fuit vera, aut ſi ſemel falſa fuit, erit etiam ſemper falſa. Et ratio evidens eſt, quia quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe: & aliunde ex eo quòd res eſt, aut non eſt, propoſitio eſt vera aut falſa, ut toties dictum fuit. Igitur, cùm res, quæ per eandem propoſitionem enuntiatur, ſit ſemper eadem, erit proinde ſemper eadem aut veritas, aut falſitas illius ejuſdem propoſitionis. Et ſic propoſitio, quæ ſemel vera fuit de præſenti, erit ſemper vera relativè ad illud tempus, pro quo erat vera: propterea non poteſt nunc argui falſitatis propoſitio quâ Chriſtus fideles ſuos olim ad commiſerationem movebat, ***Deus meus, Deus meus quare dereliquiſti me***? etſi nunc vitâ beatiſſimâ & omnis doloris immuni perfruatur; quia nimirum propoſitio illa ut una & eadem ſit, non eſt nunc referenda ad hoc tempus, quo glorioſus triumphat; ſed ad illud, quo lethales doloriferæ crucis acerbitates patiebatur. Et ſic de aliis.

ARTICULUS III.

DE BONITATE ET MALITIA entium tranſcendentali.

I. Bonitas ad veritatem cõſequitur, & illa bonitas duplex eſt.

NOTANDUM *Primo* bonitatem aliquam eſſe neceſſariò omnibus entibus tribuendam; idque propter veritatem, quæ in illis eſt: nam ſtatimatque intelleximus eſſe in illis id totum, quod obtinere debuerunt ad hoc ut ſint id quod ſunt; quæ eſt ipſorum veritas, ut dictum eſt: ſtatim, inquam, intelligimus bonum eſſe illis, eſſe id quod ſunt: quandoquidem bonum quoddam eſt cuivis enti obtinere quidquid ad

Digitized by Google

perfectionem ſui ſtatus requiritur, ut è contra malum reputatur, ſi quid deeſſet. Sic ut eſt bonum homini eſſe rationalem, diſciplinæ capacem, admirativum, riſibilem, ſociabilem, &c. ita quibuſcunque cæteris omnibus entibus bonum eſt ſuis reſpectivè attributis non privari: hæc igitur integritas, ſive plenitudo attributorum, ex quibus ſingulorum entitas conſurgit, eſt ipſorum bonitas: ut deinceps fuſiùs probabitur. At cùm non tantummodò cuivis enti bonum ſit eſſe id quod eſt, ſed id ſæpe alteri etiam bonum ſit; uti non tantummodò bonum eſt pani eſſe id quod eſt, ſed etiam id homini bonum eſt propter victum, qui ex pane ſuppeditatur, & ſic de aliis; eapropter ſolent diſtinguere Metaphyſici duplicem bonitatem, ſcilicet bonitatem *ad ſe*, & bonitatem *ad aliud*: at hæc, ut evidens eſt, ex illa oritur; cùm nihil ſit, niſi quædam illius communicatio.

Notandum *Secundo* non modò rebus exiſtentibus; ſed etiam poſſibilibus convenire talem bonitatem, quæ nunc inquiritur, & quæ proptereà tranſcendentalis vocatur, quòd omni enti, ſcilicet vero enti, conveniat. At ſupra oſtendimus qualiter rebus poſſibilibus perinde ac exiſtentibus ſua competat veritas. Nihilominùs etſi de bonitate in hunc modum abſtracta ſermo ſit, ad eam intelligendam non parum juvant exempla, quæ circa bonitatem rerum phyſicam afferuntur; quia quidquid exiſtendo bonitatem phyſicam obtinet, habuit antequam exiſteret metaphyſicam: nec proinde eâdem caret, quoties in ſtatu quodam metaphyſico conſideratur præciſum ab exiſtentia. Idque puto non fore ſuperfluum annotaſſe ob periculum, quod ſic fortè incurreretur confundendi hæc, & alia phyſica rerum attributa cum metaphyſicis. **II. Quæ ſit bonitas rerum poſſibilium.**

Tandem ſicut veritatem entium ſupra explicuimus per conformitatem cum ſuo exemplari, quod eſt in Divina eſſentia: ita nec incongruum erit eorumdem entium bonitatem intelligere veluti derivatam à ſuprema ac primaria quadam Divinæ bonitatis origine: hoc nimirum ſenſu, quòd ſicuti in Deo bonum eſt continere eminenter talem ac talem perfectionem, quæ eſt in creatura; ita conſimiliter in creatura bonum eſt talem ac talem perfectionem obtinuiſſe, quæ correſpondeat perfectioni cuidam Divinæ, aut potiùs cuidam veluti portioni eminentis Divinæ cujuſdam perfectionis. Et hæc prænotata ſufficient ad faciliorem intelligentiam ſubſequentis aſſertionis. **III. Omnis bonitatis origo eſt bonitas Divina.**

Digitized by Google

ASSERTIO UNICA.

Bonitas entium conſiſtit in ea plenitudine ſive abundantia attributorum, ex quibus ſingulorum natura conſtituitur.

IV. Ens non eſt bonū, niſi plenè habeat ſuas perfectiones.

PROBATUR *Primò.* Bonitas entium conſiſtit in eo, quod omnibus primariò & invariabiliter bonum eſt: ſed omnibus primario & invariabiliter bonum eſt habere prædictam plenitudinem, ſive abundantiam attributorum: ergo &c. Major ſatis conſtat, quia cùm bonitas, de qua agitur, ſit tranſcendentalis, ut prænotatum eſt, non alia proinde eſt, niſi quæ primò & invariabiliter competit omni enti: minor autem probatur. Quatenus donec cuilibet enti plenitudo illa acceſſerit, intelligimus aliquod attributum ei deeſſe: at carere aliquo attributo ad conditionem ſui ſtatus neceſſario, tantùm abeſt ut bonum ſit, ut ſit potiùs quoddam malum; igitur id quod primò bonum eſt cuilibet enti, eſt obtinere prædictam plenitudinem attributorum. Aliunde etiam talis plenitudo invariabiliter competit omni enti; nam ſi vel unicum ex talibus attributis adimeretur alicui enti, hoc ipſo non eſſet idem ens, ſed aliud; eſſentiæ enim, quæ utique conſurgunt ex omnibus ac ſingulis attributis cujuſlibet entis, invariabiles ſunt. Ergo rurſus prædicta plenitudo eſt primum invariabile bonum cujuſlibet entis: ſicque optime explicatur bonitas tranſcendentalis entium per eam plenitudinem.

V. Ens non eſt perfectum in ſuo ſtatu ſublatâ hac plenitudine

Probatur *Secundò.* Perfectio adæquata cujuſlibet rei in ſuo ſtatu, eſt vera ac ſola bonitas illius. Ergo bonitas tranſcendentalis entium rectè explicatur per plenitudinem attributorum, ex quibus ſingula conſtituuntur. Conſequentia rectè deducitur, patetque ex terminis; quatenus perfectio adæquata cujuſlibet rei eſt ipſa plenitudo attributorum ejuſdem rei: quapropter ſi perfectio illa adæquata identificatur cum bonitate, bonitas identificabitur cum iſta attributorum plenitudine, de qua agitur. Antecedens autem probatur; tum quia perfectio adæquata rei cujuſlibet in ſuo ſtatu non aliter vocari ſolet, quàm bonitas: ſic quippe opera, quæ fecit Deus ab initio, dicuntur juxta textum ſacræ ſcripturæ *valde bona*, id eſt perfecta in genere ſuo: & revera modus ille loquendi apud omnes nationes ita invaluit, ut nihil frequentius occurrat, quàm quòd audiamus vocari bonum quidquid in genere ſuo perfectum eſt, uti cùm dicitur aliquid eſſe bene pictum, bene elaboratum, bene temperatum, &c. id eſt perfectè pic-

tum, elaboratum, temperatum, &c. Tum etiam quia cùm privatio vel minimæ perfectionis attinentis ad ſtatum alicujus rei reputetur pro malo illius rei: nihil evidentius eſt, quàm quòd perfectio adæquata illius, ſit vera ac ſola ejuſdem bonitas. Ergo denique, ut aſſervimus, bonitas entium conſiſtit in ea plenitudine attributorum, ex quibus ſingula conſtituuntur.

Nunc autem juxta hanc doctrinam generaliter ſtabilitam perinde intelligitur bonitatem cujuſcunque rei, & in quocunque genere phyſico reperiatur, nihil aliud eſſe, quàm plenitudinem attributorum, quæ ad determinatum illum generis phyſici ſtatum attinent: ita bonitas auri eſt plenitudo attributorum, uti ſoliditatis, ponderis, coloris, cæterorumque attinentium ad id, quod eſt eſſe aurum; &c. Nec aliter de genere etiam quovis morali diſcurrendum eſt, nec puto ob aliam cauſam opera, quæ in genere moris bona, ſeu perfecta ſunt, vocari opera plena, ut legitur Apoc. Cap. 3. **VI. Bonitas phyſica dijudicatur ex metaphyſica.**

Atque hinc præterea cùm omnis plenitudo ſit veluti propenſio quædam ad effuſionem, ut ſatis conjicitur ex vaſe, quod abundè impleveris, concipies qualiter quæcunque in ſe ipſis bona ſunt, prompta ac parata ſint ad aliqualem ſuæ bonitatis communicationem; ſive hæc communicatio per commixtionem, quo modo particulæ elementares perficiuntur reciprocè, quando ſe commiſcent: ſive per diffuſionem corpuſcularem, ut accidit in Sole, quando luminis ſui bonitatem communicat: ſive per tranſmutationem, ut convenit alimentis, quæ in ſubſtantiam aliti convertuntur: &c. Uno verbo quidquid in ſe ipſo bonum eſt, etiam aliquo modò aptum eſt, ut ſit bonum relative ad aliquid aliud; ubi adverteris non dicere me ad omne aliud, cùm ex adverſo non pauca ſint, quæ licet in ſe ipſis bona, non ſunt benefica; ſed potius vænefica quibuſdam aliis. **VII. Qualiter bonitas ſit ſui diffuſiva.**

Tandem ſi de entibus agitur, in quibus ratio eſt, cùm nihil ſit in iis tam naturale ac ſolitum, quàm appetere quidquid in aliis, aut ex aliis ſibi bonum eſſe agnoſcunt, hinc planum eſt omne, quod eſt bonum, eſſe amabile; nec amabile eſſe, ac proinde nec amari, niſi bonum. At ſi de cæteris entibus ſermo eſt, in quibus nulla eſt participatio rationis, hæc quidem non ſunt capacia appetitionis uti priora; non deeſt tamen aliqua propenſio ſaltem localis in id, quod ipſis bonum eſt, ut in Phyſica enarrabitur. Unde rurſus dico propenſionem illam ſive liberam, ſive coactam in id, quod bonum eſt, eſſe inviċtiſſimum argumentum, quo probatur omne quod eſt bonum, ex hoc ipſo, quod bonum eſt, eſſe amabile, ſicut ſupra dicebatur omne quod eſt verum, ex hoc ipſo quòd eſt verum, eſſe intelligibile. **VIII. Sola bonitas eſt amabilis.**

Digitized by Google

Nec addam quicquam aliud ad convictionem præmiſſæ aſſertionis, niſi ſolutionem objectionum ſequentium.

IX. Opponunt confundi à nobis bonitatem cum veritate.

Objicies *Primò.* Si bonitas, de quâ agitur, conſiſteret tantùm in prædicta plenitudine attributorum, non diſtingueretur à veritate: ſed veritas & bonitas entis ſunt attributa illius diſtincta: ergo &c. Minor eſt clara; ſequela autem majoris probatur in hunc modum. Quatenus ad hoc ut aliquod ens ſit verum, neceſſe eſt ut obtineat quidquid habere debet ad hoc ut ſit id, quod eſt. nam ſi vel minimùm quid ei deeſſet, non eſſet proinde ens verum, ſicuti nec omnino conforme eſſet primario ſuo exemplari, quod ſupra per participabilitatem eſſentiæ Divinæ explicuimus. Ad hoc autem ut aliquod ens obtineat quidquid habere debet ad hoc ut ſit id, quod eſt: nihil minùs requiritur quàm tota illa plenitudo attributorum, ex quibus conſtituitur; ſublatâ enim hac plenitudine inducitur deficientia alicujus attributi. Igitur non diſtingueretur veritas entis à bonitate ejuſdem entis: quod falſum eſt.

X. Vel maximè, quia utrique aſſignatur idē conſtitutivum.

Adde quòd hæc plenitudo attributorum alicujus rei nihil addit ſupra congeriem eorumdem attributorum, ex quibus res illa conſtat: at illius rei veritas nulla eſſet, ſi tolleres hanc congeriem: Igitur veritas, quæ per hanc congeriem conſtituitur, etiam conſtitueretur per plenitudinem prædictam: Ergo rurſus ſi per iſtam plenitudinem conſtituitur quoque bonitas entis, conſequens eſt veritatem & bonitatem identificari, cùm aliunde nihilominùs certiſſimum ſit diſtingui: atque ita non rectè quadrat doctrina, quæ bonitatem per prædictam plenitudinem explicat.

XI. Exponitur differentia metaphyſica utriuſque.

Reſp. Et nego ſequelam majoris, pro cujus probatione ſolvenda dico diſcrimen, quod eſt inter hæc attributa metaphyſica entis, non eſſe niſi metaphyſicum; ad diſcrimen autem metaphyſicum ſufficit conceptibilitas diverſa, ſeu radix conceptuum diverſorum, quibus utique ſubjacent ea, quæ hinc veritatem, hinc bonitatem entis conſtituunt: ut intelligere non incommodè potes exemplo vaſis, quod omninò plenum aqua ſupponitur. Illius itaque vaſis plenitudo, etſi nihil reale ſuperaddat aqueæ moli, quæ intra ipſum eſt, aut, quod idem eſt, particulis aqueis omnibus, quæ molem illam conſtituunt: nihilominùs talem ſuperaddit reſpectum, quo talis aqua vas illud ſic perfectè implet, ut ſit veluti prompta & parata ad exundantiam. Itaque ſimiliter licet illa attributorum plenitudo, de qua agitur, nihil reale ſuperaddat multitudini attributorum, addit tamen reſpectum, qualem multitudo non involvit, illum ſcilicet reſpectum, quo ens bonum ita plene perfectum eſt, ut ſit etiam paratum ad communi-

cationem

Digitized by Google

ctionem, ſive diffuſionem ſui: in quo ſenſu accipi poteſt vulgatiſſimum illud axioma ***omne bonum eſt ſui diffuſivum.***

Et ex his patet etiam ſolutio ad inſtantiam additam; quia jam ſatis conſtat conceptum prædictæ plenitudinis eſſe ulteriorem & diſtinctum à conceptu ſimplicis congeriei; vel præſertim, quia poteſt eſſe congeries ſine plenitudine, ut ſi aqua non repleat vas, in quo continetur; habes illic congeriem ſeu molem aquæ, at plenitudinem non habes. Igitur à pari ultra illam attributorum congeriem, in quâ conſiſtit veritas entium, concipi poteſt plenitudo aliqua, per quam ens non ſolum ſuis omnibus attributis perfruitur, ſed iiſdem perfruitur modo quodam perfecto & abundante, imo quaſi ſuperabundante & diſpoſito ad effuſionem. Atq; in tali plenitudine conſiſtit bonitas, ut dictum eſt. **XII. Et ſic tollitur confuſio, quam objiciſit.**

Objicies ***Secundo.*** In omni ente datur plenitudo attributorum, ex quibus conſtat: at non in omni ente eſt bonitas: ergo bonitas non conſiſtit in ea plenitudine: major eſt clara, alioquin conſtaret ſimul ex illis & non conſtaret, quod eſt impoſſibile. Minor autem probatur; quia ibi nulla eſt bonitas, ubi nulla eſt amabilitas: at non in omni ente eſt amabilitas v. g. in venenis: quin & in pleriſque animalculorum ex putridis materiis provenientium generibus: ergo &c. **XIII. Opponunt non omne ens eſſe bonum.**

Adde quòd bonitas cujuſque rei eſt perfectio illius: at non omnia entia ſunt perfecta: ergo nec omnia bona ſunt: ergo rurſus cùm in omni ente detur plenitudo attributorum, ex quibus conſtat, ſequitur bonitatem non conſiſtere in ea plenitudine. Major ex prædictis patet; minor autem probatur; quia perfectio, ſcilicet adæquata, de qua agitur, excludit omnem imperfectionem: at nullum eſt ens, præter increatum, aſſignabile quod non laboret aliqua imperfectione, nimirum aliqua imperfectione ejus generis aut unius, aut multiplicis, in quo ſingula entia reperiuntur; ita nec homo perfectus eſt in genere diſcurrendi; nec cervus in genere currendi, nec aquila in genere volandi: &c. homo enim non ſemel errat diſcurrendo; & cervus currendo defatigatur; &c. Ergo &c. **XIV. Vel præſertim, quia non omne ens eſt perfectum.**

Reſp. Et conceſsâ majori nego minorem, pro cujus probatione ſolvenda contendo eam ſaltem cuilibet enti competere bonitatem, per quam ipſi bonum eſt eſſe id, quod eſt; & per quam proinde ipſi ſaltem amabile eſt eſſe id, quod eſt. Quamquam præterea cùm nulla ſint cujuſcunque generis entia, quæ non ordinata ſint à Deo ad utilitatem aliquam & varietatem univerſi, conſequens eſt, ut non tantum ſint bona bonitate ad ſe; ſed etiam bonitate ad aliud: licet nobis non plane conſtet quænam ſit bonitas illa ad aliud. Quod autem objiciunt de venenis & vilibus animalculis frivolum eſt; nam hæc ſunt ſaltem alia aliis amabilia; illa autem etſi quibuſdam tempera- **XV. At ſaltem omne ens eſt bonum ſibi.**

Digitized by Google

mentis noceant, quibuſdam proſunt, & id ſaltem utilitatis obtinent, quòd in ſalutaria remedia verti poſſint, ſi per artem idoneam fuerint præparata, ut multis experimentis comprobatur.

XVI. Et perfectum perfectione connaturali.

Ad id verò quod additur, reſpondeo id, quod aſſerimus de bonitate conveniente omni enti, intelligendum eſſe de bonitate connaturali, non autem de accidentali, quæ deinceps acquiri & augeri poteſt, aut minui: neque enim ad iſtam attenditur, cùm contenditur entia omnia eſſe in ſe ipſis perfecta; ſed ſolum contenditur illa eſſe connaturaliter perfecta, quatenus ex perfectionibus, quæ ad ſingulorum naturam deſiderantur, nulla eſt quâ careant, imo quâ carere poſſint, alioquin non eſſent id, quod ſunt. Deinde etiam nullatenùs neceſſe eſt, ut quæcunque entia gaudent perfectione communi ad aliquod genus attinente, obtineant illam modo excludente omnem imperfectionem; ſed ſufficit ut obtineant ejus perfectionis, quâ perfruuntur, omnes gradus illos, qui ad ſtatum ipſis connaturalem attinere intelliguntur. Ex quibus omnino patet quid in forma ſcholaſtica reſponderi ad inſtantiam debeat.

XVII. Quid ſit malitia prædictæ bonitati oppoſita.

Nunc autem ex dictis toto hoc articulo ſequitur nullam dari malitiam tranſcendentalem bonitati tranſcendentali oppoſitam; cùm enim ſatis probatum ſit omne ens eſſe tranſcendentaliter bonum, quid clarius, quàm nullum eſſe tranſcendentaliter malum? id nihilominùs non impedit quominùs variis entibus ſua competat malitia ſeu phyſica, ſeu moralis in diverſis generibus: in quantum ſcilcet entia illa deficiunt in ſuis formis utcunque accidentalibus, atque in ſuis præſertim actionibus à plenitudine reſpectiva, quæ ad illas ſpectat. Et equidem circa malitiam moralem obiter annota cam, ſi in rigore metaphyſico loquimur, non conſiſtere ut vulgò putant in non conformitate operis cum recta ratione, ſed potiùs in aliqua ejuſdem operis vacuitate, ad talem non conformiratem conſequente. Neque difficilè id intelliges, ſi de veritate & falſitate morali, & rurſus de bonitate & malitia morali diſcurrendum eſt cohærenter ad dicta hactenus circa utramque in ordine metaphyſico ſpectatam. Sic quippe moralis veritas alicujus operis nihil aliud erit, quàm ejuſdem conformitas cum regula morum, quæ eſt recta ratio bonitas autem erit plenitudo quædam reſultans ex ea conformitate, & in Apocalipſi memorantur opera plena. Igitur è contra falſitas moralis erit non conformitas cum recta ratione; ex illa autem non conformitate reſultat vacuitas quædam, ratione cujus opera moraliter mala nullius ſunt momenti, cùm in ſtatera æquitatis Divinæ appenduntur. Præterea ſuum hîc locum obtineret, vulgatiſſima illa diviſio boni in honeſtum, utile & delectabile, niſi ex profeſſo tractanda eſſet alibi in Philoſophia morum.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

DE UNITATE ET MULTITUDINE entium, ac præſertim individuorum.

NOTANDUM *primò* Ens non fore verum, niſi obtineret attributa illa omnia, quæ habere debet ad hoc ut ſit id, quod eſt: nec rurſus bonum foret, niſi attributa illa omnia contineret cum quadam plenitudine ſeu abundantia, & diſpoſitione quaſi ultima ad effuſionem; ſicut ſupra explicuimus. At nunc addo neque poſſe fieri ut ens ſit unum, niſi ſua attributa obtineat unita, ſeu indiviſa: duplex autem concipi poteſt indiviſio entis: ſcilicet indiviſio entis *à ſe*, & indiviſio entis *in ſe*. Prior non diſtinguitur à veritate, per quam utique ens cùm non poſſit non eſſe id quod eſt, ſecum proinde identificatur, ſicut etiam diſtinguitur ab omni alio: à veritate itaque ens id habet ut ſit indiviſum à ſe, & indiviſum ab omni alio. Poſterior autem conſtituit unitatem, de qua hîc agitur, ut deinceps erit oſtendendum. I. **Unitas ſive indiviſio duplex eſt.**

Notandum *ſecundò* triplicem vulgò diſtingui unitatem, ſcilicet ſimplicitatis, compoſitionis, & aggregationis. Unitas ſimplicitatis competit rebus, quæ in ſe ipſis non admittunt realem ullam partium diſtinctionem: & hæc proinde unitas convenit ſubſtantiis ſpiritualibus. Unitas autem compoſitionis tribuitur iis rebus, quæ coaleſcunt ex plurium partium ac realiter diſtinctarum unitione: & hujuſmodi ſunt ſubſtantiæ omnes mixtæ & corporeæ. Ac denique unitas aggregationis de iis tantummodò rebus dicitur, quæ concreſcunt ex partibus, quarum aut unio nulla eſt, aut certè non eſt intima; cujuſmodi ſunt collectiones omnes ſive hominum, ſive librorum, ſive lapidum, &c. Neque de iſtis unitatibus occurrit quicquam aliud ſubjungendum, ſicut etiam nec opus eſt aliquid repetere de unitatibus genericis & ſpecificis, de quibus in Logica actum eſt: cùm hîc agendum ſit tantùm de unitate II. **Alia eſt unitatis diviſio in tres ſpecies.**

tranſcendentali, niſi quòd de iſta quidquid decidetur, referemus ad unitatem individuam; ut ſic componamus litem illam intricatiſſimam, quæ agitatur inter Metaphyſicos circa principium individuationis.

ASSERTIO UNICA.

Unitas tranſcendentalis entium conſiſtit in conjunctione ſeu indiviſione attributorum ex quibus conſtat.

III. Omnis conjunctio inducit unitatem, dum amovet pluralitatem.

PROBATUR *Primò*. Ens conſtituitur formaliter unum per id, quod formaliter amovet omnem illius pluralitatem: ſed prædicta conjunctio attributorum id efficit: ergo &c. & ſic unitas in eâ conjunctione conſiſtit. Major patet ex terminis; quatenùs pluralitas opponitur formaliter unitati; minor autem probatur in hunc modum. Illud formaliter amovet omnem pluralitatem entis, per quod ac propter quod contingit, ut attributa ſint illius entis & non alterius: ſed id contigit propter conjunctionem attributorum: ergo &c. Major rurſus conſtat ex terminis rectè attentis: quandoquidem donec innoteſcat cujus entis ſint aliqua attributa, tamdiù ens illud manet confuſum cum cæteris; ſicque non eſt liberum à pluralitate: minor autem probatur; quia hoc ipſo quòd aliqua attributa ſunt hujus entis & non alterius, hoc ipſo, inquam, ens cujus attributa talia ſunt, non confunditur cum alio quocunque: at non niſi per conjunctionem attributorum innoteſcit cujus entis attributa talia ſint: Igitur per iſtam conjunctionem ut omnis pluralitas tollitur, ſic inducitur vera unitas; quare meritò aſſeruimus unitatem entium tranſcendentalem conſiſtere in prædicta conjunctione attributorum.

IV. Ibi non eſt unitas, ubi adhuc eſt diviſio.

Probatur *Secundò*. Repugnat ens eſſe unum ante conjunctionem ſuorum attributorum, & repugnat non eſſe unum factâ jam conjunctione talium attributorum: ergo unitas illius conſiſtit in ea conjunctione. Conſequentia rectè deducitur; ac tum antecedens ſic probatur quoad utramque partem. Et *primò* quidem ens eſſe unum non poteſt ante conjunctionem ſuorum attributorum: quia antequam conjungantur, intelliguntur diviſa; at prout diviſa non magis conſtituere poſſunt unitatem entis, quàm conſtituere poſſint unitatem v.g. domus ſaxa, quæ citra & ultra mare diſperſa ſunt, aut quæ nondum è lapicidinis fuerunt eruta. Tum *Secundò* non poteſt non eſſe unum illud ens, cujus attributa conjuncta ſunt, quia conjungi idem eſt ac uniri: unio autem tam neceſſariò unitatem procreat, quàm diviſio multiplicitatem. Quæ omnia clariùs intel-

liges hoc exemplo: cogita enim ſeorſim attributa hinc corporis humani, hinc animæ rationalis ; illa itaque ſic ſeorſim ſpectata non conſtituunt unum hominem ; conſtituunt autem ſi conjunctim accipiantur: quin etiam idem dici poteſt de ente prorſus ſimplici, uti de Angelo; nam nec attribua intellectus Angelici, nec attributa voluntatis , aut memoriæ , aut immortalitatis Angelicæ, &c.conſtituunt naturam Angelicam, ſi ſeorſim illa accipias ; ſed tantummodò ſi conjunctim ſpectentur. Igitur ad veritatem tranſcendentalem entium explicandam non poteſt convenientiùs recurri, quàm ad conjunctionem, ſeu, quod idem eſt, indiviſionem attributorum, ex quibus entia illa conſtant. Sed ſi deinceps ad particularem acceptionem entium hinc materialium, hinc immaterialium devenitur, iſtorum quidem unitas erit conjunctio; ſed identitativa attributorum, ex quibus conſtant : illorum autem unitas erit , ut diſtinctiùs loquamur , conjunctio; ſed non identitativa partium , ex quibus coaleſcunt. Ex dictis autem circa unitatem ſatis apparet qualiter diſcurrendum ſit circa multitudinem huic unitati oppoſitam.

Objicies *primò*. Unitas tranſcendentalis non eſt aliquid negativum , imò eſt aliquid poſitivum : Ergo gratis aſſeritur illam conſiſtere in indiviſione attributorum , ex quibus conſtant entia. Antecedens conſtat, quia non aliter de unitate, quàm de cæteris attributis tranſcendentalibus diſcurrendum eſt, de quibus utique ſupra dictum eſt, qualiter conſiſtunt in perfectione aliqua poſitiva. Conſequentia autem rectè deducitur, quia indiviſio nihil aliud , quàm negationem diviſionis ſonat. Aut ſi unitas, de qua agitur, conſiſteret in aliquo negativo , quid æquiùs aut expeditiùs dici poſſet , quàm quod non pauci Philoſophi dixerunt illam conſtitui per puram negationem multitudinis ? ita ut ens ſit formaliter unum per id præcisè, quòd non eſt multiplex : Ergo , &c. **V. Unitas male à nobis explicatur per aliquid negativum.**

Reſp. Et conceſſo antecedente nego conſequentiam , pro cujus probatione ſolvenda dico indiviſionem, etſi per modum negativi exprimatur , eſſe tamen quid poſitivum : quia in ſenſu germano ac formali, in quo accipitur, nihil aliud ſignificat,quàm conjunctionem ſcilicet attributorum, ex quibus entia conſtant. At hæc conjunctio eſt aliquid poſitivum , vel maximè , quia quidquid interim ſit de diſcrimine logico , certiſſimum eſt nullum reale dari inter conjunctionem , de qua agitur , & attributa, quæ ſupponuntur conjuncta. De cætero, ut jam conceſſi, unitas non eſt aliquid negativum , nec proinde minùs indoctum eſt explicare illam per puram negationem multitudinis, quàm ſi quis veritatem tranſcendentalem explicet per puram negationem falſitatis : aut bonita- **VI. At illud non eſt negativum, niſi in ſpecie.**

tem per puram negationem malitiæ. Perfectiones ſiquidem poſitivæ quales ſunt perfectiones iſtæ entis tranſcendentales, omninò aliter, ſolidiùſque ac diſtinctiùs explicandæ ſunt, quàm per puras negationes.

VII. Unitas rurſus malè à nobis exponitur per aliquid trãſiens.

Objicies *Secundò*. Unitas tranſcendentalis entium eſt perfectio quædam illorum permanens: Ergo non conſiſtit in conjunctione attributorum, ex quibus conſtant illa entia. Antecedens indubitatum eſt: nam cùm perfectiones tranſcendentales entium ſint proprietates illius, ipſum inſeparabiliter comitantur. Conſequentia autem ſic probatur, tum quia conjunctio actio quædam eſt, illa ſcilicet per quam attributa, de quibus quæſtio eſt, conjunguntur: at talis actio non habet permanentiam; neque illâ opus eſt, cum jam attributa conjuncta ſunt. Tum etiam, quia conjunctio prædicta nihil formaliter importat præter unionem, at unio non eſt formaliter unitas, ſed potiùs eſt via ad unitatem; aut etiam cauſa productiva unitatis: inſolitum autem omninò eſt confundere cauſam cum ſuo effectu. Ergo &c.

VIII. Sed aperitur ſenſus, in quo illud non eſt tranſiens.

Reſp. Et conceſſo antecedente, nego conſequentiam, cujus unam atque alteram probationem ſic ſolves. Et *primò* quidem conjunctio, in quâ aſſeruimus conſiſtere formaliter unitatem, non eſt qualiſcunque conjunctio ſive actio conjungendi; ſed conjunctio completa, ſive complementum actionis conjunctivæ, quæ præceſſerit: at tale complementum eſt quid permanens, nec differt ab eo, quod eſt attributa permanere conjuncta. Tum *Secundò* ſimiliter conjunctio prædicta non à nobis accipitur pro qualicunque unione ſeu actione uniendi; ſed pro unione completa: Unio autem completa importat ſtatum permanentem, ſive talem, in quo permanenter verificatur attributa uniri. Ex quo advertis pro ſolutione totius objectionis hanc tantummodò diſtinctionem eſſe adhibendam, quâ reſpondeas unitatem tranſcendentalem, non quidem in conjunctione aut unione inchoata conſiſtere; ſed in completa; quæ nimirùm non eſt minùs permanens, quàm ipſa attributa, quæ conjungi ſive uniri ſupponuntur.

IX. Quid ſit unitas phyſica relativè ad metaphyſicam

Inferendum nunc *primò* ex hactenùs dictis in hoc articulo unitatem phyſicam qualiumcunque rerum individualem non alio modo inquirendam ac ſtatuendam eſſe, quàm quo inquiſiimus & ſtatutam eſſe voluimus tranſcendentalem, ſalvo tantùm diſcrimine, quod inter ſtatum hinc metaphyſicum, hinc phyſicum reperitur. Quapropter ſtatim concludendum eſt omne principium individuationis phyſicæ eſſe intrinſecum, ſicque turpiſſimè errare Thomiſtas cùm individuationem ſive ſingularitatem v.g. animæ rationalis referunt ad materiam corporalem, quam informat: neque minùs decipi, cùm pro cujuſvis compoſiti materialis individuatione aſſu-

Digitized by Google

munt ſolam materiam, ſive cum quantitate; ſive ſub quantitate; ſive cum ultima diſpoſitione ad formam; &c. (nam ſtupendum eſt in quot ſententiarum varietates abierint) quandoquidem cùm individuatio cujuſvis rei ſit ipſi intrinſeca, non eſt proinde extra ipſam quærendum individuationis principium. Deinde etiam concludendum eſt omne principium individuationis, ſive unitatis phyſicæ, eſſe phyſicum: & ſic contra omne jus faſque legitimi ratiocinii Scotiſtæ principium illud explicant per gradum metaphyſicum, quem vocant *hacceitatem*: quamquam præterea ſubjectum hujuſce gradus advenientis hoc ipſo, quod aptum eſt illum recipere & denominari hoc potiùs quàm illud, hoc ipſo, inquam, individuum eſt. Denique concludendum quoque eſt principium individuationis phyſicæ pertinere ad naturam ipſius rei individuatæ: ac proinde omninò erroneum eſſe, quod quibuſdam viſum eſt res individuari à multitudine accidentium, quibus afficiuntur; niſi fortè loqui voluerint de principio individuationis extrinſeco, quo res aliæ ab aliis vulgò diſcernuntur; ſed quæſtio nulla unquam, ut puto, fuit de hujuſmodi individuatione extrinſeca. Uno verbo quidquid unum eſt, ſuam illam unitatem obtinet in ſe ipſo & ex ſe ipſo, id eſt, ex conjunctione, aut tantummodò ſuorum attributorum, ſi fuerit quid ſimplex; aut ſi fuerit quid compoſitum, ex ipſa conjunctione ſuarum partium: atque ita vitantur omnes ambages, quæ circa principium individuationis rerum accumulantur, & confundunt ferè univerſam vulgarem Metaphyſicam.

Inferendum *Secundò* ex dictis totâ hac diſputatione æquiſſimum eſſe illum ordinem, quo inter enumerandas entis proprietates præmiſimus veritatem bonitati & bonitatem rurſus unitati. Nam id primum, quod in ente concipitur, eſt certus aliquis numerus attributorum ad naturam illius ſpectantium: tum ſtatim ſecundò concipitur numerum illum non utcunque afficere naturam illius, ſed omninò implere: ac ſine mora concipitur tertiò talia attributa intra ipſum ens cujus ſunt, conjungi intime. Unde conſequitur veritatem, quæ in certo illo numero attributorum conſiſtit, eſſe primum entis attributum; tum bonitatem, quæ conſtituitur in tali attributorum plenitudine, annumerandam eſſe pro ſecundo: ac denique recenſeri debere pro tertio unitatem, quæ ſecum nihil importat, niſi eorumdem attributorum conjunctionem. Nec opus eſt ut advertatur non eſſe quærendam realem ullam inter hæc attributa diſtinctionem; ſola quippe diſtinctio metaphyſica intercedit & ſufficit, in quantum ſatis per prædictam conſecutionem conceptuum obtinetur, ut innoteſcat quænam perfectiones tranſcendantales, & quonam ordine conveniant enti, aut non conveniant.

X. Qualiter proprietates entis meliùs à nobis coordinentur.

Digitized by Google

quapropter non immerito perfectiones illæ poſſunt variè definiri per ordinem ad varios ſtatus, in quibus ens ab intellectu apprehenditur illas obtinere. Ac tandem multò minùs neceſſe eſt ut annotetur cæteras proprietates, ſi quæ ſunt, quæ enti tranſcendentaliter ſpectato conveniant, ab his tribus, de quibus ſatis hactenùs actum ſit, derivari.



DISPUTATIO

Digitized by Google

DISPUTATIO TERTIA.

DE ESSENTIA ET exiſtentia &c. entis in communi.

QUATUOR articulis complebitur hæc diſputatio. Agam in *primo* de eſſentia, ſeu poſſibilitate entis in communi: in *ſecundo* de exiſtentia, ſeu actualitate: in *tertio* de ſubſiſtentia, & in *quarto* de inhærentia ejuſdem entis in communi.

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA, SEU POSSIBILITATE entis in communi,

I. Quid ſit eſſentia cujuſlibet rei.

NOTANDUM *Primò* per eſſentiam alicujus entis vulgò intelligi complexionem attributorum, quæ ad conceptum illius attinent; & ſic quidem primariò ac neceſſariò, ut nec quid priùs in illo concipi, nec quid minùs poſſit. Attributa autem hujuſmodi vel compatibilia ſunt, vel incompatibilia: & ſiquidem compatibilia fuerint, ens illud, ad cujus notionem ſpectant, poſſibile eſt: aut è contra ſi compati non poſſunt, eſt impoſſibile. Sic v. g. cùm ad notionem hominis eſſentialem pertineant hæc duo attributa, eſſe animal & ra-

Digitized by Google

tionale, & hæc compari poſſint ; caproptet nunquam non fuit homo poſſibilis : quia verò ad notionem eſſentialem lapidis rationalis pertinent hæc duo attributa plane incompoſſibilia, non poſſe ſentire & poſſe diſcurrere ; idcirco lapis rationalis nunquam fuit poſſibilis, & idem cogita de complexis aliis chimæricis quibuſcunque. Itaque ſumendo eſſentiam in hunc ſenſum præmiſſum res impoſſibiles perinde ac poſſibiles ſuam habent eſſentiam : nihilominùs aliter ac ſtrictiùs accipi ſolet eſſentia pro potentia ad exiſtendum : & juxta hanc acceptionem, quæ apud Metaphyſicos uſitatior eſt, eſſentia tantummodò tribuitur rebus poſſibilibus, imo cum ipſa rerum poſſibilitate confunditur, qualiter & deinceps utramque indiſcriminatim accipiemus.

II. **Quid ſit poſſibilitas alicujus rei.** Notandum *Secundò* ad poſſibilitatem alicujus rei adæquatam duo eſſe, quæ neceſſariò requiruntur ; unum ex parte rei, quæ denominatur poſſibilis ; alterum ex parte Dei, qui poſſit rem illam è ſtatu poſſibilitatis in ſtatum actualitatis educere. Quia enim nihil ſe ipſum producere poteſt, alioquin eſſet prius & poſterius ſe ipſo, quod implicat contradictionem manifeſtiſſimam ; hinc proinde neceſſe eſt, ut detur potentia productiva ejus rei, quæ ſupponitur producibilis. Talis itaque potentia rerum producibilium productiva in Deo eſt, & in eo quidem ſolo : nam licet agentia creata poſſint aliquid educere ex uno ſtatu actualitatis in alium, quod eſt *producere ſecundùm quid*, aut aliter generare : educere tamen nihil poſſunt ex ſtatu meræ poſſibilitatis in ſtatum actualitatis, quod eſt *producere abſolute*, ſive creare. Tum verò ut poſſibilitas rerum in prædicta attributorum compatibilitate conſiſtit, ita planum eſt potentiam Dei productivam conſiſtere in vi ejuſdem infinita, cujus operationi nihil opponitur ex iis omnibus, quorum attributis competit illa compatibilitas. Neque eſt huius loci fuſiùs infinitam illam Dei potentiam explicare ; ſicuti neque puto curioſiùs hic inveſtigandum eſſe, ut aliqui ſolent, an rerum poſſibilitas Dei potentiam, an ex adverſo Divina potentia illam rerum poſſibilitatem ſupponat : quid enim impedit quo minùs citra omnes ambages ſtatuatur neutram alteri præſupponi ? Sed quod omnibus correlativis commune eſt, utrique convenire ſimultatem temporis & naturæ ; idque maxime ob reciprocam independentiam, ratione cujus nec potentia producendi in producibilitatem, nec producibilitas in potentiam producendi quicquam influit. Igitur tantùm ſupereſt ut in aſſertione prima breviter oſtendatur, qualiter rebus poſſibilibus, aut, quod idem eſt, eſſentiis rerum poſſibilium, nulla competit entitas realis quantumcunque,

Digitized by Google

ut aliqui fingunt, diminuta ante eductionem ipſarum ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum exiſtentiæ. Ac tum in ſecunda paulo fuſiùs probabitur qualiter poſſibilitas rerum ſit independens etiam à voluntate Divina.

ASSERTIO PRIMA.

Eſſentiæ rerum poſſibilium nullius ſunt entitatis realis quantumlibet diminutæ antecedenter ad eductionem ipſarum actualem ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum exiſtentiæ: Totaque eapropter illarum entitas eſt ſive metaphyſica, ſive logica.

PROBATUR. Entitas illa realis quantumvis diminuta, quæ ſupponeretur competere eſſentiis rerum poſſibilium vel eſſet producta, vel improducta; ſed neutrum poteſt verificari: ergo &c. Sequela majoris patet: minor autem probatur ſic quoad utramque partem. Et *primò* quidem non poteſt verificari producta: ſive quia res poſſibiles non eſſent deinceps poſſibiles contra hypotheſim, ſcilicet non eſſent creabiles: nam creatio eſt eductio ex ſtatu nullius entitatis in ſtatum totius entitatis: ſive etiam quia ſi quæ entitas producta eſſentiis rerum poſſibilium conveniret, utique conveniret neceſſariò: cùmque ab alio, quàm à Deo produci non potuerit, ſequeretur Deum ad productionem illius neceſſitatum fuiſſe, quod cum ſumma libertate Divina duriùs pugnat, quàm ut admitti poſſit. Tum *Secundò* neque poteſt entitas illa, ſi quæ eſt, verificari improducta, quatenus non tantùm foret ab æterno, quod ſatis repugnat; ſed etiam foret independenter à Deo: & ſic quidem ut exiſtentiam illius impedire Deus non potuiſſet, nec deſtruere deinceps poſſet. Ergo &c. III. Realitas rei poſſibilis nec eſſet producta, nec improducta.

Adde quòd cùm res poſsibiles ſint aut ſpirituales, aut materiales, conſequens eſt entitatem realem, quæ ſupponeretur illis ante ipſarum productionem convenire, vel ſpiritualem fore, vel materialem. At neutrum propugnari poteſt: nam ſi poſſibilitas unius v. g. Angeli ſit ab æterno entitas qualiſcunque ſpiritualis, non poteſt fieri quin ſit tota ejuſdem Angeli deinceps futuri entitas: quandoquidem entitas ſpiritualis non ſuſcipit magis & minus: & ita Angelus qui tantùm ſupponeretur poſſibilis ab æterno, extitiſſet ab æterno, contra hypotheſim. Rurſus ſi poſſibilitati unius v. g. lapidis convenit ab æterno entitas quantula, IV. Item neque eſſet ſpiritualis, neque materialis.

cunque realis materialis, illa haud dubie eſſet pars quædam lapidis deinceps futuri, ſive centeſima, ſive milleſima ſive centies aut millies milleſima, &c. at nulla eſt, ut ſatis patet, hujuſmodi, pars, quæ productioni totius præexciterit: præterquamquòd aliunde implicat unam partem totius, eſſe eſſentiam totius plane integram, de cujus poſſibilitate jam ſermo eſt. Nec poſſunt hujus argumenti vim effugere Adverſarij ſub obtentu, quod eſſentiis, de quibus agitur, non tribuunt niſi entitatem valde diminutam: nam quamvis eſſet atoma, quâ utique nulla minor unquam fingi potuit, perinde in eâ admittendâ error admittitur intolerabilis. Atque ita, ut ſupra inſinuatum eſt, non competit rebus poſſibilibus, quandiu remanent in ſtatu meræ poſſibilitatis entitas ulla niſi tantummodò logica aut metaphyſica, id eſt ficta & ad inſtar entis pure objectivi ſubjacens modis ſive loquendi logicis, ſive concipiendi metaphyſicis, per quos tribuunt rebus illis poſſibilibus ſua attributa, & definitiones ex ſocietate apprehenſa talium attributorum derivantes; ac tum etiam diviſiones, ſi opus fuerit; &c. ut ex ſolutione objectionis ſequentis magis intelligetur.

V. Opponunt res poſſibiles differre realiter ab impoſſibilibus.

Objicies. Res poſſibiles ab impoſſibilibus differunt etiam independenter ab intellectu: atqui hinc ſequitur rebus poſſibilibus convenire entitatem aliquam realem, vel certè diminutam: ergo &c. Major conſtat, quia niſi diſtinguerentur independenter ab intellectu, evidens eſt quod nullo cogitante intellectu confunderentur; ſicque res poſſibiles eſſent impoſſibiles, & è contra: quod eſt valde abſurdum. Sequela verò minoris ſic probatur. Omne diſcrimen, quod eſt independenter ab intellectu, eſt reale: & aliunde omne diſcrimen, quod eſt reale, ſupponit entitatem realem: ergo &c.

VI. & addunt illas differre realiter ab impoſſibilibus.

Adde quod quidquid differt à nihilo reali eſt aliquid reale: ſed res poſſibiles differunt à nihilo reali; à quo tamen non differunt impoſſibiles: ergo &c. Major eſt certa propter evidentem oppoſitionem, quæ eſt inter nihilum & aliquid ejuſdem generis: ſic nihilo lucis opponitur aliquid lucis; & nihilo gravitatis aliquid gravitatis; &c. ſic igitur nihilo rei, ſive nihilo reali, opponitur aliquid rei, ſive aliquid reale. Minor autem probatur; quatenus ſi non differrent à nihilo reali, ipſæ eſſent nihilum reale: atque ita contra hypotheſim non eſſent poſſibiles: quia eſſe poſſibile, eſt poſſe exiſtere: at evidentiſſime repugnat nihilum poſſe aliquando exiſtere. Ergo &c.

VII. Sed prædicta illa

Reſp. Vel hoc argumentum nimis probare, quia probat non modò rebus poſſibilibus, ſed etiam impoſſibilibus convenire ab æterno entitatem aliquam realem: cùm enim omne diſcrimen ſit reci-

procum, cauſa quoque diſcriminis debet eſſe reciproca: igitur ſi recte concluditur ineſſe rebus poſſibilibus entitatem realem eo, quòd ab impoſſibilibus differant independenter ab intellectu: non minùs rectè concluderetur ineſſe rebus impoſſibilibus realem entitatem conſimilem. Vel aliter reſpondeo diſtinguendo majorem in hunc modum. Res poſſibiles ab impoſſibilibus differunt etiam independenter ab intellectu independentiâ negativâ concedo majorem, independentiâ poſitivâ, nego majorem: ac tum nego minorem & conſequentiam propter eandem diſtinctionem, quam ſic explico. Itaque diſcrimen independens ab intellectu per independentiam poſitivam ſupponit extrema poſitive exiſtentia independenter ab intellectu: at in hoc caſu patet extrema, de quibus agitur, ſcilicet res poſſibiles hinc, & illinc impoſſibiles non exiſtere poſitive: quare ſi mutuò differunt independenter ab intellectu: illa independentia poteſt tantummodò eſſe negativa; in hoc nempe conſiſtens quòd ab intellectu non pendeat cogitare, ac tribuere utriſque eſſentiam communem. Et ea propter hinc intelligis non omne diſcrimen, quod independet ab intellectu, eſſe reale, niſi talis independentia ſit modo, quem jam explicui, poſitiva. differentia impugnatur.

VIII. Neque minùs arguitur hæc altera quam opponunt.

Ad id verò, quod additur, ſolvendum neque alia diſtinctione opus erit. Sic igitur diſtinguo majorem. Quidquid differt à nihilo reali eſt aliquid reale: id eſt, quidquid differt poſitive; concedo majorem: quidquid differt negative tantùm, nego majorem: ac tum diſtinctâ conſimiliter minori, nego conſequentiam: & rurſus dico res poſſibiles ideo non differre niſi negative à nihilo reali, quia nulla poſitivâ ac phyſicâ exiſtentiâ perfruuntur: quapropter non recte infertur illas eſſe aliquid reale; nam quæcunque eſſet iſta realitas ſupponeret poſitivam ac phyſicam præexiſtentiam. Cùm ergo rebus poſſibilibus, quandiu in ſtatu poſſibilitatis manent, nulla conveniat exiſtentia, ſequitur quidquid illis tribuitur quoad attributa, ex quibus conſtant, & differentias attributorum, & eorumdem conſequentias, aut qualeſcunque alias conſiderationes, id totum eſſe logicum, aut metaphyſicum.

Digitized by Google

ASSERTIO SECUNDA.

Poſſibilitas rerum eſt independens à voluntate Divinâ: & hæc aſſertio eſt contra Carteſianos, quibus libuit eſſentias rerum ſic dependere à Deo, ut nihil ſit poſſibile, niſi quidquid voluit Deus eſſe poſſibile: ac proinde nihil tam impoſſibile excogitari poſſe à nobis, quod, ſi Deus voluerit, non evadat poſſibile: ſicque evadet poſſibile ut totum non ſit majus ſua parte; ut triangulum non conſtet ex tribus angulis; ut numerus binarius per ſe ipſum multiplicatus non producat quaternarium; &c.

IX. **Hinc ſequitur nihil reputari poſſe pro impoſſibili.**

PROBATUR *Primò*. Si poſſibilitas rerum dependeret à voluntate Divina, nihil ex iis omnibus, quæ à nobis maximè impoſſibilia judicantur, impoſſibile eſſet Deo: ſed falſum eſt nihil ex iis omnibus impoſſibile eſſe Deo: ergo &c. Sequela majoris manifeſta eſt: quia ſic Deus perinde eſſet arbiter poſſibilitatis, de qua agitur, ac ſuæ ipſius voluntatis: quare ſicut nihil eſt, quod Deus non poſſet velle, ita nihil eſt, quod non poſſet efficere. Minor autem ſic probatur aſſumendo in exemplum hoc quod contendo eſſe maximè impoſſibile, nimirum *ut aliquid ſimul ſit & non ſit*, & ſic argumentor. Si iſtud poſſibile eſſet Deo, id utique eſſet poſſibile propterea quòd Deus id poſſet velle: ſed neque Deus id poſſet velle; nec poſſet voluntas Divina reddere illud poſſibile: ergo &c. Major conceditur ab Adverſariis; minor autem ſic probatur quoad utramque partem. Et *primò* quidem Deus id non poſſet velle, quia id velle, quid eſſet niſi velle exiſtentiam, & nolle ſimul exiſtentiam ejuſdem rei: Deus autem non poteſt ſimul velle & nolle aliquid, vel maximè quia cùm nihil tam opponatur volitioni, quàm nolitio, & aliàs volitioni Divinæ nihil, ut aiunt, reſiſtere poſſit, conſequens eſt ut nolitio per volitionem deſtruatur; ſi aliunde tamen deſtrui poteſt. Nam cum nolitio Divina non ſit quid minùs Divinum, quàm volitio, non video cur iſta potiùs illam, quàm illa iſtam aboleat. Neque *ſecundò* id eſſet poſſibile, etiamſi Deus id poſſet velle; quia

effectus Divinæ voluntatis non poteſt eſſe talis, ut ei obediatur ſimul & non obediatur: at ex parte ejus, quod eſſet ſimul & non eſſet, comperiretur obedientia illa præſtita voluntati Divinæ & ſimul non obedientia: nam ut voluntati, quæ ſtatuit rem exiſtere, obeditur per ipſam ejuſdem rei exiſtentiam, ita per ejuſdem non-exiſtentiam reſiſtitur: at res illa, ut exiſteret ex hypotheſi, ita quoque non exiſteret: & ſic voluntati Divinæ obediret ſimul & non obediret. Ergo impoſſibilis eſſet exiſtentia ſimul & non exiſtentia alicujus rei, etiamſi poſſibilis eſſet voluntas, quâ Deus utriuſque ſimultatem decerneret.

X. Ac rurſus potuiſſet fieri, ut nihil eſſet poſſibile.

Probatur *Secundo*. Si quæcunque jam ſunt impoſſibilia, potuerunt fieri poſſibilia per decretum Divinum, ſequitur potuiſſe ſimiliter per decretum Divinum impoſſibilia fieri, quæcunque jam ſunt poſſibilia: atqui hoc falſum eſt, ac turpiter erroneum: ergo &c. Sequela majoris conceditur, & aliunde negari non poteſt; nam quæ eſt ratio cur potiùs poſſibilitas, quàm impoſſibilitas rerum à decretis Divinis pendeat? vel præſertim quia poſſibilitas unius rei eſt ipſa impoſſibilitas rei contradictoriæ. Minor autem ſic probatur ſupponendo poſſibilem fuiſſe ſpeciem v. g. perfectiorem Angelicâ: & de illa contendo quòd per decretum ullum Divinum evadere non potuerit impoſſibilis: ſic itaque argumentor. Non potuit Deus per ullum decretum ſpoliare ſe potentia producendi rem producibilem: ergo ſpecies illa ex hypotheſi poſſibilis non potuit per ullum decretum impoſſibilis evadere, & ſic de cæteris. Conſequentia rectè deducitur: antecedens verò ſic probatur: tum quia omnipotentia attributum eſt non minùs eſſentiale Deo, quàm omniſcientia, independentia, æternitas, &c. quapropter ut non potuit Deus per ullum decretum ſpoliare ſe ſua omniſcientia, independentia, æternitate, &c. ita nec omnipotentia. Tum rurſus quia ſi potuit Deus ſpoliare ſe potentia producendi rem unam producibilem, potuit proinde etiam ſpoliare ſe potentiâ producendi res omnes poſſibiles; neque enim eſt potior ratio pro una, quàm pro alia. Atque ita potuiſſet Deus per ſuum decretum impotentiſſimus evadere: ſicque jam non poſſet producere, vel unam formicam, vel unam atomum. Et certè mirum eſt Carteſianos non eſſe memores ratiocinii, quo Carteſius utitur Princip. Phil. parte 2. art. 20. ad probandum nullas atomos poſſe dari. ***Quin etiamſi fingamus***, inquit, ***Deum efficere voluiſſe, ut aliqua materiæ particula in alias minores dividi non poſſit; non tamen illa propriè indiviſibilis erit dicenda. Utut enim effecerit eam à nullis creaturis dividi poſſe, non certè ſibi ipſi ejuſdem dividendæ facultatem potuit adimere, quia fieri planè non poteſt***

ut propriam ſuam potentiam imminuat. Si igitur non potuit Deus privare ſe potentia dividendi rem diviſibilem, nec potuit privare ſe potentia producendi rem poſſibilem. Ergo, &c.

XI. Tandem omnia poſſent in dubiū revocari.

Probatur *Tertio.* Juxta ſententiam hanc, quæ ſtatuit poſſibilitatem & ſimiliter impoſſibilitatem rerum pendere à voluntate Divina, nihil eſt, de quo dubitari non poſſit: ſed multa ſunt, de quibus non poteſt dubitari; ergo &c. Minor conſtat: nam præter prima principia & generaliſſima plurimarum ſcientiarum artiumque axiomata, de quibus ſi quis dubitaret, pro homine male ſani judicii reputaretur, non deſunt varia dogmata, quæ ipſi Carteſiani tuentur pro demonſtratis & proinde certis, nec in dubitationem ullam revocandis; nec opus eſt illa commemorare. Nunc autem major ſic probabitur. Juxtà hanc ſententiam quæ ſtatuit, &c. nihil eſt, quod non poſſet ſe habere omninò aliter, quàm à nobis cogitatur: atqui hoc ipſo nihil eſt, de quo dubitari non poſſit, ergo, &c. Minor rurſùs conſtat: nam ſi poteſt fieri, ut totum non ſit majus ſua parte, & ſic de aliis; nulla eſt ratio, quæ me convincat totum eſſe majus ſua parte; ſicut nulla eſt ratio, quæ me convincat fore ut craſtina die ſol ſplendeat, quandoquidem fieri poteſt ut non ſplendeat ob fortè futuram nubium interjectionem. Major quoque ſi bene attenditur, non minùs conſtat; quia à nobis v. g. cogitatur totum eſſe majus ſua parte, poteſt autem non eſſe majus ſua parte: quis enim ſcit an voluerit Deus totum non eſſe majus ſua parte? Potuit quippe Deus id velle, ſi autem id voluiſſet: id juxta Adverſarios fuiſſet poſſibile. Ergo quia non conſtat Deum id non voluiſſe; neque etiam conſtat totum eſſe majus ſua parte: quin potiùs eadem ratio, quæ permittit ignorare ac dubitare, utrùm è duobus decreverit Deus totum eſſe majus, vel non eſſe majus ſua parte; eadem, inquam, permittit, imo compellit dubitare ſit-ne totum majus ſua parte necne; atque ita de aliis.

XII. Refertur & refelitur auctoritas cujuſdam Carteſiani.

Quia verò adeò perabſurda eſt hæc ſententia, quâ aſſeritur poſſibilitatem & ſimiliter impoſſibilitatem rerum pendere à decretis Divinis, ut vix credi poſſit viros ſanæ mentis eam ſectari, non ſuperfluum eſſe duxi, ſi pauca hìc tranſcriberem ex recente Metaphyſica Carteſiana Sylvani Regis, qui ſuam ac ſuorum de propoſita quæſtione mentem aperit his verbis ex Gallico in Latinum verſis lib. 1. part. 2. cap. 14, n. 3. *Supereſt itaque nullam eſſe impoſſibilitatem ante decretum Dei; eapropter cum dico impoſſibile eſſe ut idem ſit ſimul & non ſit: ut baculus non habeat duo extrema; & ut totum non ſit majus ſua parte: ſenſus talium propoſitionum unicus iſte eſt, voluiſſe Deum ut res omnis tamdiu eſſet quandiu eſſet:* ut

Digitized by Google

ut baculus haberet duo extrema : & ut totum eſſet majus ſua parte. Ex quibus verbis rectè infertur potuiſſe aliquid eſſe ſimul & non eſſe : & ſimiliter potuiſſe baculum non habere duo extrema , ac tandem potuiſſe totum non eſſe majus ſua parte : quatenùs potuit Deus hæc & ſimilia decernere in contrarium. At valde mirum eſt potuiſſe ſcriptorem adeò parùm ſibi conſtare , ut pauculis lineis interpoſitis ſic ſubjunxerit. *Notandum quoque eſt res impoſſibiles non tam eſſe entia realia, quàm chimeras , quas Deus producere non poteſt quamvis ſit omnipotens ; quin etiam eſt omnipotens , propter impotentiam producendi illas,* &c. Unde in oppoſitum conſequitur rerum impoſſibilitatem eſſe ab omni decreto Divino independentem. Quid igitur divendit iſte Author, niſi dogmata ſecum pugnantia ? Quamquam aliàs cohærentia cum inſtabilibus ſententiis ſui Magiſtri, qui nunc confidenter affirmat nihil eſſe impoſſibile Deo , vel etiam ex iis, quæ manifeſtam involvunt repugnantiam: nunc audacter negat plurima poſſe à Deo effici, quæ repugnare nullatenùs videantur , uti cum negat poſſe Deum creare atomum materialem ; inducere vacuum ; mundum alterum fabricare: &c. At jam ſupereſt ut videamus quid Carteſiani ſcitu dignum objiciant.

XIII. Opponitur imminutio Divinæ tum potentiæ, tum libertatis hinc ſecutura.

Objicies *Primò*. Impoſſibilitas , quæ præcederet decretum Divinæ voluntatis, minueret Divinam omnipotentiam :& rurſus poſſibilitas, quæ ſimiliter ejuſdem Divinæ voluntatis decretum antecederet, Divinam minueret libertatem. Ergo ut nulla eſt rerum impoſſibilitas, ſic nec ulla eſt poſſibilitas independens à voluntate Divina. Probatur antecedens quoad utramque partem. Et *Primò* quidem impoſſibilitas , quæ præcederet decretum Divinæ voluntatis , minueret Divinam omnipotentiam , quia ut evidens eſt , quamvis ad Divinam omnipotentiam pertineat poſſe omnia , id ſaltem poſſibile non eſſet Deo , quod independenter ab ipſo ſupponeretur impoſſibile : imo quia hujuſmodi impoſſibilia quæ voluntatem Dei præcederent , ſunt infinita aut quaſi infinita: non tantùm utcunque , ſed quaſi in infinitum potentia Divina minueretur. Ac *ſecundò* poſſibilitas , quæ decreta Divina præcederet , Divinam minueret libertatem ; quia cum æquum ſit , ut res omnes in omni ſtatu ab illa pendeant , ſaltem ab illa non penderent in ſtatu poſſibilitatis. Ergo , &c.

XIV. Additur naturas rerum pendere à voluntate Dei

Neque aliàs parùm indecorum eſt libertati Divinæ , ut ab ipſa non pendeat diſpoſitio naturarum , quæ ſingulis rebus conveniunt , qualiter utique non pendet , ſi ſupponitur res poſſibiles aut impoſſibiles eſſe antecedenter ad decreta Divinæ voluntatis. Cùm nihilominùs ex ſententia Patrum , illa tantùm cuilibet rei conveniat natura , quam Deus voluerit convenire ; inter quos videatur D. Aug. lib. 21. de civitate Dei cap.

& citatur D. Aug. 8. *Omnia quippè portenta*, inquit, *contra naturam dicimus eſſe, ſed non ſunt: Quomodo eſt enim contra naturam, quod Dei fit voluntate; cùm voluntas tanti utique conditoris condita rei cujuſque natura ſit?* Ac deinde. *Sicut ergo non fuit impoſſibile Deo quas voluit inſtituere, ſic ei non eſt impoſſibile, in quidquid voluerit, quas inſtituit, mutare naturas.* Quibus verbis nihil validius objici poteſt contra præmiſſam aſſertionem: Ergo &c.

XV. At è contra ſtabilitur Divina tum potentia, tum libertas. *Reſp.* Et nego antecedens quoad utramque partem. Et ad probationem quidem prioris dico ad Divinam non pertinere omnipotentiam, ut poſſit, niſi ea, quæ non repugnant, ſive quæ nullam involvunt contradictionem; atque ita Divina omnipotentia nullatenùs imminuitur eò quòd Deus non poſſit impoſſibilia; cùm hæc ad illam non pertineant: idque ad eum modum, quo nemo dixerit Reges eſſe minùs potentes eò quòd non habeant facultatem volandi, quia hæc poteſtas non ad Reges; ſed ad volucres attinet. Tum verò ad probationem poſterioris ſolvendam contendo id, quod aſſeritur de poſſibilitate rerum præcedente decreta Divina, non obſtare quominùs res poſſibiles ſaltem in hoc à Deo pendeant, quòd abſque Divino auxilio ſtatum puræ poſſibilitatis in ſtatum puræ actualitatis commutare non poſſunt. Et rurſus ſicut Deus nullo decreto ſuæ libertatis efficere poteſt, ut quæ præterita ſunt, non ſint præterita, nec tamen ſtatus ille præteritionis quicquam obſtat Divinæ libertati, ita nec eidem obſtabit ſtatus poſſibilitatis, quamvis decernere Deus non poſſit, ut non poſſibilia ſint, quæcumque poſſibilia ſunt; & idem cogita de ſtatu impoſſibilitatis.

XVI. Exponitur mens D. Aug. circa naturas rerum. Ad authoritatem verò D. Aug. quod attinet, Reſpondeo ſatis conſtare ex toto contextu citati capitis D. Aug. nihil aliud per naturam cujuſlibet rei, niſi ſtatum naturalem, ſive, ut clariùs loquar, *ſtatum ſolitum* intelligere: atque ita ex D. Auguſtino Deus non aliter poteſt mutare naturas rerum, niſi quatenus commutare & transferre illas poteſt ex ſtatu ſolito in inſolitum: ſicque Solis curſum poteſt ſiſtere; & aquas profluentes retromovere; & ardorem ignis extinguere; & cadaveri animam reſtituere; &c. At nihilominus mutare non poteſt eſſentias rerum; neque enim efficere poteſt ut aqua ſit ignis; ut mors ſit vita; ut motus ſit quies; &c. Quapropter hinc patet D. Auguſtinum per naturam non intellexiſſe eſſentiam, qualiter intelligere debuiſſet, ut hinc probarent aliquid Adverſarii contra eſſentialem rerum poſſibilitatem aut impoſſibilitatem, de quâ agitur, à decretis Divinis independentem.

XVII. Non poſ- Objicies *Secundò*. Non eſt determinabile quid ſit poſſibilitas illa, quæ ſuponeretur antecedere voluntatem Divinam: ergo nulla

Digitized by Google

ſet, inquiunt, explicari quid ſit poſſibilitas rerum

hujuſmodi admittenda eſt. Probatur antecedens. Vel enim poſſibilitas illa eſſet merum nihilum, vel eſſet aliquid oppoſitum nihilo, ſive, ut aiunt, aliqua ſaltem nonrepugnantia prædicatorum pertinentium ad naturam rei, quæ dicitur poſſibilis: ſed neutrum aſſeri poteſt: ergo &c. Major ſatis patet: minor autem probatur quoad utramque partem. Et *primò* quidem poſſibilitas illa non eſt merum nihilum; quia meri nihili proprietas nulla eſt; at talis poſſibilitatis proprietas aliqua eſt, & iſta ſaltem, quòd antecedat Divinam voluntatem, ſitque ab illa independens. *Secundò* neque pariter conſiſtit poſſibilitas in tali nonrepugnantia attributorum rei quæ ſupponitur poſſibilis; quia implicat omninò dari non repugnantiam abſque ſubjecto talis non repugnantiæ: at hujuſmodi ſubjectum nullum eſſe poteſt, ſiquidem reale eſſet; nullum, inquam, eſſe poteſt ſive antecedenter ad voluntatem Divinam, ſive independenter ab illa. Tum verò quod de poſſibilitate dictum eſt, applica tu ipſe impoſſibilitati: ergo &c.

XVIII. At explicatur per non repugnantiam attributorum.

Reſp. & nego antecedens, pro cujus probatione ſolvenda dico poſſibilitatem, de qua agitur non eſſe quidem merum nihilum: quamquam errat Objiciens in hoc quòd putat nulla eſſe meri nihili attributa, imo tot illius ſunt attributa, quot entis, ſed contradictoria; ut ens eſt verum; nihilum non eſt verum; &c. Sed eſſe ſupradictam illam non repugnantiam attributorum, quæ adſcribuntur rei poſſibili. At ſi talis non repugnantiæ ſubjectum aliquod aſſignandum eſt, quale aliud aſſignandum erit, quam ipſa attributa, quæ non repugnant, aut quæ ſaltem nullam inter ſe habere repugnantiam intelliguntur? Id ipſum autem eſt quod contenditur, nullum eſſe nimirum inconveniens in hoc quòd independenter à decretis Divinis verificetur aliqua attributa, ut animal v. g. & rationale, non repugnare inter ſe ab æterno: nam revera non repugnaverunt, ut conſtat ex poſt facto; quia jam conſociantur: ſi autem ab æterno repugnaſſent, nunquam conſociata fuiſſent, ut probatum fuit. Neque tamen tali non repugnantiæ, aut ejuſdem ſubjecto tribuimus ullam realitatem ab æterno, niſi purè objectivam; ac proinde non eſt quòd Adverſarii conquerantur, quaſi entitati alicui reali tribuamus exiſtentiam ab æterno, quin & à Divinis decretis independentem. Igitur hoc argumento nihil ſolide probatur contra poſſibilitatem, adeòque nec contra impoſſibilitatem, de quâ controvertitur. Et nihilominus hoc ferè unicum eſt argumentum, in quo Carteſiani ſententiam ſuam ſtabiliunt, ut videre eſt apud Sylvanum Regis loco ſupra citato.

Digitized by Google

XIX. **Poteſt Deus, inquiunt, nolle impoſſibilitatem rei impoſſibilis.**

Objicies *Tertiò*. Fieri non poteſt, ut Deo nolente impoſſibilitatem alicujus rei, ea res ſit impoſſibilis: ergo nulla eſt impoſſibilitas independenter à voluntate Divina. Conſequentia patet, quia ſi res aliqua eſſet impoſſibilis, nec Deus impoſſibilitatem illius decreviſſet; poſſet contingere caſus, in quo res aliqua impoſſibilis eſſet, quamvis Deus in contrarium vellet eam eſſe poſſibilem. Antecedens verò probatur: tum quia ex parte rei impoſſibilis nihil excogitabile eſt, quod reſiſtere poſſit Deo nolenti ipſam eſſe impoſſibilem: tum etiam quia ſicut non poteſt fieri, ut Deo nolente exiſtentiam alicujus rei, ea res ſit exiſtens; ita nec fieri poteſt, ut res aliqua ſit impoſſibilis Deo nolente: quatenus tam potens eſt ad tribuendam, quàm ad denegandam rei cui tribuere, aut denegare voluerit exiſtentiam.

XX. **Addunt nullam rem poſſe certò judicari impoſſibilem.**

Præterquamquòd nulla eſt res, de quâ quis aſſerere poſſit eam impoſſibilem eſſe; ad id enim aſſerendum, nunquid eſſet comprehendenda Divina omnipotentia: quatenus ſi non comprehendis, non noſti quæcunque poteſt Deus efficere: id autem quod tu negas Deum poſſe efficere, eſt fortè inter illa, quæ efficere Deus poteſt. Atque ita cùm Divina Omnipotentia à nemine comprehendatur, hinc ſequitur nec quicquam in particulari proferri poſſe, quod pro impoſſibili reputetur; nec proinde etiam aſſeri univerſaliter poſſe, quòd dentur aliqua Deo impoſſibilia. Ergo neque impoſſibilia, imò neque poſſibilia ulla ſunt, niſi quæ Deus talia eſſe voluerit: quod evidenter pugnat contra ſuperiorem aſſertionem

XXI. **Sed nolitio illa eſt prorſus impoſſibilis.**

Reſp. Objectionem procedere de ſubjecto non ſupponente, ſeu potiùs non ſupponendo: quatenus ſupponitur poſſibilem eſſe caſum, in quo Deus nolit impoſſibilitatem rei alicujus impoſſibilis, quaſi verò velit ut poſſibile ſit id, quod ex hypotheſi eſt impoſſibille: cùm enim voluntas Divina non feratur in incognitum, nec quicquam aliunde lateat intellectum Divinum à quo dirigitur, non poteſt proinde appetere poſſibilitatem, ac multò minus exiſtentiam rei cognitæ impoſſibilis; uti neque in nobis unquam accidit, ut quod impoſſibile novimus, id appetamus. Tum verò fateor nihil reſiſtere poſſe Deo per reſiſtentiam phyſicam & poſitivam; ſed ſimul contendo nullum eſſe inconveniens in hoc quòd ei reſiſti poſſit per reſiſtentiam metaphyſicam & negativam; ſicque motus reſiſteret Deo, ſi vellet Deus, ut eſſet quies; &c. quia ſi motus eſſet quies, eſſet igitur motus & non motus: quod omnino contradictorium eſt: quamquam, ut dixi, non poteſt contingere caſus, in quo Deus velit contradictoria; & ſic Deo nunquam reſiſtitur, vel etiam metaphyſice & negative.

Digitized by Google

Ac tum denique dico ad aſſerendum non poſſe Deum impoſſibilia minimè neceſſariam eſſe comprehenſionem Divinæ Omnipotentiæ; ſed ſatis eſſe ſi comprehenditur, ut revera comprehenditur & convincitur multis argumentis non poſſe Deum mutare rerum eſſentias; nec multo minùs rem ullam componere ex eſſentiis contradictoriis: hinc enim ſufficienter probatur ad Divinam Omnipotentiam minime pertinere, ut quæ impoſſibilia ſunt, ea poſſibilia fiant: aut è contra.

XXII. Nec fallimur judicando quædam eſſe impoſſibilia.

Nunc autem ex dictis toto hoc articulo clare infertur poſſibilitates & impoſsibilitates rerum eſſe æternas, ac proinde etiam eſſe æternas eſſentias rerum omnium ſive poſſibilium, ſive impoſſibilium; quatenus ab æterno aut conjungi potuerunt propter non repugnantiam; aut conjungi non potuerunt propter repugnantiam attributa, quæ ad hujusmodi eſſentias pertinere intelligitur. Sic ad eſſentiam chimæræ ſpectant attributa, quæ ab æterno conjungi inter ſe non potuerunt: & è contra ad eſſentiam hominis ſpectant attributa, quæ ab æterno jungi potuerunt. Atque hinc ſequitur hanc propoſitionem ***homo eſt animal rationale*** eſſe veram ab æterno: quia ab æterno verum fuit poſſe conjungi animal & rationale ad conſtituendam naturam hominis: & èontra hanc propoſitionem ***lapis eſt animal rationale*** fuiſſe ab æterno falſam: quia falſum fuit ab æterno poſſe conjungi animal & rationale ad conſtituendam naturam lapidis. Unde intelligis qualiter propoſitiones attinentes ad eſſentias rerum veræ, aut falſæ ſint ab æterno: præter ea quæ ſuperiùs dicta ſunt de incommutabilitate propſitionis veræ in falſam, aut falſæ in veram: unde ſimiliter conſequitur propoſitionem, quæ nunc vera eſt pro eo tempore & modo quo vera eſt, fuiſſe ab æterno veram; aut ex adverſo falſam pro eo tempore ac modo, quo falſa eſt. Nec forte opus eſt ut annotetur poſſibilitatem rerum, etſi explicari ſoleat negative per non repugnantiam attributorum ad naturam rei poſsibilis attinentium, conſiſtere tamen potiùs, ut conjicitur, in aliquo poſitivo, quod explicare potes per conſociabilitatem eorumdem attributorum. Et hæc hactenus dicta ſint de eſſentia entis in communi.

XXIII. Qualiter eſſentiæ & propoſitiones eſſentiales ſunt ab æterno.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA ENTIS in communi.

I. Quid intelligi debeat per exiſtentiam.

NOTANDUM *Primò* rem omnem, ut ſupra dictum eſt, in ſtatu abſtracto poſſibilitatis talem eſſe, ut ei nihil deficiat ex omnibus attributis, quæ ad illius naturam, ſive eſſentiam ſpectant: alioqui non obtineret rationem entis veri: neque enim poteſt ens eſſe verum, niſi habeat totum id, quod habere debet ad hoc ut ſit id, quod eſt; idque conformiter ad normam immutabilem ſui exemplaris. At id totum non habet niſi per coadunationem attributorum omnium ſtatui ſuo eſſentiali convenientium. Nihilominùs rei cuivis in hujuſmodi ſtatu eſſentiali abſtracto conſideratæ concipimus adjici poſſe novam perfectionem, ſcilicet perfectionem exiſtentiæ, ſive actualitatis, per quam ex ſtatu abſtracto, aut aliter metaphyſico, in ſtatum concretum, ſive aliter phyſicum tranſeat: hæc autem tranſitio nihil aliud eſt quàm poſitio talis rei extra cauſas ſui productivas; quatenus donec exiſtat, cenſetur contineri intra ſuas cauſas, ut intra potentiam agentis naturalis, à quo ſuo tempore producetur. Eapropter ſolet exiſtentia in hunc modum definiri *Ultimus eſſendi actus, per quem res ponitur extra ſuas cauſas*; quam definitionem ſic intelliges: licet enim exiſtentia non habeat locum inter perfectiones eſſentiales rei, nihilominùs illis novum ſplendorem, & qui videbatur deeſſe, adjungit: unde vocari debuit *Ultimus eſſendi actus*: cæteræ autem particulæ modum exprimunt, quo ultimus ille actus acquiritur; ſcilicet in quantùm res, quæ priuſquam exiſteret, continebatur tantùm intra ſuas cauſas; aut, quod idem eſt, intra potentiam & activitatem naturalem ſuarum cauſarum, quas ſupponitur præexiſtere aut certe eſſe præextituras, tum extra illas conſtituitur, ut deinceps magis explicabo.

II. Quid ſit

Notandum *Secundò* quòd quando dicitur rem aliquam tranſire

de ſtatu poſſibili in actualem, ſive quod idem eſt de eſſentiali in exiſtentialem, id non ſic intelligi debet, quaſi res illa tranſeat de uno ſtatu reali in alium; nam nulla realitas eſſe poteſt abſque exiſtentia: atque ita res, quæ de aliquo ſtatu reali tranſiret in ſtatum exiſtentiæ, non exiſteret de novo, ut ſupponitur, ſed novæ ſuæ exiſtentiæ præextitiſſet, quod repugnat in terminis. Unde conſequenter intelligis tranſitum illum cujuſvis rei de ſtatu poſſibili in actualem non eſſe reputandum pro tranſitu reali, qualis omni mobili aut locum aliquem realem, aut perfectionem aliquam realem tranſmutanti tribuitur, ſed eſſe tantummodò logicum aut metaphyſicum propter ſcilicet terminum, à quo intelligitur tranſitus fieri; nam terminus ille ſive ſtatus puræ poſſibilitatis, aut etiam futuritionis nihil præter notionem objectivam, nempe logicam aut metaphyſicam, obtinet. **tranſire à ſtatu non exiſtendi in ſtatum exiſtendi.**

III. Proponitur ſtatus quæſtionis.

Et hinc rurſus ſatis conſtaret quàm turpiter errent plerique Ariſtotelici, qui notiones pure logicas aut metaphyſicas confundentes cum realitatibus phyſicis, eſſentiam fingunt ad inſtar entis realis, exiſtentiam verò ad inſtar alterius priori advenientis: ſicque in re exiſtente præſumunt diſtingui realiter eſſentiam ab exiſtentia. Satis, inquam, conſtaret quàm turpis ſit error ille: nihilominùs aut quia nimis invaluit, aut quia multis aliis deinceps reprehendendis occaſio fuit: eapropter non ſuperfluum erit paulò fuſiùs oſtendere qualiter nulla diſtinctio realis inter eſſentiam & exiſtentiam admittenda ſit; nec quantumvis diminuta. Sicque uno verbo diſtinctionem omnem realem ſive majorem, ſive minorem, ſive modalem, ſive formalem ex natura rei, &c. excludimus: alioquin nunquam hæc deciſio abſolveretur, ſi enucleandæ forent ſingulæ ſententiæ, in quas Thomiſtæ & Scotiſtæ, & Reales, & Nominales & alii ſectatores abierunt ad ſupradictæ diſtinctionis augendam, aut minuendam, aut temperandam realitatem.

Digitized by Google

ASSERTIO UNICA.

Inter eſſentiam & exiſtentiam nulla admittenda eſt diſtinctio realis quantumcunque diminuta, aut qualitercunque temperata per multiplicem terminorum ſcholaſticorum adinventionem: ſed ſola intercedit diſtinctio quædam mentalis, quam ſi volueris, voca rationis ratiocinatæ.

IV. Eſſentia per ſe ipſam nihil habet realitatis.

PROBATUR *primò*. Non poteſt eſſentia differre realiter ab exiſtentia, niſi per ſe ipſam ac præciſè ſumpta obtineat aliquam realitatem: atqui ſic ſumpta nullam obtinet: ergo &c. Major videtur patere ex terminis; nam ſicut quæ differenter ſunt alba, neceſſe eſt alba eſſe; & quæ differenter ſunt gravia, neceſſe eſt gravia eſſe; &c. ſic quæ differenter ſunt realia, neceſſe eſt realia eſſe: at duo aliqua differre realiter nihil aliud eſt, quàm eſſe differenter realia: quapropter meritò ſtabilitur eſſentiam, niſi per ſe ipſam aliquid realitatis obtineat, non poſſe realiter differre ab exiſtentia. Minor autem ſic probatur. Si eſſentia per ſe ipſam aliquid realitatis obtineret, vel illud jam obtinuiſſet antequam conjungeretur cum exiſtentia: vel non obtinuit niſi ex inſtanti conjunctionis cum illa. At neutrum poteſt admitti; non *primum* quidem, quatenus ex toto articulo præcedente ſatis conſtat nulli enti in ſtatu meræ poſſibilitatis, aut etiam futuritionis conſiderato convenire ullam realitatem. Nec *ſecundum*; quia per hoc quòd eſſentia conjungitur cum exiſtentia juxta noſtrum modum concipiendi, non acquirit niſi ipſam exiſtentiam: nec proinde aliam realitatem, quàm ipſius exiſtentiæ: quæ enim eſt illa realitas, quam eſſentiæ communicare exiſtentia poſſit præter ſuam? Igitur eſſentia neque ex inſtanti, neque ex vi conjunctionis cum exiſtentia obtinet realitatem ullam peculiarem, per quam differat ab exiſtentia; ſed ſi aliquam obtinet, illam utique obtinet, per quam cum exiſtentia ipſa identificatur. Præterquamquòd conjunctio præciſe prout conjunctio eſt, non mutat extrema, quæ conjunguntur: veluti adimendo illis aut adjiciendo novam aliquam realitatem: ergo propter illam, quam concipimus fieri conjunctionem eſſentiæ cum exiſtentia, non immutatur eſſentia; cùm itaque ante conjunctionem nihil realitatis ſibi propriæ obtineat, nec poſt conjunctionem obtinebit: ac proinde

proinde non poterit differre realiter ab exiſtentia; ut erat probandum.

Probatur *ſecundò*. Non poteſt eſſentia exiſtere per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam : ergo nulla differentia realis admittenda eſt inter eſſentiam & exiſtentiam. Conſequentia omninò legitima eſt : nam non renuunt Adverſarii eſſentiæ , de qua agitur , tribuere exiſtentiam : alioquin retineretur adhuc intra ſtatum meræ poſſibilitatis aut futuritionis ; ſicque nihil abſurdius eſſet , quàm audire eſſentiam roſæ v. g. exiſtentis eſſe adhuc poſſibilem, aut futuram. Antecedens autem probatur in hunc modum. Si eſſentia exiſteret per exiſtentiam à ſe realiter diſtinctam , exiſteret utique per exiſtentiam non ſuam : atqui manifeſtiſſima contradictio eſt in hoc , quòd aliquid exiſtat per exiſtentiam non ſuam : ergo &c. Sequela majoris certa eſt : nam eſſentia non habet pro ſuo , niſi quidquid ſibi connaturale eſt : at quidquid ab aliquo diſtinctum eſt , non eſt ipſi connaturale ; ſed potiùs accidentale , extraneum , & alienum. Minor autem probatur , quatenus exiſtere per exiſtentiam non ſuam eſt exiſtere per exiſtentiam , quæ eſt alterius rei : ſi igitur eſſentia tantùm exiſtit per exiſtentiam non ſuam , quid hoc aliud eſt , quàm non exiſtere eſſentiam , ſed exiſtere rem alteram , quæcunque interim illa ſit , ab eſſentia diſtinctam: igitur eſſentia tum exiſteret , tum non exiſteret ; quæ eſt contradictio manifeſta. V. Nec poſſet exiſtere, ſi diſtingueretur ab exiſtentia.

Atque ut videas totam latitudinem contradictionis , in quam meus Adverſariorum prolabitur , adverte ipſos aliunde conſtringi ad admittendam ſaltem eſſentiam ipſius exiſtentiæ ab ipſa indiſtinctam. Namque præter eſſentiam quæ eſt rei , v. g. roſæ , certum eſt ejuſdem roſæ , quæ producta ſupponitur , exiſtentiam præciſe ſumptam non carere ſua eſſentia , ſicut neque exiſtentia in communi caret ſua eſſentia , propter quam definitur *ultimus eſſendi actus*. Itaque ſaltem eſſentia illa , quæ eſt exiſtentiæ præciſe acceptæ , exiſtit per exiſtentiam à ſe indiſtinctam ; alias daretur progreſſus in infinitum in aſſignandis exiſtentiarum exiſtentiis. Ergo idem ſtabiliendum eſt pro eſſentia rei , nempe quòd exiſtere poſſit per exiſtentiam à ſe realiter indiſtinctam ; ita ut ſit una & eadem omninò res , cujus per duplicem conceptum nunc eſſentiam , nunc exiſtentiam cogitamus ; idque ad eum modum , quo exiſtentia præcisè ſumpta eſt certiſſime unica res , cujus tamen cogitare poſſumus eſſentiam diſtinctam ab eſſentia rei exiſtentis : nam eſſentia omnis exiſtentiæ eſt ultimus eſſendi actus : at eſſentia hominis eſt animal rationale ; & ſic de aliis. VI. Aperiuntur variæ contradictiones doctrinæ oppoſitæ.

Probatur *Tertiò*. Res phyſicè ſimplices perinde ac compoſitæ ſuam habent eſſentiam ſimul & exiſtentiam : atqui hinc conſequitur eſſen- VII. Saltem eſſentia

non diſtinguitur ab exiſtentia in rebus ſpiritualibus.

tiam non differre ab exiſtentia per realitatem ullam qualitercunque minuatur, aut nominetur: ergo &c. Major non revocatur in dubium: quis enim dubitet quin Deo & Angelis ſua tum exiſtentia, tum eſſentia competat? Minor autem ſic probatur. Res phyſicè ſimplices, ut ex notione ſimplicitatis phyſicæ ſatis patet, nullam admittunt phyſicam, ſive realem compoſitionem: ergo ſi res phyſice ſimplices perinde ac compoſitæ ſuam habent eſſentiam ſimul & exiſtentiam; hinc conſequitur eſſentiam non differre ullatenus realiter ab exiſtentia. Et hæc conſequentia ſic aperta eſt, ut nulla egeat probatione: nam ubicunque eſt diſtinctio realis, ibi eſt multiplicitas realis: ubicunque autem eſt multiplicitas realis, ibi rurſus eſt compoſitio realis; ut ex hoc quòd corpus & anima diſtinguantur in homine realiter, hinc in ipſo coefficiunt multitudinem, & ex conſequenti compoſitionem realem. Igitur nec abeſſet à rebus ſimplicibus compoſitio realis, & ſic non eſſent ſimplices contra hypotheſim, ſi in ſe ipſis admitterent diſtinctionem ullam realem eſſentiæ ſuæ ab exiſtentia.

VIII. Sic enim forent evidenter compoſitæ, quod repugnat ac præſertim in Deo.

Atque ut clariùs advertas quàm multiplex eſſet iſta compoſitio, attende non tantùm cuivis rei; ſed etiam cuivis attributo omnis rei exiſtentis convenire peculiarem ſuam eſſentiam & exiſtentiam ſimiliter: ſic enim ut ſubſtantialitas Angeli non eſt ipſa ejus immaterialitas, nec immaterialitas eſt intelligentia, nec intelligentia eſt voluntas, &c. ita nec exiſtentia immaterialitatis erit eſſentia ejuſdem immaterialitatis; &c. Igitur quot ſunt attributa in Angelo, tot erunt diverſæ compoſitiones reſultantes ex diſcrimine, quod comperietur inter eſſentiam & exiſtentiam cujuſlibet attributi. Cùmque multò plura ſint in Deo attributa, quàm in Angelo, hinc ſequeretur Divinam entitatem fore multò abundantiùs compoſitam; quod nec cogitari poteſt abſque manifeſta injuria ſimplicitatis Divinæ. Ex quibus omnibus ratiociniis hactenus deductis, ſatis utique conſtat nullam admittendam eſſe differentiam realem inter eſſentiam & exiſtentiam: ac proinde non intercedere aliam, quàm mentalem provenientem ex duplici ac ſucceſſivo conceptu, quo nunc eſſentia, nunc exiſtentia apprehenditur, & hæc cogitatur advenire illi. Cùmque non deſit in iſta ſerie cogitationum convenientia quædam ac rectitudo metaphyſica, eapropter, ut in aſſertione dictum eſt, nihil vetat quin diſtinctio illa mentalis reciproca eſſentiæ ab exiſtentia dicatur diſtinctio rationis ratiocinatæ: quaſi diceres rationis non deſtitutæ legitimo fundamento ſic & ſic cogitandi. De cætero autem fundamentum illud reale non eſt, ut magis intelligetur ex ſolutione objectionum.

Digitized by Google

IX. Opponitur eſſentiam & exiſtentiam eſſe ſeparabiles.

Objicies *Primò*, Quæcunque ſeparabiliter ſe habent ad invicem, patiuntur diſtinctionem aliquam realem : ſed eſſentia & exiſtentia ſeparabiliter ſe habent ad invicem : ergo &c. Major certa eſt, quia ex ex adverſo quæcunque identificantur, inſeparabiliter ſe habent ad invicem, quo pacto impoſſibile eſt propter mutuam identitatem, ut animal rationale ſeparetur ab homine. Minor autem probatur: tum quia eſſentia Petri v. g. erat in ſtatu futuritionis antequam Petrus exiſteret; rurſus quia poſt deſiſtentiam ejuſdem Petri manebit in ſtatu præteritionis ; ita ut ante exiſtentiam & poſt deſiſtentiam Petri, de illo perinde ac dum exiſtit verificetur, qualiter ſit animal rationale, Et hoc ratiocinium coincidit cum vulgatiſſima illâ Philoſophorum ſententiâ circa rerum eſſentias, quas docent eſſe immutabiles & æternas; at exiſtentiæ nec ſunt immutabiles, nec æternæ : ſunt itaque eſſentiæ ab exiſtentiis ſeparabiles : Ergo, &c.

X. At hæc ſeparabilitas non eſt niſi objectiva;

Reſp. Diſtinguendo majorem. Quæcunque ſeparabiliter ſe habent ad invicem, patiuntur, &c. id eſt ſeparabiliter ſeparabilitate reali, concedo majorem : id eſt ſeparabiliter ſeparabilitate tantùm objectiva, nego majorem : & conſequentiam præadhibitâ ad minorem ſimili diſtinctione ; cujus vim illicò concipis, advertendo ſtatum illum ; in quo concipi poteſt eſſentia Petri, ſive ante exiſtentiam, ſive poſt deſiſtentiam ejuſdem, non arguere in illa, niſi entitatem purè objectivam ac purè conſiderabilem ab intellectu. At evidenter omnis ſeparatio ſequitur ſortem entitatis, quæ ſupponitur ſeparata : non ergo alia ſeparatio eſſentiæ ab exiſtentia fingi poteſt, quàm purè objectiva ; & id quidem præſertim, quia pro illo temporis intervallo, quo concipimus eſſentiam eſſe ſeparatam ab exiſtentia, ſcilicet antequam exiſtat Petrus & poſtquam deſtitit, nihil in iſta reale eſt : ac proinde nec fundare, nec terminare poteſt reciprocationem diſtinctionis realis. Tum verò ſententia illa communis Philoſophica de immutabilitate & æternitate eſſentiarum non poteſt, niſi de utraque purè objectiva intelligi, ut conſtat ex articulo præcedente : atque ita nec quicquam indè colligi poteſt præter diſtinctionem purè objectivam inter eſſentias & exiſtentias.

XI. Opponuntur attributa earum contradictoria;

Objicies *ſecundò*. Illa omnia realiter diſtinguntur ab invicem, quorum proprietates ſunt omninò diverſæ, imo contradictoriæ: atqui tales ſunt proprietates hinc eſſentiæ, hinc exiſtentiæ : Ergo &c. Major conſtat, quia proprietates omnes ſunt proprietates alicujus rei, non autem nihili : ut autem ejuſdem rei eædem neceſſariò ſunt proprietates, ita proprietates non eædem, ſunt neceſſariò proprietates rei non ejuſdem, id eſt, multiplicis. Minor autem probatur ; nam eſſentiæ quidem

Ll ij.

Digitized by Google

proprium eſt invariabilem eſſe, æternam, improductam, ſuſceptivam exiſtentiæ, &c. & è contra exiſtentiæ proprium eſt variabilem eſſe, temporalem, productam; advenientem eſſentiæ, &c. quas proprietates advertis non eſſe utcunque diverſas, ſed inſuper contradictorias. Ergo, &c. Tum quoque cùm ſoleamus diſtinguere res ab invicem propter diverſos conceptus, quibus objiciuntur; non eſt cur renuatur diſtinguere eſſentiam ab exiſtentia; neque enim objiciuntur iiſdem conceptibus efformandis; ſed planè diverſis: ut patet ex variis definitionibus ac deſcriptionibus, quæ utrique à Philoſophis tribuuntur. Ergo rurſus hinc ſequitur alteram ab altera diſtingui realiter; & ſiquidem hæc diſtinctio non eſt realis major, ſaltem erit aut realis minor, aut realis modalis, aut realis formalis ex natura rei, prout à variis variè ſtabilitur.

XII. **Sed pro his attributis ſufficit diverſitas objectiva**

Reſp. Et nego majorem, niſi intelligatur de proprietatibus realiter diverſis; quales utique eſſe non poſſunt quæcunque illæ ſunt, quæ hinc eſſentiæ, hinc exiſtentiæ tribuuntur: cùm enim ex ſupradictis neutri, ſi per ſe ipſam ac præcisè conſideretur, conveniat niſi entitas purè objectiva, proprietates, quæ tali entitati conveveniunt, non poſſunt eſſe alterius ſortis; ſed erunt purè ac ſimpliciter objectivæ. Aliunde autem non mirum eſt entibus purè objectivis ſuas convenire proprietates; enti ſiquidem abſtracto tribuuntur, ut omnibus notum eſt, proprietates veri, boni, & unius. Tum etiam nec chimæræ carent ſuis proprietatibus, ex quarum nihilominùs diverſitate etiam contradictoria non rectè quis inferret diſtinctionem realem inter chimæras. Tum denique nec deſunt quæ aſſignari nihilo poſſint proprietates: atque ita patet nihil adversùs noſtram opinionem concludi hoc argumento ducto ex diverſitate proprietatum. Sed multò minùs concludit ſequens, quod adjicitur de diverſitate conceptuum; nam nulla eſt res adeò ſimplex, de qua efformare quis non poſſit ſucceſsionem conceptuum infinitam: atque ut nihil dicam de Deo, cujus ſumma ſimplicitas tot diverſis conceptibus attingi poteſt, quot ſunt ejuſdem attributa, & hæc ſunt infinita: neque vel unam atomum materialem finges, quæ non innumeris ſubjaceat conſiderationibus, aut quæ, ſi ad illius naturam & proprietates metaphyſicè & phyſicè ſpectandas mentem applicacare volueris, non ſufficiat multis voluminibus de ipſâ conſcribendis, perpetuiſque agitandis diſſertationibus. Itaque nullatenùs diſtinctio ulla realis quantumcunque diminuta probari poteſt ex diverſitate conceptuum, aut, quòd idem eſt, ex diverſitate definitionum, quæ ex conceptibus illis proveniunt: & ſane miror viros

Digitized by Google

literatos, tam fragilium ratiociniorum, quæ paſsim in Scholis objiciunt, non pudere.

Objicies *Tertiò.* Nullum eſt præter Deum ens, cui conveniat eſentialiter ſua exiſtentia: ſed è contra omni enti ſic conveniret, ſi diſtinctio realis nulla eſſet inter eſſentiam & exiſtentiam: ergo, &c. Majorem probant Theologi omnes ex hoc, quòd reſpectu cæterorum omnium entium exiſtentia ſit quid prorſus accidentale; potuerunt enim non exiſtere; & poſſunt non perſeverare in exiſtentia: at reſpectu Dei ex adverſo ſentiunt ipſum ſemper extitiſſe, ac ſemper extiturum eſſe ita neceſſariò, ut qui hanc neceſsitatem præſcinderet, vitiaret eſſentiam Divinitatis, propterea enim quòd ſit infinitè perfecta, non conſiſtit in potentia exiſtendi perinde ac eſſentia rerum creabilium, ſed in ipſo exiſtendi actu abſolutiſsimo & immùtabili. Minoris autem ſequelam probo in hunc modum; quia Deus non exiſtit eſſentialiter, niſi quatenus exiſtentia, quam obtinet, eſt ipſa ejuſdem eſſentia: At ſi generaliter loquendo nulla eſt diſtinctio realis inter eſſentiam & exiſtentiam, perinde cujuſlibet entis exiſtentia erit ejuſdem eſſentia, ut patet ex terminis: ergo, &c, Neque tandem diſsimulandum eſt quàm injurium foret Deo habere modum communem exiſtendi cum creaturis, quarum utique potuit nulla exiſtere: planè enim potuit Deus nullius futuritionem decernere, ſicque perſeverare in ea exiſtendi ſolitudine, quam obtinuit ab æterno: Ergo, &c. XIII. Arguunt res omnes extituras eſſentialiter.

Reſp. Et conceſſa majori nego ſequelam minoris, quam Objiciens non ſatis probat, quia non advertit diſcrimen, quod eſt inter exiſtere eſſentialiter, & habere exiſtentiam identificatam cum eſſentia: Nam cùm Theologi, & id meritò quidem, aſſerunt Deum exiſtere eſſentialiter, ſenſus eſt Deum ſic neceſſariò & immutabiliter exiſtere, ut eſſentia Divina nunquam non potuerit habere exiſtentiam ſecum conjunctam. At in hoc ſenſu nemo eſt, qui dicat creaturas exiſtere eſſentialiter, nam è contra omninò accidentale eſt, quòd exiſtant, nec extitiſſent unquam, niſi Deus futuritionem illàrum liberè decreviſſet: id tamen non impedit quominùs, quando ex hypoteſi factâ exiſtunt, ſuam tunc habeant exiſtentiam cum eſſentia identificatam: nimirùm quatenùs entitati ipſarum, licet uni omninò ac ſimplici, coaptari poteſt duplex ille conceptus hinc eſſentiæ, hinc exiſtentiæ: Itaque Deus exiſtit eſſentialiter abſolutè; at creaturæ non exiſtunt eſſentialiter, niſi tantùm hypotheticè, ſeu facta hypotheſi quòd exiſtant; ſicque vides quàm latum diſcrimen ſit inter modum exiſtendi Divinum & noſtrum, quamvis ſit quædam utriuſque con- XIV. At aliud eſt eſſentialiter abſolutè, & aliud eſſentialiter hypotheticè.

Digitized by Google

formitas, ſed minimè injuria Deo, ut ſatis patet. Aliunde verò illa exiſtentia, quam Ariſtotelici paſſim diſtingunt ab eſſentia rei, habet haud dubiè ſuam peculiarem eſſentiam, ut ſupra notatum fuit, ac ſecum identificatam, niſi procedere in infinitum voluerint in aſsignandis exiſtentiarum exiſtentiis: Si igitur idem eſſet exiſtere eſſentialiter ac habere exiſtentiam ſuam cum eſſentia identificatam, conſequenter de tali exiſtentia dicendum eſſet, quòd exiſtat eſſentialiter: atque ita eſſet Deus, ſi quid argumento facto convincitur: nihil ergo convincitur.

XV. Unde proveniat error doctrinæ oppoſitæ.

Ex dictis toto hoc articulo nunc *primò* inferam occaſionem erroris huncuſque impugnati hanc, ut opinor fuiſſe, quòd eſſentiam rerum illam, quæ æterna concipitur, fingant veluti deinceps in tempore productam, & ſic affectam exiſtentiâ adventitiâ, quaſi verò eſſentia illa æterna non ſit quid purè metaphyſicum, atque ita tum improducibile, tum immutabile, quale nihil eſt in rebus creatis. Non itaque eſſentia illa producitur, ſed producitur res, cui conveniunt realiter talia attributa, qualia objectivè conveniunt illi eſſentiæ abſtractæ, quæ præconcipitur. Nec advertunt fortè infinitas illas ambages entitatularum, pro quibus admittendis neceſſitantur, quia enim non tantùm res quælibet ſuam habet eſſentiam & exiſtentiam; ſed inſuper cuivis attributo talis rei ſua tum eſſentia peculiaris, tum exiſtentia convenit, hinc neceſſe eſt ut tot entitatulas eſſentiarum & exiſtentiarum in quolibet ſubjecto admittant, quot ſunt intelligibilia ejuſdem attributa. Ac denique neſcio cur non videant eſſentiam & exiſtentiam perinde ac eſſentialitatem & exiſtentialitatem, ſubſtantialitatem, immaterialitatem, cognoſcibilitatem, &c. non eſſe, niſi terminos abſtractos, & gradus metaphyſicos, quibus, ſi dogmata omnia Philoſophica non confunduntur, realitatem nullam licet tribuere.

XVI. Neque diſtinguitur realiter exiſtentia à ſubjecto exiſtentiæ.

Inferam *ſecundò* non aliâ diſſertatione opus eſſe, quâ fuſiùs convincatur exiſtentiam non differre realiter à ſuo ſubjectò; nam ſi contenditur quidem eſſentiam eſſe illius ſubjectum, litem abſolvimus. Aut ſi è contra aſsignatur quoddam aliud ſubjectum, quod utique erit ſubjectum exiſtentiæ ſimul & eſſentiæ; eadem ratio, quæ probat eſſentiam non differre à ſubjecto realiter, ſatis ſuadet nec ab illo ſic differre exiſtentiam; cùm impoſſibile ſit non identificari realiter cum uno tertio quæcunque talem inter ſe ſortiuntur identitatem. At apertiſsima eſt ratio, quæ probat eſſentiam non differre à ſuo ſubjecto realiter, quia eſſentia cujuſvis ſubjecti eſt adæquata & integra conſtitutio illius; omnis autem differentia realis integritatem & adæquationem

Digitized by Google

iſtam auferret: ſiquidem neceſſe eſt ut in alterutro è duobus, quæ realiter differunt, realitas aliqua deficiat: nam non differrent contra hypotheſim, ſi utrumque eandem omninò & ejuſdem realitatis menſuram obtineret. Igitur ad eundem modum, quo eſſentia non diſtinguitur realiter à re, ut ſic loquar, *eſſente*, ita nec exiſtentia à re exiſtente.

Nec obſtat quòd exiſtentia intelligitur advenire rei exiſtenti, quia pariter eſſentia advenit rei *eſſenti* juxta modum concipiendi metaphyſicum; Imo ut videas quàm copiosè multiplicentur conceptus metaphyſici, & ſimul quàm parùm probent multitudinem realitatum, attende non modò rem *eſſentem* conſtitui per eſſentiam veluti advenientem: ſed inſuper eſſentiam conſtitui per eſſentialitatem, & rurſus eſſentialitatem per aptitudinem eſſentializandi, & ſic deinceps, prout tibi libuerit multiplicare hujuſmodi abſtractiones. Et nihilominùs neminem ſcio, qui realiter diſtinxerit eſſentiam ab eſſentialitate, aut eſſentialitatem ab eſſentializatione, &c. Uno verbo ex hactenus dictis abunde conſtat, quàm ridiculum ſit rebus abſtractis ut eſſentiæ, exiſtentiæ, ſubſtantiæ, accidentalitati, & aliis id genus infinitis attribuere diſtinctionem, ullam realem, ſive reſpectu habito ad ſe invicem, ſive ad ſubjecta, quibus inhærere aut advenire concipiuntur: ſola quippe realitas fundare ac terminare diſtinctionem realem poteſt. At in talibus rebus abſtractis realitas nulla eſt, ſed tantùm entitas quædam aut, ut ita loquar, cognoſcibilitas, ſeu conſiderabilitas objectiva.

XVII. Aliàs multipli carentur diſtinctiones reales in infinitum

ARTICULUS III.

DE SUBSISTENTIA ENTIS in communi.

NOTANDUM *Primò* ens, de cujus exiſtentia in communi jam dictum eſt, poſſe dupliciter exiſtere, vel in ratione ſubjecti, vel in ratione ſubjectati, aut, quod idem eſt, vel in ratione ſubſtantis, vel in ratione accidentis. Quod ut plane intelligas cogita duo eſſe genera entium, quorum alia non tantummodò nata apta ſunt exiſtere; ſed inſuper ſuam communicare exiſtentiam illis, quæ non poſſent ſe-

I. Entium alia ſunt quæ ſubſtant, & alia quæ accidunt.

paratim exiſtere : idque præſtant illa admittendo in ſe ipſis veluti in ſubjectis. Alia autem cùm non poſſint ſeparatim exiſtere, indigent ad exiſtendum ſubjectis, in quibus recipiantur. Quia verò hæc receptio non fit, niſi quatenus alia quidem aliis accidunt, alia autem aliis ſubſtant, eapropter entia omnia, quæ exiſtunt, aut exiſtunt ſubſtando, aut exiſtunt accidendo; hoc eſt vel ſunt *ſubſtantia* vel *accidentia*. Hæc tamen duo exiſtendi genera non aliter putes diverſa, quàm ſecundùm diverſos reſpectus metaphyſicos; nam unum & idem revera ens poteſt diverſis illis reſpectibus ſubjacere & ſubſtantis & accidentis: ſic enim motus, cui competit eſſe accidens reſpectu mobilis, cui advenit, & cujus ſubjectatione indiget ad exiſtendum, rationem obtinet entis ſubſtantis reſpectu velocitatis, diuturnitatis, æqualitatis & cæterarum qualitatum ipſi advenientium, ipſumque exigentium pro ſubjecto, quo ſublato nunquam exiſterent: ut enim non poteſt exiſtere motus, niſi ſubjectetur in mobili, ita nec exiſtere velocitas aut diuturnitas poteſt, niſi ſubjectetur in motu.

II. Entium, quæ ſubſtant, alia ſubſtant complete, & alia incomplete

II. Notandum *Secundò* duo rurſus eſſe diverſa genera entium ſubſtantium, ſive ſubſtantiarum: nam alia quidem ſic conſtituta ſunt ex ſe ipſis, ut non refugiant unionem & compoſitionem; imo ut ad utramque à natura ordinatæ appareant; & hujuſmodi ſunt partes omnes, quæ veniunt, aut aptæ ſunt venire in compoſitionem cujuſcunque totius, ut ſunt partes cujuſlibet corporis; & illæ præſertim, quibus convenit eſſe formam & materiam illius. Talia autem entia dicuntur ſubſtare incompletè, ſive aliter & frequentiùs dicuntur ſubſtantiæ aut ſubſiſteniæ incompletæ: quo pacto ipſa etiam anima rationalis vocatur ſubſtantia aut ſubſiſtentia incompleta; propterea quòd in ratione partis concurrat ad conſtituendam unam & totalem hominis ſubſtantiam. Alia verò entia ſunt, quæ ſic ſuum habent ſubſtandi, ac proinde etiam ſubſiſtendi complementum, ut concurrere partialiter non poſſint ad conſtitutionem totalis alicujus ſubſtantiæ aut ſubſiſtentiæ: proptereàque illis competit eſſe & vocari ſubſtantias completas. Sic Angelus eſt ſubſtantia completa; ſic etiam leo, arbor, gemma; &c. pro ſubſtantiis completis reputantur; quatenus leo, & ſic de aliis non poteſt eſſe pars alicujus alterius compoſiti. Itaque naturæ omnes, quæ aptæ ſunt eſſe partes alterius, ſunt ſubſtantiæ incompletæ, & vocari ſolent tantummodò *ſubſiſtentes* cæteræ autem, quæ non ſic ſunt aptæ eſſe partiales, abſolutè vocantur ſuppoſita & hypoſtaſes, aut etiam perſonæ, ſi de naturis completis rationalibus, ſeu intellectivis agitur: ſic quippe ad diſcrimen nobilitatis dicimus perſonas Divinas, Angelicas & humanas: non autem perſonas equinas aut leoninas, ſed

hypoſtaſes,

hypoſtaſes equinas, leoninas, &c. ſive ſuppoſita equina, leonina, &c.

III. Hinc colligitur quid ſit ſubſiſtentia.

His prænotatis evidenter conſtat ſubſiſtentiam entis nihil aliud eſſe, quàm talem exiſtentiam, ratione cujus ens non tantummodò exiſtit ac ſiſtit in ſe independenter ab alterius conſortio, ſed inſuper concurrere poteſt ad communicandam exiſtentiam cæteris quibuſdam entibus, quæ ad exiſtendum indigent ut illud ſiſtat ſub ipſis, ſive ſubſtet, &, ut ſic loquar, ſubſternatur, unde vides qualiter iſte alter modus exiſtendi, quem vocabimus vocabulo non ineptè confiĉto *accidentiam* opponatur *ſubſiſtentiæ*. Nec quicquam de iſta ſubſiſtentia ſive incompleta, ſive completa addendum eſſet, niſi iſtam permulti Philoſophi Ariſtotelici falsò opinarentur eſſe aliquid reale ſuperadditum rei exiſtenti, quam & opinionem (quod pejus eſt) ad Theologica dogmata tranſtulerunt, & occaſio transferendi hæc fuit.

IV. Unde oriatur præſens difficultas, & qualiter ſolui poſſit.

Quia enim ex ſanĉtis Patribus & Conciliis colligitur Verbum Divinum aſſumpſiſſe humanitatem, ſed non aſſumpſiſſe hominem, id eſt, perſonam humanam; alioquin eſſent in Chriſto duæ perſonæ, quod eſt hæreticum; hinc præſumptum fuit perſonam importare entitatem aliquam realem ſuperadditam naturæ: quia verò id ipſum, quod in naturis rationalibus & intelleĉtivis vocatur perſona, in cæteris eſt hypoſtaſis & ſuppoſitum, ideo generaliter concluſum fuit ſubſiſtentiam completam, quocunque interim vocabulo aut ſuppoſiti, aut hypoſtaſis, aut perſonæ deſignetur, eſſe entitatem realem ſuperadditam naturæ exiſtenti. Itaque ut in hoc errore manifeſtando breviorem atque clariorem methodum ſequamur aſſeram *primò* ſubſiſtentiam, ſi contentio hæc intra limites purè Philoſophicos dirimenda eſt, non eſſe entitatem realem ſuperadditam naturæ exiſtenti: ac tum aſſeram *ſecundò*, nec ullatenus opus eſſe recurſu ad hujuſmodi entitatem realem pro explananda fide, quæ docet Verbum Divinum aſſumpſiſſe naturam humanam inaſſumptâ perſonâ.

ASSERTIO PRIMA.

Subſiſtentia, ac præſertim ſi loquimur intra limites purè Philoſophicos, non eſt entitas ulla realis ſuperaddita naturæ exiſtenti: quibus verbis excludo realitatem quantumcunque diminutam, ſicuti in articulo præcedente dictum eſt de exiſtentia.

V. Doctrina oppoſita repugnat ex parte naturarum ſpiritualium.

PROBATUR *Primò.* Si ſubſiſtentia eſt entitas realis ſuperaddita naturæ exiſtenti, id pariter verificatur in naturis ſpiritualibus & materialibus: atqui id in neutris verificatur: ergo, &c. Major conſtat, quia Adverſarii exceptionem nullam proponunt ſive pro iſtis, ſive pro illis. Minor autem ſic probatur. Et *primò* quidem id non verificatur in naturis ſpiritualibus ut in Angelis; nam in Angelis entitas hujuſmodi eſſet ſpiritualis: ſi autem ſpiritualis eſt, quare non erit intellectiva & volitiva? & ſic in Angelo eſſet tum duplex intellectus, tum duplex voluntas; quòd evidenter repugnat. Ne addam plurimas alias proprietates, quæ prædictæ entitati convenirent & propter ipſius diſcrimen reale, quod ſupponitur, diſtinguerentur à proprietatibus Angelicis, effecturas eſſe compoſitionem, quæ locum habere non poteſt cum ſpiritualitate Angelica. Neque *ſecundò* id verificatur in naturis materialibus; quia non poteſt idoneè illas afficere, niſi per coextenſionem: coextenſio autem ſupponit in rebus coextenſis partes utrinque pares numero; ſicque propter diſcrimen reale quod ſupponitur inter naturam materialem & ejuſdem ſubſiſtentiam, ibi comperirentur duo corpora realiter diſtincta; vel impenetrata, quod experimentaliter novimus falſum eſſe; vel penetrata, quod implicat.

VI. Ac præſertim earum, quæ partim ſunt ſpirituales, partim corporeæ.

Sed multò inſolubilior eſt difficultas, ſi agitur de ſubſiſtentia naturæ partim ſpiritualis, partim verò corporalis: quæ eſt conditio naturæ humanæ. Nam vel entitas illa, quæ ſubſiſtentiæ humanæ affingitur eſt ſpiritualis; vel corporalis; vel conſtans partim quidem ex corpore, partim autem ex ſpiritu. Si *primum*, contra eſt: quia generatio, ut aiunt, terminatur ad ſubſiſtentiam; at nihil ſpirituale generari poteſt. Si *ſecundum*, contra eſt; quia entitas purè corporalis ſaltem non poterit perficere animam rationalem, quæ in homine eſt; ut revera illam perficeret, ſi communicaret illi effectum formalem ſubſiſtendi: ſicque anima rationalis humana per ſe ipſam ſubſiſteret,

Digitized by Google

quod Adverſarii pernegant. Si *tertium* denique, contra denique erit; quia entitas illa, quæ conſtaret partim ex ſpiritu, partim ex corpore, quid eſſet niſi homo? at certe non eſſet illa ipſa humanitas, quæ ſupponitur egere ſubſiſtentiâ ſuperadditâ: eſſent igitur in eodem homine duæ humanitates. Quæ & ſimilia adeò ſunt abſurda, ut tantò abſurdior cenſenda ſit opinio, quæ talibus conſequentiis locum præbet: ergo &c.

Probatur *Secundo*. Entitas illa ſubſiſtentialis, quæ ſupponitur ſuperaddita rei exiſtenti non utique ſuperadditur niſi ad perficiendam illam vel intrinſece, vel extrinſece: ſed neque intrinſece, neque extrinſece illam perficit: ergo &c. Major conſtat; quia Adverſarii concipiunt ſubſiſtentiam perinde ac exiſtentiam ad modum formæ perficientis ſuum ſubjectum: & revera illi omnino inutiliter adveniret, niſi perficeret: neque aliunde hæc perfectio niſi vel intrinſeca, vel extrinſeca eſſe poteſt. Minor autem ſic probatur. Et *primò* quidem ſi ſubſiſtentia perficeret tantùm extrinſece rem exiſtentem ſequeretur realitatem intrinſecam rei exiſtentis aut non ſubſiſtere, aut ſubſiſtere per ſe ipſam: perfectio enim, quæ eſt purè extrinſeca, non afficit interiorem diſpoſitionem ſui ſubjecti, ſicut albedo non afficit interiorem contemplationem parietis. Neque *ſecundo* aſſeri poteſt, quòd ſubſiſtentia perficiat intrinſece rem exiſtentem; quia hoc ipſo quod ſupponitur diſtincta realiter à re exiſtente, non poteſt iſti conferre, niſi perfectionem diſtinctam; ideoque alienam, ac proinde non intrinſecam. Et tandem ſi ſubſiſtentia, de qua agitur, ſuam habet realitatem diſtinctam ab illa, quæ eſt propria rei exiſtenti, cui concipitur advenire, aperte ſequitur illam eandem ſubſiſtentiam non eſſe ſubſiſtentiam rei exiſtentis, de qua pariter agitur; ſed alterius rei: at evidens eſt nullam rem ſubſiſtere poſſe per ſubſiſtentiam alienam; idque ad eum modum, quo Petrus non poteſt exiſtere per exiſtentiam pauli; nec eſſe doctus per doctrinam Pauli; & ſic de aliis.

VII. Et aliunde ſubſiſtentia illa diſtincta, eſſet inutilis.

Sed neque prætereo cogi Adverſarios ad tribuendam entitati illi ſubſiſtentiali, quam à re exiſtente realiter diſtinctam ſupponunt, ſuam peculiarem eſſentiam, imo exiſtentiam, & ſubſiſtentiam: aut igitur entitas ſubſiſtentialis illa ſubſiſtet per ſe ipſam; & id probat entia omnia ſimiliter per ſe ipſa ſubſiſtere; aut dabitur progreſſus in infinitum in aſſignandis ſubſiſtentiarum ſubſiſtentiis. Igitur ſubſiſtentia, de qua ſermo eſt, non eſt entitas realis diſtincta à ſubjecto, cui convenit; ſed eſt merus gradus, aut modus exiſtenti metaphyſicus, nihil proinde obtinens, niſi formam & notionem metaphyſicam; ut magis intelligetur ex ſolutione objectionum ſequentium.

VIII. Atque hinc multiplicarentur ſubſiſtentiæ in infinitum.

IX. **Opponitur omnia entia ſubſtituta per ſe quod falſum eſt.** Objicies *primò*. Non omne ens exiſtens ſubſiſtit per ſe: atqui per ſe ſubſiſteret, ſi ſubſiſtentia nihil reale ſuperadderet enti exiſtenti: ergo &c. Major certa eſt; quia ſunt plurima entia, quæ naturaliter exigunt & opus habent ſubſiſtere in alio tanquam in ſubjecto; ut de motu, colore, figura, cæteriſque accidentibus planum eſt. Neque ſequela minoris minùs conſtat ex ipſis terminis: nam ſi ſubſiſtentia nihil reale ſuperaddit enti exiſtenti, conſequens eſt realitatem illam, quam ſubſiſtentia importat, reperiri in omni ente exiſtente: alioquin ſignum evidens eſſet realitatem ſubſiſtentiæ non eſſe ipſam realitatem exiſtentiæ. Quotieſcunque enim duæ realitates identificantur, non poteſt una ex illis in aliquo ſubjecto comperiri, quin altera comperiatur: atque ita omni enti, cui conveniret exiſtentia, conveniret quoque ſubſiſtentia; quod eſt falſum. Ergo &c.

X. **At oſtenditur id malè inferri.** *Reſp.* Et conceſsâ majori nego ſequelam minoris, pro cujus probatione ſolvenda dico ſubſiſtentiam præcisè in ſe ipſa nullam realitatem importare, ſive diſtinctam, ſive non diſtinctam ab alia quacunque aſſignabili; ſed ſolam notionem gradus alicujus metaphyſici: & ille quidem ipſe terminus abſtractus, quo deſignatur, id ſatis probat. Igitur ex hoc quòd omne ens exiſtens non ſubſiſtat per ſe ipſum, non bene arguitur ſubſiſtentiam eſſe realitatem diſtinctam ab exiſtentia & reciproce: nam diſtinctio realis inter duo extrema ſupponere debet utriuſque extremi realitatem; qualis in hoc caſu nulla eſt, ſive ex parte ſubſiſtentiæ, ſive ex parte exiſtentiæ. Atque ut magis pateat ſolutio propoſitæ difficultatis, vide quàm pravum eſſet ratiocinium ejus, qui ſic inferret. ***Non omne ens eſt poſſibile: ergo poſſibilitas ſuperaddit enti realitatem***: poſſibilitas enim, ut dictum eſt ſuo loco, non eſt realitas; ſed mera non repugnantia. Aut ſi aliter & in hunc modum inferret. ***Non omne ens poſſibile, eſt futurum: ergo futuritio eſt realitas ſuperaddita poſſibilitati***; nam quis hactenus realitatem ullam finxit in futuritione?

XI. **Contendunt entia ſubſiſtentia & accidentia eſſe duo genera entium.** Objicies *Secundò*. Entia ſubſiſtentia differunt realiter à non ſubſiſtentibus, id eſt, accidentibus: ergo ſubſiſtentia eſt aliquid reale ſuperadditum rei exiſtenti. Antecedens manifeſtum eſt: tum quia ſubſiſtere & non ſubſiſtere ſunt duo prædicata contradictoria, quæ non poſſunt uni & eidem realitati convenire: tum quia entia ſubſiſtentia ſunt etiam independenter ab omni intellectu priora ac præſtantiora accidentibus: hæc autem tam præſtantia, quàm prioritas ſatis denotat realitatem diſtinctam. Conſequentia autem ſic probatur: quatenus entia ſubſiſtentia non differunt ab accidentibus niſi per ſubſiſtentiam, & ad eum modum, quo homo non differt à leone, niſi per humanitatem. Igi-

tur ſubſiſtentia reale aliquid ſuperaddit rei exiſtenti ; alioquin nihil reale aſſignabile eſſet , per quod entia ſubſiſtentia à non ſubſiſtentibus discreparent : ſicuti nihil reale aſſignabile eſſet , per quod differret homo à leone , niſi humanitas eſſet aliquid reale ſuperadditum animali. Ergo &c.

Reſp. Et abſolute nego antecedens : tum quia non deſunt entia , quæ ſimul ſunt ſubſiſtentia & accidentia ſub diverſis reſpectibus , ut ſupra annotabam de motu , qui à mobili quidem ſubſiſtentiam emendicat ; ſed ſimul eam ſuppeditat velocitati , diuturnitati , æquabilitati , cæteriſque accidentibus , quibus ſubjacet. Tum rurſus quia cùm reſpectus illi ſive ſubſiſtendi , ſive non ſubſiſtendi ſint purè metaphyſici , non poſſunt niſi diſtinctionem metaphyſicam efficere inter entia hinc ſubſiſtentia, hinc non ſubſiſtentia. Exemplum autem , quod profert Adverſarius de homine & leone , non convenit ; quia homo & leo non ſunt res abſtractæ , quales ſunt eſſentia , exiſtentia , ſubſiſtentia , accidentia ſeu accidentalitas , & alia id genus. Sed ſi ſermo eſſet de humanitate , & ex adverſo , ut nomen aptum confingamus , de leoninitate in ſtatu conſimili abſtracto , perinde dicerem illas non differre inter ſe realiter , nec proinde poſſe conferre hinc homini , hinc leoni reſpective , differentiam ullam realem , quia in ſe ipſis realitatem nullam obtinent. Idque vellem in primis ad humani ratiocini rectitudinem , ut omnibus perſuaſum eſſet vocabulis abſtractis qualibuſcunque nihil deſignari , niſi formas & notiones metaphyſicas , in quibus nihil eſt entitatis productæ , ſive , quod idem eſt , phyſicæ realitatis. Quâ veritate ſemel ſtabilitâ nulla ſupereſſet difficultas de diſcrimine hujuſmodi formarum ſeu notionum , ſeu qualitatum , &c. ſive inter ipſas reciproco, ſive etiam inter ipſas & ſubjecta , in quibus recipi intelliguntur. XII. At contra eſt , quia idem ens poteſt eſſe ſubſ- tans & accidens.

ASSERTIO SECUNDA.

Nullum eſt argumentum Theologicum, quo compellamur ad admittendum diſcrimen ullum reale inter ſubſiſtentiam & naturam qualemcunque; ſed ſufficit metaphyſicum aut etiam morale , quod deinceps explicabitur.

PROBATUR. Et ut potero breviter , ne nimis extra fines metaphyſicos in Theologiam procurratur : ſic itaque diſcurro. Validiſſimum aut potiùs unicum argumentum Theologicum , quod Adverſarii objiciunt, deſumitur ex hoc , quòd Verbum Divinum aſſumpſe- XIII. Affertur potiſſima authoritas , in

Digitized by Google

qua Adverſarii conſidunt. rit naturam humanam,& non aſſumpſerit perſonam humanam,id eſt,ſubſiſtentiam humanitatis · unde ſic aiunt.Inter duo, quorum unum aſſumitur, alterum autem non aſſumitur,admittendum eſt diſcrimen reale : & ratio eſt, quia aſſumi & non aſſumi ſunt duo prædicata contradictoria , quæ proinde convenire non poſſunt uni &eidem ſubjecto reali. At humanitas à Verbo Divino aſſumitur : ſubſiſtentia ſive perſonalitas humanitatis non aſſumitur : & hoc eſt de fide ; nam aliàs eſſent in Chriſto duæ perſonæ , Divina ſcilicet & humana : quæ fuit hæreſis Neſtoriana damnata in variis Conciliis , ex quibus unum referam Francofordienſe celebratum anno 794. tempore Adriani Papæ primi , & Caroli Magni , ubi ex epiſt. Paſchaſii Romanæ Eccleſiæ Diaconi in libello de Spiritu Sancto cap. 4. ſic legitur. *In Deo homine*,id eſt Chriſto,*gemina ſubſtantia; ſed non gemina perſona eſt.* Eademque eſt mens Sanctorum Patrum , inter quos D. Aug. in libro de fide ad Petrum cap. 17. ſic ait *Firmiſſime tene , & nullatenus dubites Deum Verbum carnem factum , unam habere Divinitatis ſuæ , carniſque perſonam.... Deus enim Verbum non accepit perſonam hominis, ſed naturam.*

XIV. Ac tum potiſſima hæc ratio, in qua fundantur. Ratio quoque ſatis manifeſta adſtipulatur ; ſive quia repugnat duas perſonas uniri , perſonalitas enim importat complementum ultimum naturæ : at entia quæ completa ſunt , non poſſunt uniri : ſic quippe non eſſent completa contra hypoteſim ; ſed incompleta , ut pote concurrentia partialiter ad compoſitionem tertii cujuſdam entis. Sive etiam quia ſi ſupponimus duas perſonas uniri , eaſque eſſe inæqualis dignitatis , uti contingeret in hoc caſu humanæ perſonalitatis unitæ cum Divina , neceſſe eſt unam ab altera perfici : illa igitur quæ perficeretur , non eſſet hoc ipſo per ſe ipſam completa , atque ita amitteret dignitatem perſonæ. Sive demum quia actiones , ut vulgò dicitur, ſunt ſuppoſitorum, ac proinde quoque perſonarum : Igitur ſi in Chriſto eſſent duæ perſonæ , abſque dependentia unius ab altera ; actiones illius aliæ quidem fuiſſent purè & omninò humanæ : aliæ autem purè & omninò Divinæ ; nullæ autem fuiſſent Divino-humanæ & quæ aliter vocantur Theandricæ. Unde conſequeretur falſa eſſe quæcunque docent Theologi de communicatione idiomatum facta in Chriſto ; ac præſertim de merito infinito actionum ejuſdem , & de aliis id genus plurimis , in quibus fides Catholica ſtabilitur. Cur itaque ex his omnibus inferendum non erit perſonam addere aliquid reale ſupra naturam, & ſic generaliter comperiri diſcrimen reale inter qualemcunque ſubſiſtentiam &naturam?

XV. Natura & perſo- At hoc argumentum , cujus vim omnem paucis propoſui , nihil omninò convincit contra nos , qui contendimus metaphyſicum diſcrimen inter perſonam & naturam admiſſum ſufficere ad hoc , ut natura

na metaphyſice diffe rent

humana aſſumi à verbo Divino potuerit inaſumptâ perſonâ. Nec obſtat quòd aſſumi & non aſſumi ſint duo prædicata contradictoria; nam non tantummodò illa, ſed etiam quæcunque alia ſufficienter fundantur in diverſis reſpectibus metaphyſicis, aut etiam Logicis uni & eidem rei convenientibus. Sic quippe licet eſſentia & exiſtentia non differant niſi metaphyſice ab invicem, de illa tamen verificatur quòd nec produci, nec deſtrui poſſit: de iſta autem verificatur contradictoriè quòd poſſit & produci & deſtrui. Et ſimiliter quantumvis unica ac ſimpliciſſima ſit realitas animæ rationalis, nihilominus velle & non velle; intelligere & non intelligere; mereri & non mereri; & alia prædicata contradictoria hujuſmodi de illa verificantur ſecundùm diverſos reſpectus potentiarum, quibus prædita eſt. Itaque à pari potuit à Verbo Divino aſſumi natura humana juxta illum formalem ac præciſum conceptum, quo natura eſt; & non aſſumi juxta alterum formalem ac præciſum conceptum, quo ſubſiſtens eſt.

XVI. Et hæc differentia ſufficit pro ſolutione argumenti.

Sed ut aliunde argumento, quod proponitur, Theologico non deſit reſponſio Theologica, dico ſimiliter ſufficere diverſos reſpectus morales ad fundanda prædicata contradictoria, quales ſunt v. g. iſti duo reſpectus, quos ſeligo, hominis ingenui & ſervi: nam ut ingenuus, eſt ſui juris; ſed ſi in ſervitutem incidat, jam non eſt ſui juris: at eſſe ſui juris & non eſſe ſui juris ſunt duo prædicata contradictoria; & nihilominùs uni & eidem homini conveniunt propter duplicem illum moralem, ſive æſtimabilem reſpectum ingenuitatis & ſervitutis. Ille autem reſpectus moralis conſiſtens in hoc quod eſt eſſe ſui juris, optime convenit omni naturæ prout ſubſiſtenti: nam prout ſubſiſtens, eſt independens ſuique domina: ſicut ex adverſo ſi per ſe non ſubſiſteret, conciperetur eſſe veluti ſub dominio illius alterius entis, cujus ſubſiſtentiâ indigeret. Quo pacto natura humana hoc ipſo, quòd fuit aſſumpta à Verbo Divino, non fuit ſui juris, & ſic amiſit, per hoc ſolum quòd fuit aſſumpta, rationem ſuæ perſonalitatis; nec tamen ob id amiſit entitatem ullam realem, ſed ſolum illum reſpectum moralem, *eſſe* ſcilicet *ſui juris.*

XVII. Hæc ſolutio fundatur in Concilio, cujus afferunt authoritatem.

Et ne putes hanc reſponſionem eſſe gratis confictam adverte rationem quam ſubjunxit ſui dogmatis Concilium ſuprà laudatum Francofordienſe. ***In Deo homine gemina ſubſtantia; ſed non gemina perſona eſt.*** Ecce dogma Catholicum: Tum verò addit: ***Nam perſona perſonam conſumere poteſt, non ſubſtantia ſubſtantiam: quia perſona,*** ecce rationem, ***res juris eſt, ſubſtantia res naturæ.*** Quid itaque addit perſona ſupra naturam, niſi id quod eſt eſſe ſui juris? Id autem, quod eſt eſſe ſui juris, nihil eſt niſi reſpectus quidem moralis, cujus

amiſſio aut acquiſitio nullam immutationem realem importat. Habes quoque apud Innocentium tertium ſermone primo de Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo rationem conſimilem, quâ diſtinctè profert ***naturam nomen eſſe generis: perſonam verò nomen eſſe juris.*** Igitur ratio, ob quam Verbum Divinum aſſumpſerit humanitatem & non hominem, hæc una eſt tum naturalis, tum Theologica. Humanitas per hoc ipſum, quòd fuit unita Verbo Divino, ſive aſſumpta, deſiit eſſe homo; quia deſiit eſſe ſui juris, ſubſiſtendo deinceps non per ſe; ſed per ſubſiſtentiam Verbi Divini: Quare ſi illa eadem humanitas dimitteretur à Verbo Divino & redderetur ſibi ipſi, in hoc caſu fieret homo per recuperationem ſui juris, conſequentem ex ſola dimiſſione. Atque ita id ipſum expreſſiſſimè docet D. Thomas in 3. ſent. diſt. 5. q. 3. art. 3. ad 3. ***Separatio dat utrique partium totalitatem, & in continuis dat etiam utrique eſſe in actu. Unde ſuppoſito quòd Verbum Divinum hominem deponeret, ſubſiſteret homo ille per ſe in natura rationali, & ex hoc ipſo acciperet rationem perſonæ.*** Quibus verbis apertiſſimè innuitur ſubſiſtentiam cujuſvis naturæ deperire propter ſolam unionem cum natura nobiliori: ut contigit in hoc mirabili caſu naturæ humanæ unitæ cum Divina in Chriſto: ſic quippe perſonalitas Divina humanam conſumpſit, ſubmittendo humanitatem ſuo juri, ſibique ſimul vendicando attributionem & denominationem actionum ab illa prodeuntium: in quantum actiones ſunt & dicuntur ſuppoſitorum,

XVIII. Habet inſuper prædicta ſolutio exemplum hoc idoneum.

Neque deeſt exemplum ſatis congruum, quod experimentaliter peti poteſt, ſive ex unione partium alimentitiarum cum ſubſtantia primigenia viventis; quod illis deinceps ſuam ſubſiſtentiam & denominationem communicat: ſive præſertim ex inſitione arborum fieri ſolita: quando enim nobilior ſpecies, uti de more eſt, ignobiliori inſeritur; hæc ſervit illi, nec deinceps ſuos, ſed alienos fructus enutrit, quin & ſuo ipſo nomine ſpoliatur: uti quando inſeritur ſurculus mali armeniæ in truncum amygdalæ ſylveſtris: hic ab illo deinceps perficitur propter nobiliorem ſucci diſtributionem, unde ſuaviores ac pulchriores fructus conſequuntur, & ſic novam acquirit ſubſiſtantiam & denominationem, ſuamque priſtinam amittit. Quare ſi poteſt humana tenuitas qualicunque exemplo rem adeò incomprehenſibilem, qualis eſt Incarnatio Verbi Divini, explanare, illud præſertim, ut dixi, ſatis congruum eſt, quo dicatur à pari naturam Divinam veluti inſitam humanæ, iſtam in ſuum jus tranſtuliſſe: atque ita effectum fuiſſe ut perſonalitas Verbi Divini humanam conſumpſerit, & eapropter deinceps actiones

humanitatis

humanitatis aſſumptæ moderari cæperit & denominare, ità ut meritò dicantur omnes Theandricæ.

Objicies Authoritatem D. Thomæ, qui in 3. Sent. diſt. 5. q. 1. art. 3. ſic ait. ***Reſpondeo dicendum quòd Neſtorius, qui ponit duas in Chriſto perſonas, ex hoc deceptus fuit, ut dicit Boetius*** in lib. de duabus naturis, ***quia credidit idem eſſe perſonam & naturam: unde credidit quòd cum ſint duæ naturæ in Chriſto, ſint duæ perſonæ: & ex eodem fonte proceſſit error Euticetis, qui cum audivit unam perſonam in Chriſto, æſtimavit unam naturam: & ex eodem fonte contra Trinitatem proceſſit error Arii & Sabellii.*** Cúm itaque tot errores, idque contra fidem, derivati fuerint ex ſententia Philoſophica, quæ docet perſonam à natura, & ſimiliter omnem ſubſiſtentiam à natura non differre realiter: ſequitur illam ſaltem eſſe ſuſpectam ac proinde repudiandam. **XIX. Opponitur diſcurſus D. Tho. in contrarium ſentientis.**

Adde quòd ſuppoſita diſtinctione reali inter perſonam & naturam validè omninò & facilè explicatur, qualiter in Chriſto ſit natura humana abſque perſonalitate ejuſdem: quæcunque enim diſtinguuntur realiter, ſeparabilia ſunt: ſicque potuit Verbum Divinum unire ſibi humanitatem, & non unire perſonalitatem: At è contrà ſublatâ illâ diſtinctione reali multis ambagibus circuitibuſque utendum eſt pro prædicto dogmate fidei explicando: nec advertitur quòd ſi perſona non eſt niſi metaphyſicus, aut logicus, aut moralis, aut quivis alius reſpectus, neceſſe erit fateri Verbum Divinum aſſumpſiſſe, ſi minùs rationem formalem & abſtractam perſonæ, at certè omnem ejuſdem perſonæ realitatem: quandoquidem una eſt & eadem utriuſque, ſcilicet perſonæ & naturæ realitas. Igitur realiter eſſent in Chriſto duæ perſonæ Divina & humana, quod eſt hæreticum. Ergo denique rationabilius, ac præſertim in fide tutius eſt, admittere diſtinctionem realem inter perſonam & naturam, & generaliter inter omnem ſubſiſtentiam & naturam, vel eo maximè quòd non videtur, cur deneganda ſit perſonalitatibus creatis quædam realitas, idque ad inſtar Divinarum, quas conſtat eſſe ex toto reales. **XX. Et additur doctrinam communiorem eſſe expeditiorem pro explicatione myſterii, de quo agitur.**

Reſp. Sæpiſſimè id contingere, ut propter humanam ſive malitiam, ſive ignorantiam, aut contumaciam ex certiſſimis principiis falſiſſimæ conſequentiæ eruantur: ſatiſque erit referre exemplum gratiæ efficacis, ex cujus doctrina Calvinus intulit nos neceſſitari ad eos omnes actus, ad quos per gratiam efficacem compellimur. Sed nunquid propterea rejicienda eſt gratia efficax, eò quia Calvino præbuit occaſionem erroris prorſus hæretici? Aut nunquid potiùs retinenda eſt, **XXI. Sed prædictus D. Thomæ diſcurſus nihil obeſt.**

Digitized by Google

ſed explicanda eo, quo par eſt, modo ad conciliandam cum ipſa humanam libertatem? Tum verò quæ ſuſpicio, aut quod periculum eſt incidendi in errores Neſtorii, Euticetis, Arii, Sabellii, &c. cum planè ab illis abhorreamus, confiteamurque verbo, corde & opere fidem Catholicam, quæ docet tum eſſe in Chriſto duas naturas, Divinam nempe & humanam; tum non eſſe in illo, niſi perſonam unicam, ſcilicet perſonam Verbi Divini, &c.? Igitur de iſtis rebus fidei convenitur, tantùmque agitur de modo explicandi illas Philoſophico. Ac tum contendimus multo convenientiorem & veriorem eſſe illum, quo utimur, & quo ſi uſi fuiſſent prædicti hæretici, nunquam in errores ſuos incidiſſent; quia noviſſent perſonam, eo quòd res juris ſit, potuiſſe conſumi (ſecus autem naturam, quia res eſt ſubſtantiæ) per ſolam unionem cum perſona ac natura Divina: atque ita neque duas naturas negaſſent, neque duas perſonas admiſiſſent in Chriſto.

XXII. **Nec aliqua doctrina eſt vera, ideò quòd ſit expedita ad aliquid exponendum.**

Ad id verò quod additur reſpondeo ſæpiſſimè etiam contingere, ut principium falſum idoneum ſit ad aliqua clariùs & faciliùs explicanda: neque tamen propterea æquum eſt ut adhibeatur. Sic ad explicandum clarè & facilè cur in Divinis Pater generando Filium ſuum ei quidem ſuam Divinitatem communicet, Paternitatem autem non communicet, quid excogitari expeditiùs poteſt quàm ſi quis dicat Divinitatem diſtingui realiter à Paternitate? Et nihilominùs id omninò ſtultè diceretur, quia falſum eſt: itaque à pari quamvis ſuppoſitâ diſtinctione reali inter perſonam & naturam faciliùs explicetur, qualiter Verbum Divinum potuerit aſſumere naturam humanam inaſſumptâ perſonâ; non tamen hinc ſequitur diſtinctionem illam eſſe ſupponendam, ac multo minùs propugnandam, hoc uno titulo, quia falſa eſt, ut ſatis probatum fuit. De cætero cùm perſonalitas præcisè ac formaliter accepta nullam habeat realitatem ſibi propriam, ſed conſiſtat in puro quodam reſpectu metaphyſico, aut morali, ut diximus, ideo non poteſt verificari Verbum Divinum aſſumpſiſſe realiter perſonam humanam: quia ſenſus illius propoſitionis eſſet iſte, ſcilicet Verbum Divinum aſſumpſiſſe realitatem propriam perſonæ humanæ: at realitas talis nulla eſt. Aliunde autem differentia formalis inter perſonam & naturam ſufficit ad hoc, ut propoſitio quæ verificatur de natura, non verificetur de perſona; ſicuti propoſitiones multæ, quæ de intellectu verificantur, non verificantur de voluntate; quamvis utriuſque differentia non ſit niſi formalis, id eſt, abſtracta & metaphyſica: quis enim dixerit aut intellectum velle, aut voluntatem intelligere?

Digitized by Google

Demùm realitas illa, quæ competit perſonalitatibus Divinis, nunquid cum natura Divina identificatur? Quid ergo hinc probant Adverſarii, niſi in gratiam aſſertionis noſtræ voluerint inferre ſimilem eſſe identitatem realem in rebus creatis inter naturam & perſonam? Nec omittendum eſt non omnibus Ariſtotelicis identitatem iſtam diſplicuiſſe: nam Scotiſtæ illam docent; & videri apud ipſos poterit qualiter ſubſiſtentiam, de qua hîc agitur, explicent per ſolam negationem dependentiæ in exiſtendo; ita ut illa natura ſit ſubſiſtens, quæ ad exiſtendum non dependet à ſubjectatione alterius: ideò autem non dependet, quia eſt ſui juris, ſicut jam toties diximus. **XXIII. De cætero malè arguunt ex perſonalitatibus Divinis.**

Nec quicquam aliud ſubjungo; nam hæc, ut opinor, ſufficiunt ad convincendum id, quod *ſecundò* aſſeruimus nullum eſſe argumentum Theologicum, quo compellamur ad admittendum diſcrimen ullum reale inter naturam & ſubſiſtentiam, nec aliunde convenit difficultatem, quam tetigimus, Theologicam intra iſtos Metaphyſicæ limites curioſiùs aut profundiùs perſcrutari. **XXIV. Quæſtio hæc pertinet ad Theologiam: nec debuit tractari, niſi obiter.**

ARTICULUS IV.

DE ACCIDENTALITATE entis in communi.

NOTANDUM *primò*, ſive potiùs recolendum ex articulo præcedente alia quidem entia poſſe exiſtere ex ſe ipſis; alia verò non poſſe ſic exiſtere; ſed egere ſubjectatione extraneâ: & illa quidem meritò vocantur *ſubſiſtentia*, hæc autem non minùs congruè, *inſubſiſtentia* vocabuntur, nimirum propter ſubſiſtentiam, quæ illis; & è contra inſubſiſtentiam, quæ iſtis convenit. Cùm itaque iſta entia ſint ex ſe ipſis inſubſiſtentia: hinc patet quantùm neceſſe ſit, ut recipiantur in aliis, aut, quod idem eſt, ſubjectentur pro obtinenda ab illis communi exiſtentia, quandoquidem propriam ac ſingularem non habent. Atque inde fit, ut ſint eſſentialiter accidentia propter neceſſitatem eſſentialem, quâ premuntur, accidendi ſuis reſpectivè **I. Aliqua entia ſunt eſſentialiter accidentia.**

Digitized by Google

ſubjectis pro obtinenda, ut mox dixi, ab illis communi exiſtentia. Unde intelliges non eſſe ſimpliciter ac in omni rigore metaphyſico accidentia, cætera hujuſmodi entia, quæ accidunt quidem aliis; at non neceſſariò, propterea quòd ſeorſim poſſint exiſtere. Sic quippe cùm calix argenteus deauratur, aurum quidem illi accidit, & accidendo concipitur unam & communem obtinere cum illò exiſtentiam: nihilominùs quamvis non accideret, ſuâ ſeorſim exiſtentia frueretur: ideoque aurum non eſt, ut ſic loquar, accidens, niſi accidentaliter. At doctrina, virtus, motus, quies, & hujuſmodi entia plurima, ſunt eſſentialiter accidentia, quia abſolutè repugnat doctrinam, virtutem, motum, quietem, &c. exiſtere ſeorſim ab omni ſubjecto; ſicque eſſentialiter indigent accidere ad hoc, ut ſubjectentur, & ſubjectata exiſtant.

II. **Accidentium alia accidunt & componunt, alia non.**

Notandum *Secundò* poſſe aliquid dupliciter advenire alteri præexiſtenti, ſcilicet, vel ſic ut obtineat rationem compartis in ordine ad compoſitionem totius; vel ſic ut totius compoſitionem ſupponat quidem, ſed nihilominùs utcunque afficiat & exornet & denominet. Hoc pacto forma ſubſtantialis, ut Ariſtotelicè loquar, advenit materiæ præexiſtenti, videlicet ad componendum cum illâ totum, quod ex utraque coefficitur: at forma quam vocant accidentalem, v. g. color advenit compoſito præexiſtenti, nimirum illi, quod ex materia & forma unitis jam coaluiſſe intelligitur, atque ita non eſt pars compoſiti, ſed ornamentum, aut quid ſimile conferens illi convenientem denominationem, ob quam dicitur coloratum; atque ita de aliis. Nihilominùs Ariſtotelici non facilè convenirent in hoc quòd forma ſubſtantialis pro accidente habenda ſit, quamvis tam reverà accidat materiæ, quàm utrique color: idque tantummodò ſatagunt ut aſtruant rationem accidentis non convenire, niſi generi illi entium quæ adveniunt aliis, at non uti partes, quæ ad compoſitionem aliquam ordinentur. Tum rurſus multum aberit ut formam ſubſtantialem reputent pro accidente, cùm ex hoc ipſo quòd ſubſtantialis eſt, videatur poſſe ſeorſim ſubſiſtere: at accidentia ſtrictè ſumpta nullius ſubſiſtentiæ particularis capacia ſunt: quare neceſſariò & eſſentialiter ſunt in ſubjecto, ſicut Ariſtoteles docuit in categoriis cap. 2. his verbis. ***Atque id in ſubjecto eſſe dico, quod in aliquo quidem eſt & non uti pars: ut ſit autem ſeorſim ab eo, in quo eſt, fieri nequit.*** Verùm ſi ita eſt, ut non pro accidente habendum ſit, niſi quod nequit eſſe ſeorſim ab eo in quo eſt; non video cur & qualiter Ariſtotelici pro accidentibus reputant calceos, veſtes, arma, & alia id genus infinita, quibus hominem indui & exornari contingit: cùm nihil

evidentius ſit, quàm poſſe illa eſſe ſeorſim ab homine, cui accidunt.

Ambages autem & difficultates ac controverſiæ illæ omnes, quæ in Scholis Ariſtotelicis plurimæ ſunt, non aliunde proveniunt, quàm ex eò quòd falsò cogitatum fuerit &, ut puto, parùm cohærenter ad mentem ipſius Ariſtotelis, ſubſtantiam & accidens eſſe duo diverſa genera entium realium; cùm potiùs non ſint niſi duo diverſa genera conceptuum metaphyſicorum, quibus ſubjacet unum & idem ens reale ſecundum diverſos reſpectus hinc ſubſtandi, hinc accidendi. Quare non otioſum erit ſi in aſſertione ſequente oſtendam accidentalitatem entis in communi non eſſe, niſi formalitatem metaphyſicam, atque ita nullam importare realitatem tribuendam certò cuidam generi entium, quæ ſimpliciter pro accidentibus reputentur. **III. Subſtantia & accidens non ſunt duo genera entium.**

ASSERTIO UNICA.

Accidentalitas entis non eſt niſi formalitas quædam metaphyſica, atque ita nullam importat realitatem particularem ſive in ente, quod accidere, ſive in ente, quod ſubjectare concipitur.

PROBATUR *Primò*. In rebus ſpiritualibus nec minùs variæ, nec pauciores accidentalitates reperiuntur, quàm in materialibus: ergo accidentalitas entis non eſt, niſi formalitas quædam metaphyſica, quæ nullam importat realitatem. Conſequentia rectè deducitur: quia ſi accidentalitas aliquam ex ſe ipſa realitatem importaret, quot ſunt in Angelo v. g. diverſæ accidentalitates, tot eſſent diverſæ realitates: ſicque Angelus non eſſet contra hypotheſim res ſpiritualis; quia ſpiritualitas ſecum neceſſariò importat ſimplicitatem: & hæc realitatem multiplicem non admittit, imò excludit, ut ſatis conſtat. Antecedens autem ſic probatur attendendo ad accidentalitates illas, quæ enumerari in Angelo poſſunt: & ſtatim quidem præter proprietates naturæ Angelicæ omnes ac ſingulas, quæ pro accidentalibus meritò reputantur, vide quot cuilibet proprietati accidentalitates conveniant. Sic enim potentiæ intellectivæ angelicæ accidunt variæ ac variæ intellectiones: tum iſtis intellectionibus accidunt varii gradus perſpicaciæ, præter certitudinem, diuturnitatem, dignitatem, unitatem aut multitudinem objectivam, & cætera ejus generis plurima, quæ prædictam perſpicaciam comitantur. Similiter potentiæ volitivæ Angelicæ accidit exercere varios ac varios actus volendi; tum iſtis actibus accidit eſſe li- **IV. Non deſunt rebus ſpiritualibus ſuæ accidentalitates.**

Digitized by Google

beros, & ad varia virtutum genera pertinere præter inæqualem intenſionem ac promptitudinem; unde accidit illos eſſe magis aut minùs in genere iſto morali perfectos.

V. Nec tantùm naturales, ſed tranſcendentales, quæ ſimplicitatem auferrent.

Neque opus eſt ut enumerem accidentalitates illas tranſcendentales, quæ omni prorſus enti communes ſunt, ut eſſe quantum, ſcilicet quantitate virtutis aut molis, eſſe quale, eſſe relatum, eſſe activum, eſſe paſſivum, eſſe locatum, &c. Tantùmque addo juxta doctrinam oppoſitam, quæ omni accidentalitati realitatem aliquam tribuit, non modò nullam rem fore ſimplicem; ſed inſuper res illas, quæ pro ſimplicibus habentur, forè multò magis compoſitas, quatenus ex hoc quòd perfectiores ſunt, tantò pluribus & præſtantioribus proprietatibus abundant; ſicque ſimiliter tantò pluribus accidentibus abundarent. Ergo, &c.

VI. Afferuntur in exemplū accidentalitates, quæ non ſunt reales.

Probatur *ſecundò*. Eſſe calceatum, & ſic de aliis, eſt accidentalitas quædam: ſed hæc accidentalitas nullam realitatem importat particularem ſive in ente, quod accidit, ſive in ente, quod ſubiectat: Ergo &c. Major conceditur ab Ariſtotelicis, qui aliunde conqueri non poſſunt, quòd pro exemplo potiùs aſſumatur *eſſe calceatum* quàm eſſe calidum, aut quid ſimile: quia Ariſtoteles utrumque pariter ſtatuit ſub accidente tranſcendentali, & utrumque retulit ad unum & alterum ex novem prædicamentis, quæ inſtituta eſſe voluit pro variis generibus accidentium continendis. Minor autem probatur quoad utramque partem. Et *primò* quidem accidentalitas illa nullam importat realitatem particularem in ente, quod accidit, ut in calceo; nam quòd calceus actu calceet pedem, aut non; nihil realitatis ſive acquirit, ſive amittit; ſed plane eandem menſuram realitatis ſervat, eandem ſcilicet corii & fili, quo conſuitur, realitatem: atque ita quidquid realitatis obtinebat calceus antequam calcearet, id totum retinet cùm calceat; ſed nihil aliud. Neque *ſecundò* accidentalitas illa importat realitatem ullam in ente, quod ſubjectat; uti in homine, qui ſupponitur calceatus; nam quòd homo ſit calceatus actu, aut non: id nec auget, nec minuit realitatem corporis humani; ſed plane relinquit invariatam. Quid ergo ſupperaddit homini id, quod eſt eſſe calceatum? nihil plane aliud, niſi reſpectum metaphyſicum, quo ſtatus hominis calceati ab altero ſtatu hominis non calceati diſcernitur: nec quicquam aliud ſuperaddit parieti id, quod eſt eſſe dealbatum: nec quicquam aliud ligno id, quod eſt eſſe calidum: &c. cùm non aliter dealbetur paries, quàm per ſuperinductionem calcis, quæ ſubſtantia quædam eſt: nec aliter calefiat lignum, quàm per ſubingreſſionem ignis, ſeu effluvii corpuſcularis igniti, quod rurſus ſubſtantia quædam eſt: & ſic de aliis. Ergo accidentalitas entis non importat niſi formalitatem meta-

Digitized by Google

phyſicam; minimè verò ullam realitatem particularem, quæ illi, præciſè ut accidentalitas eſt, acceptæ tribuenda ſit.

Præterea ſi bene advertis accidentalitas non eſt, niſi quædam inſubſiſtentia; quidquid enim alteri accidit, ex hoc ipſo quòd accidit, intelligitur ſubſiſtere per ſubſiſtentiam ejus, cui accidit, id eſt per ſubſiſtentiam ſui ſubjecti; ſicque eſt per ſe ipſum inſubſiſtens. Cùm autem ſubſiſtentia, ut in articulo præcedente probatum fuit, non ſit niſi gradus quidam ſive ſtatus metaphyſicus; id ipſum erit, & potiori quidem titulo, aſſerendum pro inſubſiſtentia, quæ nihil eſt, niſi carentia quædam ſubſiſtentiæ. Ac tandem ut plane convincaris accidentalitatem non eſſe niſi formalitatem metaphyſicam; id te magnoperè juvabit, ſi attendas ad illa genera accidentium, quæ ſuperiùs dicebam eſſe neceſſariò, imo eſſentialiter accidentia, ex eo quòd impoſſibile prorſus ſit ea ſeorſim ab omni ſubjecto exiſtere; uti ſunt deambulatio, ſaltatio, eruditio, locutio, cogitatio, deſiderium, ira, &c. Nam cùm id omne quod reale eſt, ſuam habeat realitatem; & aliunde repugnet dari realitatem non exiſtentem: ſic quippe eſſet ſimul & non eſſet realitas: eapropter evidens eſt ſaltem illam accidentalitatem, quæ deambulationi, ſaltationi, eruditioni, locutioni, cogitationi, &c. convenit, non eſſe niſi formalitatem metaphyſicam. Si quando autem ſubſtantiæ aliæ aliis accidunt, ut calx parieti dealbato; aurum calici deaurato; veſtes homini veſtito; &c. quid tum? An non conſtat ex jam dictis nullam in hoc caſu produci realitatem particularem, cui ſit tribuenda accidentalitas; ſed ſolam contingere inductionem novi ſtatus, qui proinde novo reſpectui metaphyſico ſubjacet? Quæ omnia clariùs intelligentur ex ſolutione objectionum ſequentium.

VIII. Accidentalitas non eſt niſi inſubſiſtentia, ideoque non eſt realis.

Objicies *Primò*. Si accidentalitas non importaret ſpecialem aliquam realitatem, ſequeretur eandem fore realitatem ſubſtantiæ & accidentis: ſed falſum eſt unam & eandem eſſe utriuſque realitatem: ergo &c. Sequela majoris eſt evidens ex terminis; nam ſi accidentalitas non habet ſpecialem realitatem, non erit proinde alia realitas ſubſtantiæ, & alia accidentis; ſed una & communis erit realitas utriuſque. Minor autem ſic probatur *primò*, quia ſi una & eadem eſt utriuſque realitas, non debuiſſet ens reale dividi in ſubſtantiam & accidens; aut hæc diviſio reputari deberet pro fictitiâ non minùs quàm illa, quæ fieret entis humani in hominem & animal rationale. *Secundò* quia quando realitas eſt communis, neceſſe eſt ut proprietates communes ſint: quando autem omnes proprietates communes ſunt, neceſſe eſt ut pariter communes ſint definitiones: ni-

VIII. Opponitur diſtinctio realis inter ſubſtantiam & accidens ob multa motiva.

hilominùs conſtat definitionem ſubſtantiæ non eſſe communem accidenti : ergo &c.

IX. **Sed contenditur hanc diſtinctioné eſſe merè metaphyſicá.** *Reſp.* Et conceſsâ ſequelâ majoris nego minorem, ad cujus priorem probationem ſolvendam dico diviſionem entis realis in ſubſtantiam & accidens non eſſe fictitiam, quaſi omni fundamento rationabili deſtitutam; ſed nihilominùs eſſe purè mentalem, & metaphyſicam : quia non importat niſi diverſos reſpectus metaphyſicos, unum *ſubſtandi*, & alterum *accidendi*; & tales quidem, qui non tantùm ſucceſſive, ſed etiam ſimul poſſunt uni & eidem rei convenire: ſic enim motus in ordine ad corpus mobile habet reſpectum *accidendi*; in ordine autem ad velocitatem habet reſpectum *ſubſtandi.* Similiter veſtes veſtito accidunt, ſubſtant autem colori, formæ, pulchritudini, opulentiæ, & aliis accidentibus; nullumque ex iſtis accidentibus eſt, quod non ſubſtet aliis, uti color rubedini, ſplendori, mutabilitati, ſimilitudini, localitati, &c.

X. **Quia res eadem poteſt ſubſtare & accidere ſub diverſis reſpectibus.** Neque mirum eſt rem unam & eandem eſſe ſubſtantem & accidentem ſub diverſis reſpectibus : quandoquidem homo, ut non recedam ab exemplo, quod objicitur, eſt & non eſt animal rationale ſub reſpectibus diverſis; nam homo ſub reſpectu definiti non eſt animal rationale, ſed tantùm ſub reſpectu definitionis : neque rurſus eſt animal rationale, niſi ſub reſpectu quodam metaphyſico : non autem ſub phyſico, ad quem ſi attendatur, definiendus erit aliter homo in hunc aut conſimilem modum *Creatura conſtans ex corpore organico, & anima rationali.*

XI. **Et hi diverſi reſpectus ſufficiunt ad diverſas definitiones.** Tum ad poſterioris probationis ſolutionem dico ad diverſitatem definitionum nec naturas, nec proprietates realiter diverſas deſiderari; ſed ſufficere reſpectus diverſos; quales uni & eidem naturæ; ac tum etiam uni ejuſdem naturæ proprietati poſſunt convenire, imo in rebus ſimpliciſſimis; ſic enim Deus aliter definitur ut miſericors, & aliter ut juſtus; licet unica & unicè ſimpliciſſima ſit entitas Dei miſericordis & juſti : ſic etiam anima rationalis aliter definitur ut intellectiva, & aliter ut volitiva; licet una, eademque ſit entitas realis animæ intelligentis & volentis. Quapropter, ut patet, ex hoc quòd definitio ſubſtantiæ non conveniat accidenti, aut è contra, non ſequitur admittendas eſſe duas realitates, quarum una conveniat ſubſtantiæ, & altera accidenti.

XII. **Opponitur ſeparabilitas acciden-** Objicies *Secundò*. Ubicunque eſt accidentalitas, ibi reperitur ſeparabilitas : ergo accidentalitas non eſt tantummodò formalitas quædam metaphyſica; ſed præterea eſt quædam realitas. Conſequentia manifeſta eſt : quia omnis ſeparatio eſt apertiſſimum indicium diſ-

tinctionis

tinctionis realis : atque ita omnis ſeparabilitas importat realitatem, ſcilicet convenientem accidenti ſeparabili & diſtinctam ab illa, quæ ſubjecto talis accidentis ſupponitur convenire. Antecedens autem ſic probatur. *Primò* quia accidens juxta receptiſſimam definitionem eſt id, quod poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto abſque ſubjecti corruptione. Et *ſecundò* quia non poſſunt aliter, quàm per hujuſmodi ſeparabilitatem accidentium explicari mutationes ſubjectorum : uti cùm aqua ex frigida in calidam aut è contra ; cùm cera ex dura in mollem ; cùm arbor ex viridi in aridam ; & ſic de aliis, commutatur. De cætero quoque ſatis notum eſt accidentia ſuis ſubjectis advenire, atque ita eſſe poſteriora illis : unde quamvis ſeparari ab iiſdem deinceps non poſſent ; nihilominùs hæc poſterioritas ſufficienter probaret dari realitatem accidentium diſtinctam à realitate ſubjectorum ; & eapropter accidentalitatem entis in genere non conſiſtere tantum in aliqua formalitate metaphyſica, ut aſſertum fuit.

Reſp. diſtinguendo antecedens. Ubicunque eſt accidentalitas, ibi eſt ſeparabilitas aut realis, aut mentalis, concedo antecedens ; realis, nego antecedens ; & conſequentiam. Tum verò ſic explico diſtinctionem : quatenus omne quod eſt realiter ſeparabile, poteſt exiſtere ſeorſim, imo hoc ipſo quod ſeparabitur, exiſtet ſeorſim ; ſeparatio enim non eſt, ut opinor, annihilatio, ſed mera ceſſatio unionis. At accidentia, illa ſcilicet quæ neceſſariò ſunt accidentia, non poſſunt exiſtere ſeorſim à ſuis ſubjectis, ut dictum eſt. Quis enim unquam putavit cogitationem v. g. poſſe exiſtere ſeorſim à cogitante : aut quis unquam finxit deambulationem exiſtentem ſeorſim à deambulante ; & ſic de aliis ? Quod autem ſpectat ad accidentia, quæ non ſunt neceſſariò accidentia, ut indumenta reſpectu hominis qui induitur ; hæc equidem realiter ſeparari & exiſtere ſeparatim ab homine poſſunt ; at id non illis competit præciſe ut accidentia ſunt: ſed quatenus aliunde habent entitatem per ſe ſubſiſtentem, & ratione cujus inter ſubſtantias enumerantur. Hinc patet nullius eſſe roboris, duo illa argumenta quæ ad probationem antecedentis, quod diſtinximus, adducuntur.

XIII. At hæc ſuperabilitas eſt tantùm metaphyſica.

Neque vim ullam addit, id, quod tandem ſubjungitur accidentia ex hoc, quòd ſint poſteriora ſuis ſubjectis, diſtingui realiter ab illis : nam præterquamquòd poſterioritas illa non eſt niſi metaphyſica, ſatis conſtat unum & idem poſſe eſſe prius ac poſterius ſe ipſo ſecundùm diverſos reſpectus ; quemadmodum unus idemque homo prout eſt riſibilis eſt poſterior ſe ipſo, prout eſt rationalis. Niſi inſuper quòd accidentia, quibus ſubjacent res ſpirituales ac ſummè ſimplices perinde

XIV. Et idem dicendum de poſteriotitate quam objiciunt.

intelliguntur poſteriora ſuis ſubjectis ; unde ſi hæc poſterioritas realitatem argueret, ſequeretur attributa accidentalia, quæ rebus ſimplicibus conveniunt, auferre earum ſimplicitatem. Nec deinceps reputanda eſſet pro re ſimplici ſapientia, vel anima ſapiens, in qua ut legitur ſap. 7. reſidet ***ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens***, &c. nam hæc & alia multò plura, quæ ibidem enumerantur ſapientiæ attributa, cùm accidentalia ſint, & eapropter poſteriora ; haud dubie illam realiter componerent, ſi poſterioritas accidentalis per ſe importat realitatem in accidentibus, quibus tribuitur: attamen ibidem quoque ſubjungitur. ***Et cum ſit una, omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innovat.*** Ex quibus omnibus attente perpenſis eruenda erit ſolutio objectionum conſimilium, quæ poſſent circa hanc materiam intorqueri.

XV. Eapropter quidquid ſpectat ad formalitates entiũ eſt metaphyſicum.

Colliges tandem ex dictis doctrinam toto hoc articulo ſtabilitam eò collineare, ut intra limites metaphyſicos omninò concludatur, quidquid ſpectat ad formas & formalitates accidentales : ac ſimul ut inſinuetur, quàm turpis ſit error Ariſtotelicorum, qui illas in Phyſicam tranſtulerunt. Neque id inſinuaſſe parum proderit ad id, quod adversùs eaſdem paratur in Phyſica convincendum ; vel paulò viciniùs ad id, quod in diſputatione mox ſubſequente probabitur in particulari contra præſumptam realitatem quantitatis, qualitatis, relationis & aliarum formalitatum accidentalium, quæ ſubdividunt accidens generaliter conſideratum.

DISPUTATIO QUARTA.

DE PRÆDICAMENTIS, SIVE de ente prout in decem prædicamenta varia diſtributo.

PRÆSENS diſputatio abſolvetur ſex articulis, in quorum *primò* agam de ſubſtantia; in *ſecundò* de quantitate; in *tertio* de qualitate; in *quarto* de relatione; in *quinto* de actione & paſſione; ac tandem in *ſexto* de quatuor reliquis prædicamentis. Verùm omninò neceſſe eſt, ut circa doctrinam iſtam prædicamentalem, aliàs categoricam, procemialia quædam ſtabiliantur.

Primò itaque Ariſtoteli libuit dividere ens reale, de quo hactenus univerſaliter actum eſt, in decem veluti claſſes, quæ ex hoc prædicamentales dictæ ſunt, quòd entia intra ipſas comprehenſa alia de aliis prædicentur; & id quidem cohærenter ad illum, quem inter ſeſe tuentur ordinem genericum, aut ſpecificum, aut individualem. Hoc pacto prædicamentum v. g. ſubſtantiæ nihil aliud eſt, quàm certa quædam ſeries entium, quæ ſubſtantialia cum ſint, continentur ſub genere ſupremo ſubſtantiæ: & quæ rurſus prout ipſa magis aut minus late patent, celſiorem aut humiliorem in prædicta ſerie locum occupant; ſic enim in ſerie iſta ſubſtantiali prædicamentali celſiorem locum occupat corpus, quàm vivens; & rurſus vivens celſiorem quàm animal; & tandem animal celſiorem quàm homo; quia homo ſub animali; ut animal ſub vivente; & vivens ſub corpore continetur: individua autem his omnibus enumeratis ſpeciebus ac generibus ſubjacent ad eum modum, quo utriſque commune eſt ſubjacere ſupremo generi, quod eſt ſubſtantia in abſtracto. I. Quid ſit & quotuplex ſit prædicamentum.

Uno verbo tum omnes ſubſtantiæ; tum omnes differentiæ ac partes ſubſtantiales aut per ſe, aut ratione totius, cujus ſunt differentiæ vel partes, ſuum in iſto prædicamento locum habent: quin imo II. Quæ ſit latitudo

Digitized by Google

cujuſlibet prædicamenti.

nec in illo ſua loca denegantur privationibus & negationibus perfectionum ſubſtantialium : non quòd non potiori jure excludi debeant; ſed quia faciliùs intelligitur quid ſint , cum propiùs ad perfectiones , quarum privationes & negationes ſunt , referuntur. Quod autem dictum eſt de omnibus entibus , quæ qualitercunque ad ſubſtantialitatem ſpectant & referuntur , concludendis intra prædicamentum ſubſtantiæ ; id ſimiliter intellige de generibus , ſpeciebus , individuis , differentiis , proprietatibus , partibus , perfectionibus , quin etiam imperfectionibus quocunque modo ad quantitatem attinentibus , intra ejuſdem quantitatis ſeriem prædicamentalem coordinandis : nec aliter diſcurrendum eſt pro prædicamento qualitatis , relationis , &c.

III. Qualiter diviſio prædicamentalis ſit arbitraria.

Secundò. Diviſio hæc Ariſtotelica entis in decem claſſes prædicamentales eſt omninò arbitraria : potuitque perinde fieri in plures aut pauciores , & in rigore quidem Philoſophico ſi perpenditur , non debet fieri niſi in duas, ſcilicet in claſſem prædicamentalem ſubſtantiæ , & in claſſem prædicamentalem accidentis ; quatenùs primaria ac generali diviſione omne ens aut eſt ſubſtantia , aut eſt accidens. Aut ſi è contra ad multiplicandas hujuſmodi claſſes licuit Ariſtoteli ſubdividere accidens in quantitatem, qualitatem , &c. Nemo eſt cui pariter non liceat ſubdividere quantitatem , qualitatem , &c. in ſpecies reſpectivè diverſas : Sed præſertim ac convenientiùs ex altera parte licebit ſubdividere ſubſtantiam in materialem & immaterialem ; in animatam & inanimatam, &c. tantòque meliùs , quantò notitia ſubſtantiæ præſtat illi , quæ habetur de accidentibus. Unde patet quàm non tantùmmodò licitè ; ſed etiam utiliter potuerint multiplicari claſſes prædicamentales ultra decadem Ariſtotelicam. De cætero nihilominùs cùm nihil interſit ſic aut aliter entia diviſiſſe , dummodò ad accuratam illorum notitiam perveniatur , non reprehendam prolixiùs prædictam diviſionem : monebo tantùm prolixiorem hujuſmodi reprehenſionem poſſe videri apud Arriagam diſp. 3. metaph. ubi audacter profert in nulla unquam diviſione tot fuiſſe vitia , quot in iſta ; ac tum concludit in hunc modum. *Iam mirandum eſt , qualia hìc non dicant viri aliàs docti & graves , ut poſt tot vitia (ferè enim habet omnia ſeptem mortalia) exactiſſimam hanc diviſionem eſſe demonſtrent.* Et deinde ſubjungam obiter non ſaltem ſatis invicte probari ex merito præſumpto illius diviſionis celſitatem, ut putant , empyream ingenii Ariſtotelici : quaſi verò non potuiſſet ullus alius mortalis quicquam adeò ſublimè , ac pene Divinum cogitare. Quid enim in illa tam ſtupendum , quod non eruditiùs perficiatur , cùm Philoſophi , aut Mathematici ſuos tractatus in ſelectas diſputationes , ac propoſitiones partiuntur ?

Digitized by Google

IV. Affertur potiſſima ratio diviſionis prædicamentalis.

Tertio. Prædicamenta, de quibus agitur, ſic enumerari ſolent. *Subſtantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, duratio, ubicatio, ſitus & habitus,* Ratio autem potiſſima numeri hujus denarii prædicamentalis hæc vulgò aſſignatur, quia plena & perfecta notitia alicujus rei eò reducitur; ut de illa notum fiat quid ſit; quanta ſit; qualis ſit; ad quid referatur; quid agat; quid patiatur: quamdonam ſit; ubi ſit, qualiter ibi ſit: & quid habeat: ſicque modi omnes, ac circumſtantiæ omnes eſſendi, ſive exiſtendi pertinentes ad notitiam alicujus rei obtinendam continentur intra decem prædicamenta præenumerata; igitur, ut aiunt, nec plura, nec pauciora quàm decem admittenda ſunt. At quamvis hæc ratio nihil convincat: nam hinc quidem perfecta alicujus rei notitia eò reduci poſſet: ut de eâ ſciatur quid ſit, & qualis ſit, quia cætera omnia interrogata ſub iſtis duobus comprehenduntur: illinc quoq; non deſunt plurima talia, quæ de re ſcienda poſſunt inquiri, uti an ſit, ex quo ſit, à quo ſit, &c. Quamvis inquam ratio adducta nihil convincat, nihil quoque obſtat, quo minùs pro bono pacis Scholaſtica decem præenumerata prædicamenta recipiantur. Sed plurimùm intereſt, ut advertatur maneatque altâ mente repoſtum prædicamenta iſta non eſſe niſi veluti receptacula quædam merè abſtacta rerum non aliter, quàm in ſenſu abſtracto acceptarum; ita ut in ſuis reſpectivè prædicamentis non res, ſed rerum formalitates, ſive rationes metaphyſicæ locum habeant; ac talem locum, quem Logica occupandum præſcripſerit conformiter ad ſuperioritatem aut inferioritatem univerſalem formalitatibus prædictis convenientem. Nam de cætero quis ille adeò obtuſus eſt, ut putet hominem v. g. concludi intra prædicamentum ſubſtantiæ æquè realiter, ac intra muros urbis ſuæ aut domus? Sed præterea quomodò concludi intra illud poſſet realiter: cùm in eo locum habere non poſſit, niſi præobtineat ſubſtantialitatem ſuam denudatam ab omni quantitate, qualitate, relatione, &c. Hæc autem denudatio eſt realiter impoſſibilis, aut certè realiter nulla eſt, quod ſufficit ad propoſitum. Unde intelligis quàm puerile aut ſtolidum ſit, quod apud nonnullos ſcriptores Ariſtotelicos legitur, ſive de diſcrimine reali prædicamentorum ab invicem, ſive de diſcrimine reali entium hinc præſumpto, quòd ad diverſa prædicamenta attineant; quaſi verò ad diſcrimen reale v. g. actionis à paſſione ſtabiliendum ſufficiat Ariſtotelem duo prædicamenta inſtituiſſe unum actionis, alterum paſſionis.

V. Quot modis poſſit aliquid col-

Quartò ac denique? Poteſt aliquid, ut jam inſinuavi, collocari in aliquo prædicamento dupliciter: ſcilicet vel directè, id eſt, in linea prædicamenti directa, in qua reponuntur genera & ſpecies, quibus tandem individua ſubſternuntur, vel indirectè, id eſt, in linea quadam

indirectâ & utrinque collaterali, in quâ reponi ſolent differentiæ tum genericæ, tum ſpecificæ, tum etiam individuales; ſeu quæcunque proprietates aut partes, quæ ad tales differentias revocantur.

VI. Quæ ſint conditiones ad collocationem directam.

Nunc autem ad hoc ut aliquid in linea prædicamenti directâ, ſive quod idem eſt, ad hoc ut aliquid per ſe in aliquo prædicamento locum habeat, nonnullæ conditiones exigi ſolent; quarum prima hæc eſt, *ut perfectionem obtineat entis veri*: quo pacto entia rationis chimærica in iſtis prædicamentis, quæ utique ſunt prædicamenta entis realis, locum occupant nullum. Secunda eſt, *ut obtineat perfectionem entis unius per ſe*: quo pacto entia per accidens, ſive concreta ex variis naturis non coaleſcentibus in unam compoſita; uti doctum, album, locatum, &c. talia ſunt, ut nullum prædicamentum illa admittat: ſed ſi in diverſas naturas, ex quibus conſtant, dividantur; uti album in parietem & albedinem: tunc ſic diſſociata, in diverſis prædicamentis locum habebunt. Tertia eſt, *ut obtineat perfectionem entis univoci*: quare analoga omnia, & æquivoca ex omni prædicamento rejiciuntur; & id meritò quidem, tum quia naturam aut multiplicem aut certè non omnino eandem important; & ſic peccant contra ſecundam conditionem perinde ac concreta accidentalia; tum etiam quia niſi genus ſupremum, quod eſt in faſtigio cujuſlibet prædicamenti, eſſet commune & re, & nomine naturis cæteris genericis, & ſpecificis, & individualibus in eodem prædicamento collocatis; non omninò eſſet prædicabile de iſtis: & ſic iſta ſaltem ſecundùm quid non continerentur ſub illo; & ſic rurſus ſecundùm quid excluderentur à tali prædicamento: nec tota continerentur in illo contra hypotheſim. Quarta conditio eſt, *ut obtineat perfectionem entis completi*, ſive totius cujuſdam aut generici, aut ſpecifici, aut individualis: & ratio evidens eſt, quia de Petro quidem v. g. prædicabile eſt, quod ſit homo; at de capite aut de bracchio Petri non eſt prædicabile, quod ſit homo: ſimiliter de homine prædicabile eſt, quod ſit animal; at de corpore humano, aut de anima rationali, quæ eſt altera pars hominis, non eſt prædicabile, quod ſit animal; & ita de cæteris. Eapropter ſuprà dictum eſt, qualiter non conveniat partibus locum obtinere prædicamentalem niſi indirectè, aut reductitiè.

VII. Adjicitur alia conditio.

Tandem his quatuor recenſitis conditionibus multi quintam ſubjungunt, quâ excludunt ab omni prædicamento entia infinita: quamvis non ſtatim pateat, cur ſint excludenda; quia infinitudo non opponitur ſubjicibilitati aut prædicabilitati, per quam tantùm diſcernitur, quid ſit, aut quid non ſit in aliquo prædicamento collocandum. At homo

Digitized by Google

v. g. infinitus ſubjiceretur animali perinde ac finitus : nam nunquid vera eſſet hæc propoſitio ***homo infinitus eſt homo***:& hæc ſimiliter ***homo infinitus eſt animal vivens***, Verùm in articulo ſequente paulò fuſius perpendetur hæc conditio , quæ non videtur fuiſſe excogitata niſi ad cautelam opinionis , quæ docet Deum non habere locum in prædicamento ſubſtantiæ. His itaque hactenus præmiſſis circa doctrinam prædicamentalem in communi , deinceps agendum erit de ſingulis prædicamentis in particulari.

ARTICULUS I.

DE PRÆDICAMENTO ſubſtantia.

I. Quid ſit ſubſtantia rigoroſè accepta.

NOTANDUM *Primò*, Subſtantiam, ſi in rigore metaphyſico loquimur, eſſe nomen purè abſtractum, quod ſignificat formam ſubſtandi : idque ad eum modum, quo ſubſiſtentia juxta ſuam abſtractam prolationem ac ſignificationem accipitur pro forma ſubſiſtendi ; aut exiſtentia pro forma exiſtendi ; aut eſſentia pro forma eſſendi ; &c. Neque deeſt aliunde argùmentum invictum, quo id convincatur. Nam cùm cæteris omnibus prædicamentis id commune ſit , ut ſuprema illorum genera deſignentur vocabulis abſtractis, qualia ſunt quantitas , qualitas , relatio, &c. non dubitandum eſt , quin genus ſupremum hujus prædicamenti deſignatum fuerit vocabulo, quod ſit conſimiliter in ſenſu ſuo abſtracto accipiendum. Sed nunquid præterea certum eſt differentias ſupremas & immediatas entis abſtracti non poſſe eſſe , niſi abſtractas ? Ut igitur quantitas non eſt , niſi forma aut formalitas entis abſtracta , & qualitas , relatio , actio, &c. ſimiliter ; ſic de ſubſtantia ſentiendum.

II. Qualiter nomen ſubſtantiæ ſit abuſivè.

Ex hoc autem, quod non video fuiſſe hactenus ſatis animadverſum, ſequitur innumeras propoſitiones,quæ pro certiſſimis recipiuntur eſſe falſas imò abſurdas, ſi de illis ſententia ferenda eſt juxta rigorem metaphyſicum: uti cùm dicitur ***animal eſt ſubſtantia***; ***homo eſt ſubſtantia*** ; ***lapis eſt ſub-***

Digitized by Google

ſtantia; *&c.* ſiquidem tam falſæ ac tam abſurdæ ſunt propoſitiones illæ quam iſtæ, ***animal eſt quantitas; homo eſt quantitas; lapis eſt quantitas***, &c. aut rurſus iſtæ ***homo eſt animalitas***; ***Petrus eſt humanitas***, &c. Nihilominùs cùm vetuſtiſſimo ac frequentiſſimo uſu obtentum ſit, ut ſubſtantia pro re ſubſtante, aut etiam pro ſubſiſtente accipiatur; ideo ſatis erit id annotaſſe; nec præſumimus modum illum loquendi immutare; ſed non prorſus ſuperfluum fore duximus, ſi obiter oſtenderemus, qualiter ſubjaceat reprehenſioni rigoris metaphyſici.

III. **Variæ ſunt acceptiones & diviſiones ſubſtantiæ.** Notandum *Secundo* ſubſtantiam ſolere etiam accipi pro natura; & hoc præſertim ſenſu accepta dividitur in primam & ſecundam: per iſtam vulgo intelligitur natura abſtracta, videlicet generica, aut ſpecifica, aut differentialis, aut quocunque alio modo univerſalis: ut ***animal, homo, rationale***, &c. Per illam autem non intelligitur, niſi natura ſingularis, ſive individualis; uti ***hic homo***, ***hic leo***, ***hic lapis***, &c. & hanc naturam ſingularem obtinuiſſe nomen ſubſtantiæ primæ opinor ex hoc, quòd prima cogitationibus ac ſenſationibus noſtris occurrat; ſitque fundamentum, ex quo ſubſtantiæ ſecundæ, id eſt, naturæ univerſales abſtrahuntur. Tum verò non multùm intereſt, ut ſubjungatur qualiter ejuſdem ſubſtantiæ, & in eodem præſertim ſenſu acceptæ ſubdiviſio fiat in ſimplicem & compoſitam, tum phyſicè, tum metaphyſicè; nam id non difficilè intelligitur: ſed ſingulari animadverſione opus hic eſſet circa illam aliam, nec minùs communem acceptionem, quâ fit ut ſubſtantia cujuſlibet rei pro ejuſdem entitate uſurpetur, ſicut etiam partes ſubſtantiales pro entitativis & reciprocè; ex hoc quippe loquendi modo paululum confirmatur doctrina in articulo ſubſequente ſtabilienda. Quapropter eâ ſingulari animadverſione, ut dixi, opus eſſet, niſi commodius videretur illam transferre in eundem articulum ſubſequentem.

IV. **Quis ſit ſtatus difficultatis ſolvendæ.** His itaque prænotatis quid aliud hic ſtatuendum eſt, niſi ad prædicamentum ſubſtantiæ pertinere quidquid tale eſt, ut ei conveniat perfectio ſive ſubſtandi, ſive ſubſiſtendi; licet enim perfectio ſubſiſtendi non ſit formaliſſimè loquendo ſubſtantia, ſed ſubſiſtentia, quæ utique illi præſupponitur; nam prius eſt ſubſiſtere quàm ſubſtare: nihilominùs ne diſcedatur à loquela uſitatiori ſcholaſtica, accipiemus ſubſtantiam pro utraque prædicta perfectione, ſive etiam pro re, cui aut utraque, aut alterutra perfectio convenit. Hinc autem concludemus quàm vana ſit illa Religioſitas, quâ plurimi Ariſtotelici ac præſertim Thomiſtæ verentur Deum reponere in hoc ſubſtantiæ prædicamento.

ASSERTIO

ASSERTIO UNICA.

Ad prædicamentum ſubſtantiæ attinet quidquid tale eſt, ut ei conveniat perfectio ſive ſubſtandi, ſive ſubſiſtendi: ſicque Deus non eſt excludendus ab iſto prædicamento.

V. Quidquid per ſe ſubſtat aut ſubſiſtit habendum eſt pro ſubſtantia.

PROBATUR *Primò.* Ad obtinendum locum in prædicamento ſubſtantiæ ſufficit habere perfectionem illam, quæ eſt de conceptu formali ſubſtantiæ: ergo ad prædicamentum ſubſtantiæ attinet quidquid tale eſt, ut ei conveniat perfectio ſive ſubſtandi, ſive ſubſiſtendi. Antecedens patet ex ante dictis; quia enim entia in ſuis reſpective prædicamentis locum non habent, niſi ratione illius formalitatis, quam habent communem cum illis decem ſupremis generibus, quæ dividunt ens in decem prædicamenta; hinc evidens eſt nihil aliud ad habendum locum in prædicamento ſubſtantiæ exigi, niſi perfectionem illam, quæ eſt de conceptu formali ſubſtantiæ; ſic enim erit una eademque formalitas hinc ſubſtantiæ, hinc ejus entis, quod in tali prædicamento reponendum ſupponitur. Conſequentia quoque non minùs patet ex ante dictis; quia diviſio primaria entis in ſubſtantiam & accidens in hoc conſiſtit, quod alia quidem entia ſubſtent, ſcilicet accidentibus quæ adveniunt; & alia accidant, ſcilicet ſubjectis, in quibus recipi intelliguntur: atque ita perfectio formalis ſubſtantiæ eſt ſubſtare accidentibus; at ſubſtare ſupponit id quod eſt ſubſiſtere: nam neque accidentia egent accidere & ſubjectari, niſi quia non ſubſiſtunt in ſe ipſis; neque cætera entia præberent receptionem accidentibus, quod eſt communicare illis ſubſiſtentiam, niſi ſubſiſterent in ſe ipſis: quare perfectio ſubſtandi ſupponit perfectionem ſubſiſtendi: & ſic utraque involvitur in conceptu formali adæquato ſubſtantiæ. Ergo recte concluſum fuit pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ quidquid tale eſt, ut ei conveniat perfectio ſive ſubſtandi, ſive ſubſiſtendi.

VI. Neque habenda eſt ratio differentiarum, quæ ſubſtantiam afficiunt.

Probatur *Secundò.* Si illud omne, cui convenit perfectio ſubſtandi non obtineret ſuum locum in prædicamento ſubſtantiæ, id proveniret ex impedimento alicujus differentiæ, quæ non pertineret ad illud prædicamentum: ſed nullum tale impedimentum occurrere poteſt: ergo &c. Major conſtat; & ſane illi, qui Deum amovent ex prædicamento ſubſtantiæ, amovendi cauſam opponunt & deducunt ex differentia infinitatis, ſive ex hoc quòd Deus ſit infinitus, aut ex aliis dif-

ferentiis Divinæ incomprehenſibilitatis, Divinæ independentiæ, &c. & ſic generaliter loquendo ſi quid ab aliquo prædicamento rejicitur, utique propter aliquam differentiam, quæ opponitur juribus, aut conditionibus incluſionis prædicamentalis. Minor autem ſic probatur, quia nulla eſt differentia, à quâ non poſſit præſcindi perfectio illa, de qua agitur ſubjectandi aut ſubſiſtendi: hæc autem præciſio ſufficit ad amovendum omne impedimentum. Sic enim lapis v. g. ex toto non poteſt poni in prædicamento ſubſtantiæ propter quantitatem, qualitatem, relationem & cæteras differentias accidentales, quibus afficitur; iſtæ enim pertinent ad alia prædicamenta: nihilominùs nemo eſt qui neget totam lapidis ſubſtantiam pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ, propterea quod poſſit præſcindi à prædictis differentiis accidentalibus. Itaque ſimiliter ut hoc interim dicam, tota ſubſtantia Divina pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, nec quicquam obſtat quod ſit infinita, quia poteſt ab infinitate illa præſcindi.

VII. Hinc Deus non eſt exul à prædicamento ſubſtantiæ. Addidi in aſſertione hæc verba, ***Sicque Deus non eſt excludendus ab iſto prædicamento.*** Et ratio id addendi hæc fuit, quia evidens eſt Deo pleniſſimè convenire perfectionem ſubſiſtendi in ſe ipſo, quod idem eſt ac obtinere exiſtentiam independentem à ſuſtentatione aliena: quare ex hoc capite non eſt cur Deus amoveatur ex prædicamento, ad quod, ut probatum fuit, attinet quidquid obtinet perfectionem ſubſiſtendi. Tum verò quoad perfectionem ſubſtandi fateor quidem Deum non ſubſtare ad inſtar creaturarum qualitatibus ſeu perfectionibus adventitiis, ſicuti nec ullis mutationibus ſubjacet, quia eſſentialiter & immobiliter perfectionem omnem complectitur. Quapropter hoc ſenſu admitti poteſt Deum non habere locum in prædicamento ſubſtantiæ, ſecundùm quòd ſubſtantia dicitur à ſubſtando, aut quod idem eſt, involvit rationem ſubſtandi. Nihilominùs quia in ſenſu latiori metaphyſico eſſentia Divina concipitur ad inſtar radicis perfectionum omnium Divinarum, ſimul etiam concipitur iſtas illi advenire, atque ita intelligitur illa eadem eſſentia Divina ad inſtar rei ſubſtantis; idque præter plurimas denominationes uti creatoris, miſericordis, juſti, &c. quibus juxta noſtrum concipiendi modum evidens eſt Deum ſubjacere. Igitur juxta latitudinem conceptuum noſtrorum metaphyſicam eſſentiæ Divinæ competit & ſubſiſtere, & ſubſtare: quare convenientius eſt, ut abſolute aſſeratur nullam eſſe idoneam rationem, propter quam Deus removeatur à prædicamento ſubſtantiæ; ut magis intelligetur ex ſolutione objectionum ſequentium.

VIII. Opponunt infinitatem divinam. Objicies *primò*. Deus ſubſiſtit per ſe; & nihilominùs locum non habet in prædicamento ſubſtantiæ: ergo falſum eſt attinere ad prædicamentum ſubſtantiæ quidquid habet perfectionem ſive ſubſtandi, ſive ſubſiſtendi. Conſequentia eſt evidens; antecedens verò quoad poſ-

Digitized by Google

teriorem illius partem, de qua ſola eſt difficultas, probabitur in hunc modum. Locum habere in prædicamento ſubſtantiæ eſt concludi intra limites talis prædicamenti: at Deus intra limites illius concludi non poteſt; ſive quia eſt infinitus: quidquid autem infinitum eſt concludi terminis ullis non poteſt, ut ex ipſis verbis non obſcure conſtat. Sive etiam quia rebus omnibus ſua loca in ſuis reſpectivè prædicamentis diſtribuuntur conformiter ad ipſarum naturam, quam ubique comprehendimus: at naturam Divinam nullo modo comprehendimus, cùm ex toto incomprehenſibilis ſit: ergo &c.

Reſp. Et nego partem antecedentis poſteriorem, pro cujus una & altera probatione multipliciter ſolvenda dico nec conſtare quod aliquid infinitum concludi ullis terminis non poſſit, ut in Phyſica oſtenditur: nec ſaltem conſtare quòd non poſſit infinitum aliquid locum habere intra amplitudinem infinitam, at cujuſvis prædicamenti amplitudo eſt infinita; & ſic quidem ut perinde comprehenderet ſubſtantias numero infinitas, ſi revera daretur numerus illarum infinitus. Tum quamvis ſubſtantia Divina ſit infinita habitâ ratione ſtatus ſui phyſici adæquati; non tamen eſt infinita habitâ ratione ſtatus metaphyſici inadæquati, in quo conſiderari poteſt præciſa ab infinitate, & à cæteris omnibus attributis: at res non collocantur in ſuis reſpectivè prædicamentis ratione ſtatus ſui phyſici adæquati; ſed ratione ſtatus metaphyſici inadæquati; in quo conſiderantur prout obtinentes formalitatem ejus prædicamenti, ad quod revocantur. Alioquin nulla res collocaretur in ullo prædicamento, quia nulla eſt, quæ ſi adæquate ſumitur, non ſit conjuncta cum multis differentiis, quæ removerent illam à tali prædicamento, in quo conſequenter ad præciſionem convenientem reponitur. IX. At hæc infinitas nihil obſtat.

Rurſus cum res non ponantur in ſuis prædicamentis, niſi per conceptus metaphyſicos inadæquatos correſpondentes formalitati prædicamentali, ad quam res illæ revocantur, patet hinc quàm parùm ad hunc effectum exigatur earum comprehenſio; imo ad tribuendum locum naturæ v. g. humanæ in prædicamento ſubſtantiali ſatis eſt, ſi agnoſcatur convenire illi perfectionem abſtractam ſubſtantiæ; neque major notitia requiritur ad parem locum tribuendum naturæ Divinæ. Ac denique fortè fingunt Adverſarii nos Deum collocare in prædicamento ſubſtantiali ad eum modum, quo res materiales in ſuis ſedibus collocantur; ut nummi in crumenis; veſtes in arcis; libri in Bibliothecis; &c. ſed ſi id fingunt, non video quid abſurdius fingi poſſit? cùm ſententiæ, quam tuemur ſenſus non alius ſit, niſi quòd Deo conveniat certa quædam ſubſtantialis perfectio, quæ à ſuis X. Et aliunde hîc non attenditur.

differentiis omnibus præciſa, attinet ad illam ſubſtantiæ formalitatem genericam, quæ aſſumitur pro prædicamento ſubſtantiæ.

XI. Opponitur etiam defectus univocationis. Objicies *Secundo.* Ad hoc ut aliquid reponatur in prædicamento ſubſtantiæ non ſufficit ei quæcunque perfectiò ſubſiſtendi, ſed exigitur perfectio ſubſiſtendi univoca: ergo ex ſuperiori aſſertione falsò infertur Deum habere locum in prædicamento ſubſtantiæ, Antecedens receptiſſimum eſt apud omnes Metaphyſicos, qui in nullo prædicamento coordinant, niſi talia prædicabilia, quibus omnibus ac ſingulis conveniat univoce perfectio ſupremi prædicabilis; & ſic concordant univerſi in hoc quòd in prædicamento v. g. ſubſtantiæ nullum prædicabile locum habeat, quod non conveniat univocè cum cæteris in ratione generica prædicamentali ſubſtantiæ. Nunc autem conſequentia ſic probatur; quia perfectio ſubſiſtendi non eſt univoca reſpectu Dei & creaturarum: hæc enim perfectio eſt finita in creaturis; in Deo autem eſt infinita: cùm autem finiti ad infinitum nulla ſit proportio, nulla quoque eſt univocatio.

XII. Et additur Deū nulli generi prædicamentali ſubjacere. De cætero autem cum Deus ob ſuam ſupremam dignitatem ſub nullo genere comprehendi poſſit, comprehendi enim ſub aliquo genere eſt ſubjacere illi; hinc planum eſt Deum in nullo prædicamento contineri: niſi fortè dicatur quòd Deus in illo obtineret locum ac gradum ſupremi generis: at quis affingere Deo audeat intentionalitatem entis Logici, quale eſt ſive genus, ſive ſpecies; ſive differentia, &c.? Atque hinc tandem potiſſimum confirmatur Deum ad nullum prædicamentum revocari poſſe; quia in nullo prædicamento locum habent niſi aut genera, aut ſpecies, aut differentiæ, &c. Igitur nec revocandus erit ad prædicamentum ſubſtantiæ; ſicut neque tantummodò vocari ſubſtantia poteſt, niſi prorſus abuſive, ut docuit D. Aug. lib. 7. de Trinitate cap. 5. neque obſcure id confirmat in libro de cognitione veræ vitæ cap. 3.

XIII. Sed non deficit univocatio metaphyſica. *Reſp.* & conceſſo antecedente nego conſequentiam, pro cujus prolixiori probatione ſolvenda dico ſubſtantiam non eſſe quidem univocam reſpectu Dei & creaturarum univocatione phyſicâ; ſed contendo eſſe univocam univocatione metaphyſicâ, quæ ſola requiritur ad inſtitutum, de quo agitur. At Adverſarii non iſtam univocationem impugnant, ſed alteram; quia non loquuntur de ſubſtantia Divina prout abſtracta à ſuis omnibus differentiis, ſive attributis connaturalibus; ſed prout concreta ac conjuncta cum illis. Itaque ſi ſubſtantia Divina attenditur prout infinita, increata, independens, &c. in hoc ſenſu concreto non eſt haud dubie univoca: ſed tolle ſenſum illum concretum, & ſubſtitue loco illius abſtractum; & ſic deprehendes illam non

eſſe minus univocam, quàm ſi neque eſſet infinita, neque increata, neque independens, &c. Tum, vide quæ ſuperius dicta ſunt diſp. 1. art. 2. pro univocatione entis reſpectu Dei & creaturarum: proderuntque ad ſimilem convictionem pro univocatione ſubſtantiæ; nam utraque difficultas eadem eſt; ſicut etiam utraque eſt multò minùs de re, quàm de nomine.

Dico deinde non minùs dignam propterea fore ſubſtantiam Divinam, licet ſub genere ſubſtantiæ prædicamentalis comprehenderetur: tùm quia hæc comprehenſio non eſſet, niſi purè metaphyſica; tum quia ſpecies, quæ comprehenduntur ſub generibus, ſunt nihilominùs ipſis generibus digniores; nam numquid homo eſt dignior animali, & ſic de aliis? ſic etiam ſubſtantia Divina licet eſſet ſpecies quædam ſubſtantiæ, non eapropter minùs digna eſſet, quàm ſubſtantia in communi. Dico denique nullum ſequi incommodum ex hoc, quòd ſubſtantia, aut aliter natura Divina concipiatur ad inſtar ſpeciei, in hoc nempe ſenſu quòd Logici nomen ſpeciei tribuunt naturæ, quæ ſub ſuperiori generica continetur; nec obſtat quòd Logici ſimiliter per ſpeciem intelligunt naturam individualiter multiplicabilem, qualis non eſt natura Divina: non inquam id obſtat; tum quia multiplicabilitas illa individualis non eſt abſolute neceſſaria ad rationem ſpeciei ſaltem acceptæ in ſenſu phyſico: tum etiam quia ſi non individualiter, at ſaltem eſt perſonaliter multiplicabilis. Quod autem ſpectat ad Authoritatem Divi Auguſtini, parum illa urget: ſeu quia D. Aug. locis citatis non intendit quicquam aliud probare, niſi Deum non eſſe ſubſtantiam ad inſtar creatæ mutabilem & ſubſtantem variis accidentibus: ſive etiam quia non pertractat controverſiam de quâ hic agitur, in rigore metaphyſico; ſed potiùs in ſenſu ac ſtylo morali, qui ad rem præſentem non intereſt. **XIV. Neque ſubjectio metaphyſica prædicamentalis Deū dedecet.**

De cætero poteſt unuſquiſque ſatis evidenter colligere ex ante dictis, qualiter ratio, quæ probat ſubſtantiam Divinam poſſe revocari ad prædicamentum ſubſtantiæ, non minùs ſuadet quantitatem, ſeu magnitudinem Divinam poſſe ſimiliter revocari ad prædicamentum quantitatis & ſapientiam ad prædicamentum qualitatis, & immenſitatem ad prædicamentum ubicationis, &c. quare nulla deinceps quæſtio movebitur de revocabilitate attributorum Divinorum ad prædicamenta, de quibus agendum ſupereſt. Neque obeſt quòd hæc prædicamenta accidentalia ſint: nam quamvis attributa Divina, ut ſæpiùs dictum eſt, in ſenſu ac rigore phyſico accidentalia non ſint: nihilominùs in ſenſu ac rigore metaphyſico veluti pro accidentalibus conſiderantur; quia intelliguntur conſequi ad Divinam eſſentiam, veluti ad radicem & plenitudinem omnem eſſendi. **XV. Qualiter cæteræ perfectiones Divinæ ſint prædicamentales.**

Digitized by Google

XVI. Exponuntur proprietates ſubſtantiæ prædicamentalis.

De proprietatibus tandem ſubſtantiæ prædicamentalis ſatis erit, ſi ex multis enumerari ſolitis duas vel tres ad ſummum recenſeam, quæ diligentiorem attentionem merentur. Prima eſt, ***quòd ſubſtantia non habeat contrarium***: idque veriſſimum eſt in ſenſu metaphyſico, in quo ſubſtantia nihil formaliſſime importat niſi id, quod eſt ſubſiſtere aut etiam ſubſtare: at una ratio ſive ſubſiſtendi, ſive etiam ſubſtandi, ut evidens eſt, non eſt contraria alteri, & inde vulgò infertur unam ſubſtantiam non eſſe contrariam alteri, niſi ratione qualitatum contrariantium ac ſeſe mutuò deſtruentium; videlicet ignem non eſſe contrarium aquæ, niſi propter reciprocam contrarietatem, hinc caloris ignei, hinc aquei frigoris. At non ſic diſcurrendum erit in Phyſica, ubi oſtendetur non differre ſive activitatem, ſive actionem à ſubſtantia cujuſlibet agentis. Secunda eſt, ***quòd ſubſtantia non ſuſcipiat magis & minus***; idque rurſus veriſſimum eſt in ſenſu metaphyſico: quia formica v. g. tam per ſe ſubſiſtit, ac tam ſubſtat accidentibus ſuis, quàm homo; ſed paulò aliter ſentiendum eſt in ſenſu phyſico, in quo ſubſtantia cujuſlibet rei cum ſua entitate ſeu quantitate identificatur, & hæc ſuſcipit magis & minus; ſic enim major eſt entitas hominis, quàm formicæ. Tertia proprietas vulgò additur, ***quòd ſubſtantia non ſit capax inhæſionis***; & id tandem quoq; veriſſimum eſt in ſenſu metaphyſico, in quo ſubſtantia accepta pro eo, quod eſt ſubſtare, evidenter non eſt forma inhærens; ſed ſubjectum inhæſionis formarum ſcilicet accidentalium, quibus ſubſtat; ſed in ſenſu phyſico res aliter ſe habet, quoties accidit ut ſubſtantiæ adveniant aliæ aliis, & adveniendo inhæreant, aut adhæreant multipliciter; ut aurum calici, qui deauratur; calx parieti, qui dealbatur; ignis ligno, quod calefit; &c. Unde obiter colligi poteſt, quàm parum concordent phyſica cum metaphyſicis, & quàm gravi periculo turpiſſimè errandi ſe exponeret, quiſquis vellet de rebus phyſicis quicquam decidere cohærenter ad conſiderationes & perceptiones metaphyſicas: quod juſtò frequentius & uſitatius eſt apud Ariſtotelicos.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

DE PRÆDICAMENTO quantitatis.

NOTANDUM *Primò* nihil tam familiare eſſe Metaphyſicis, quàm ut quidquid omni enti convenit, id totum reputent convenire & advenire illi per formam, quam voce abſtractâ proferunt. Eapropter neque ipſi enti univerſaliter ſpectato convenit eſſe ens, niſi per entitatem; neque verum, niſi per veritatem; neque bonum, niſi per bonitatem; neque unum, niſi per unitatem; neque *eſſens*, niſi per eſſentiam; neque exiſtens, niſi per exiſtentiam; neque ſubſtans, niſi per ſubſtantiam; neque ſubſiſtens, niſi per ſubſiſtentiam; neque quid, niſi per quidditatem; neque *hoc*, niſi per hæcceitatem; ac proinde nec quantum, niſi per quantitatem advenientem, & ſic de cæteris innumeris. Tum verò juxta eundem morem ac genium metaphyſicum, neque Deo convenit eſſe Deum, niſi per Divinitatem; neque Angelo eſſe Angelum, niſi per Angelicitatem: neque homini eſſe hominem, niſi per humanitatem; neque animali eſſe animal, niſi per animalitatem; neque corpori eſſe corpus, niſi per corporeitatem; & ſic de naturis omnibus, in quibus quot ſunt attributa, tot intelligunt formas advenientes & denominantes ſubjecta, quibus adveniunt, aut advenientes cenſentur. I. **Quis ſit abuſus formalitatum.**

Sed quia ſaltem certum eſt multas hujuſmodi formas nullam importare realitatem diſtinctam à ſubjecto, cui advenire concipiuntur: quis enim unquam cogitavit ſive entitatem, ſive eſſentiam, ſive quidditatem differre realiter ab ente, cujus eſt illa aut entitas, aut eſſentia, aut quidditas? vel quis unquam ſimiliter cogitavit de admittendo diſcrimine reali inter Deum & Divinitatem; inter Angelum & Angelicitatem; inter hominem & humanitatem, &c. hinc pro omnibus hujuſmodi formis ſonantibus ac ſapientibus abſtractionem metaphyſicam II. **Non omnes ſaltem reales ſunt præcisè in ſe ipſis.**

Digitized by Google

non levis ſuſpicio eſt, eas nullam importare realitatem à ſuis ſubjectis diſtinctam: imo mihi quidem ſufficiens offertur convictio eas ſuis ſubjectis ſuperaddere nihil, niſi mentalem alicujus cognoſcibilitatis reſpectum.

III. Entitas rei alia eſt metaphyſica, & alia phyſica.

Notandum *ſecundò* attendi poſſe in quolibet ente duplicem entitatem ſcilicet metaphyſicam, & phyſicam. Entitas metaphyſica ſive, ut Metaphyſici loquuntur, eſſentia coaleſcit ex certis quibuſdam attributis; & ita quidem ad conceptum illius neceſſariis, ut tota corruat, ſi vel unum abſtrahitur. Quo pacto dicimus eſſentias perinde ac numeros conſiſtere in indiviſibili; quia ſicut ſi ex numero ternario unitatem abſtrahas, jam non eſt ternarius, ſed binarius; ita ſi ex duobus attributis ad eſſentiam alicujus entis ſpectantibus unum abſtrahis, eſſentiam tollis; uti tollitur tota eſſentia hominis, ſi ex illa abſtrahitur aut *animal*, aut *rationale*. Entitas autem phyſica ſive, ut Phyſici ſæpius loquuntur, natura (ſecludendo ex hac conſideratione res ſpirituales, quin etiam materiales minimas, ſive atomas, de quibus in Phyſica differetur) coaleſcit ex certis quibuſdam partibus, quæ ſunt totidem entitates diſtinctæ: & ſic non conſiſtit in indiviſibili; ſed ſuſcipit magis & minus, ut intelligi facilè poteſt exemplo molis aqueæ; hæc enim eſt entitativè major, quàm una gutta; ideò ſanè, quia continet plures guttas, quarum quælibet eſt entitas quædam aquea; atque ita in illa mole aquea non una eſt; ſed multiplex, ſive multiplicata entitas aquæ, ſcilicet duplicata, triplcata, quadruplicata &c. Similiter ſi intelligimus unam aquæ guttam eſſe in plures aquæ particulas diviſibilem, erit pariter in illa gutta multiplex aquæ entitas; quia nimirum quælibet particula habet ſuam entitatem, & ita deinceps donec perveniatur ad partes indiviſibiles, quarum proinde entitas ſimplex eſt.

IV. Entitas phyſica rei materialis conſtat ex partibus.

Hinc autem non obſcurè inſinuatur tantam eſſe cujuſlibet entis materialis compoſiti entitatem, quanta eſt in eo multiplicatio partium, quarum ſingulis competit ſua entitas; & rurſus tantam, vel tantam entitatem alicujus compoſiti materialis ſive homogenei, cujus exemplum retulimus in gutta aquea, ſive heterogenei, cujus exemplum proponi poſſet in fruſto ligneo, eſſe revera nihil aliud, quàm ejuſdem quantitatem; cùm hoc tantùm diſcrimine, quòd quantitas ingerat ſenſum interrogativum, quaſi diceretur *quanta entitas?* Cui interrogationi ſatisfit per ſenſum alterum reſponſivum tantæ vel tantæ entitatis, aut quod idem eſt, ut ſic loquar, *tantitatis.* Hæc autem omnia, quæ ſic obiter inſinuavi, probabuntur deinceps.

V. Partes

Notandum *Tertiò* ad hoc ut aliquid ſit tantum vel tantum, ſive quantum non ſatis eſſe, quòd habeat plures partes; ſed præterea exigi,

ut.

ut illas partes habeat non ſimul ; ſi enim habet illas ſimul & penetrative, non erit quantum. Sic baculus ſi haberet ſuas omnes partes in uno loco indiviſibili penetratas, non eſſet palmaris, bipalmaris, &c. ſi tempus haberet ſuas omnes partes reductas ad eandem durationem indiviſibilem, non eſſet diurnum, menſtruum, annuum, &c. Si numerus haberet ſuas omnes partes unicâ & indiviſibili enumeratione comprehenſas, non eſſet denarius, centenarius, millenarius, &c. Unde intelligis ad rationem quanti neceſſariam eſſe certam aliquam extrapoſitionem, ſive extenſionem talium partium, ex quibus conſtat, iiſdemque partibus conformem ; nimirum prout iſtæ partes ad varias quantitatis ſpecies attinent, & exigunt eſſe aut non ſimul loco, aut non ſimul enumeratione, aut non ſimul duratione, &c. Igitur omne quantum materiale prout habet partes diverſimode extrapoſitas reduci ad ſpecies diverſas ſolet, & vocatur aut continuum, ſi partes habet unitas ; ut baculus : aut diſcretum, ſi partes habet non unitas ; uti cumulus arenæ : aut permanens, ſi partes habet coexiſtentes ; ut idem baculus, vel cumulus arenæ : aut ſucceſſivum, ſi partes non habet coexiſtentes ; uti tempus & motus, & quidquid ad utriuſque, aut alterutrius ſucceſſionem revocatur ; quales ſunt prolationes oratoriæ, computationes arithmeticæ, & ſucceſſiones etiam omnes ſive locutionum, ſive cogitationum, ſive deſideriorum, &c. rei quantæ ſunt aliæ extra alias.

VI. Qualiter extenſio & intenſio differant

Tum ultra iſtas ſpecies enumeratas alia adjungi poteſt ſpecies quanti, quod vocant *intenſum* ; non quod extenſum non ſit per extrapoſitionem ſuarum partium ; ſed quod habeat partes illas peculiariter extrapoſitas : veluti per poſitionem aliarum ſupra alias ; & hujuſmodi partes vocant *gradus*, quorum v. g. ſecundus non tantummodo extra primum, ſed ſupra primum intelligitur, & ſic de aliis. Hujuſmodi autem quantitas non modò perfectionibus materialibus ; ſed etiam immaterialibus tribuitur, uti non tantùm calori, gravitati, albedini, &c. ſed etiam ſapientiæ, eruditioni, juſtitiæ, &c. iſtæ enim perfectiones perinde ac illæ concipiuntur poſſe augeri, & minui graduatim. Hinc generaliter dividi quantitas ſolet in quantitatem virtutis, & quantitatem molis : illa adaptatur rebus ſpiritualibus, ſive rerum ſpiritualium perfectionibus, quibus concipitur magnitudinem aliquam convenire : ſicque ſuſpicimus in Deo magnitudinem poteſtatis, ſapientiæ, miſericordiæ, &c. Nec diſſimilis, etſi valde inferior, magnitudo reperitur in perfectionibus Angeli, & animæ rationalis. Iſta autem propria eſt rerum, & perfectionum materialium, ſicut ſatis intelligitur magnam eſſe altitudinem montis ; magnam gravitatem plumbi ; magnam albedinem calcis ; &c.

Digitized by Google

VII. Exponitur ſtatus quæſtionis.

His prænotatis operæ pretium eſt, ut clare ac diſtinctè proponatur ſtatus præſentis controverſiæ circa realem diſtinctionem, aut indiſtinctionem quantitatis à ſuo ſubjecto: nam ut opinor ex convenienter illius deciſione pendet quidquid deinceps quoad cætera accidentia prædicamentalia ſtabilietur. Et ſtatim quidem admitto non deeſſe diſcrimen metaphyſicum inter quantitatem corpoream, de qua hîc agitur, & ſubjectum ejuſdem, quodcunque interim illud ſit; nam ad tale diſcrimen ſufficit ut ſit diverſus, ſicut revera diverſus eſt, reſpectus accidendi à reſpectu recipiendi: iſte autem omni ſubjecto, ſicut ille alter omni quantitati convenit evidenter. Quare cùm de diſcrimine metaphyſico omnes conveniant, jam pro phyſico aut ſtabiliendo, aut rejiciendo, inquirendum eſt utrum detur in rerum natura aliquod genus entis realis, & propterea realiter producti, ac rurſus per actionem realem advenientis enti alteri reali materiali præexiſtenti, eique ſic conferat effectum realem conſiſtentem in hoc, quod eſt eſſe extenſum; ut aliunde iſte effectus obtineri non poſſit. Hæc enim omnia exiguntur ad diſcrimen reale, quod Ariſtotelici audacter propugnant inter quantitatem, & ejuſdem ſubjectum. Igitur nunc ex adverſo contendimus entia omnia materialia ex hoc ipſo, quòd materialia ſunt, eſſe quanta; neque ad id egere ſubſidio entis ullius realis adventitii: imo quamvis egerent, ad id prorſus inutilem fore quantitatem illam Ariſtotelicam, cui nulla actio phyſica convenire poteſt, cum nihil ſit præter formam, & denominationem merè abſtractam. Atque hic ferè totus eſt ſenſus, in quo ſequens aſſertio proponetur & probabitur.

ASSERTIO UNICA.

Tale ens reale, quod Ariſtotelici vocant quantitatem molis, nullum eſt: quin imo tum inutile eſt, tum impoſſibile; ſicque omninò falſum eſt dari quantitatem hujuſmodi diſtinctam realiter à ſuis ſubjectis, à quibus utique ut ipſa non eſt, niſi entitas pure metaphyſica; ita nec diſtingui, niſi metaphyſice poteſt.

VIII. Hîc diſcurrendum ſicut de quan-

PROBATUR *Primò.* Non eſt potior ratio ad tribuendam propriam realitatem quantitati molis, quàm ad tribuendam conſimilem quantitati virtutis: ſed nulla talis propria realitas competit quantitati virtutis: ergo &c. & ſic tale ens reale, quod Ariſtotelici

vocant quantitatem molis, nullum eſt. Minorem puto eſſe manifeſtam, quia ſi quantitas virtutis, quæ eſt illa, quæ rebus ſpiritualibus convenit, ut prænotatum eſt, haberet realitatem propriam, ſociari non poſſet cum ſimplicitate illarum: quomodò enim entitas Angeli v. g. ſimplex eſt, ſi alia eſt realitas naturæ angelicæ, & alia quantitatis illius, per quam Angelus obtinet certam aliquam menſuram cognitionis, amoris, gaudii, &c.? Imo quia quantitas unius perfectionis Angelicæ non eſt neceſſariò quantitas alterius: poteſt enim Angelus habere majorem copiam cognitionis, quàm amoris, aut amoris quàm gaudii, &c. hinc ſequitur multò minùs recipiendum eſſe quidquid excogitari poſſet de realitate propria tribuenda quantitati virtutis. Major verò probari in hunc modum poteſt; quia ratio potiſſima, ob quam Ariſtotelici vulgò tribuunt propriam ac diſtinctam realitatem quantitati molis, deſumitur ex hoc, quod iſta quantitas non ſit de conceptu eſſentiali corporis; & ex hoc quod poſſit adeſſe & abeſſe abſque ſubjecti ſui, id eſt, corporis corruptione: at idem omninò verificatur de quantitate virtutis: nam nulla eſt certa menſura cognitionis, v. g. quæ ſit de eſſentiali conceptu Angeli; & ſimiliter nulla eſt, quæ non poſſit adeſſe, & abeſſe ab Angelo abſque ejuſdem Angeli corruptione. Tum ſi quid aliud aſſignabunt Adverſarii, quod deprehendatur convenire quantitati molis reſpectu ſui ſubjecti, id ſpondemus pariter verificare de quantitate virtutis in ordine ad ſuum ſubjectum. Ergo, quod probandum erat, non eſt potior ratio cur pro quantitate molis, quàm pro quantitate virtutis explicanda admittatur genus aliquod ſpeciale entis realis: atque ita ens illud reale, quod Ariſtotelici vocant quantitatem molis, nullum eſt. titate virtutis.

IX. **Et rurſus ſicuti de quantitate ſucceſſiva.**

Probatur *ſecundò.* Non eſt diſcurrendum de quantitate continua, de qua hic agitur, aliter quàm de quantitate diſcreta: ſed genus entis illud, quod vocant quantitatem diſcretam, non eſt reale: ergo neque illud, quod vocant quantitatem continuam. Minor eſt certa; neque novi ullum Philoſophum, qui de quantitate diſcreta uti lapidum accumulatorum cenſuerit illam eſſe ens reale, ac realiter ſuperadditum ſuis ſubjectis, ſive realiter diſtinctum, & realiter ſeparabile ab iiſdem. Et ratio eſt, quia quantitas illa diſcreta, ſive multitudo ſufficienter explicatur per ſolas unitates ſingulorum lapidum juxta ſe invicem poſitorum: at illæ unitates non ſunt haud dubiè, niſi ipſæ reales entitates talium lapidum: & ſic turpiſſime erraret quiſquis quantitatem diſcretam fingeret ad inſtar entis realis ſpecialis & diſtincti à ſubjectis, quibus tribuitur. Nunc autem major propo-

Digitized by Google

ſitio, in quâ præſertim tota eſt difficultas, ſic probatur. Quantitas continua nihil ſupra quantitatem diſcretam addit niſi ſolam unionem partium, ex quibus conſtat totum, cujus quantitas eſt continua: at talis unio nullam ſpecialem realitatem importat, propter quam diſcurrendum ſit, quantùm ad præſentem controverſiam, de quantitate continua aliter, quàm de diſcreta: ergo &c. Minor rurſus certa eſt, quia, ut probabitur in Phyſica, unio nihil reale addit ſupra ipſam partium unitarum realitatem. Ad hoc autem ut majorem pariter pro certa habeas, cogita partes omnes alicujus v. g. lapidis ſejunctas: iſtæ igitur partes ſic ſejunctæ non habent niſi quantitatem diſcretam, ut evidens eſt: tum verò ſi tantummodò uniantur, æque evidens eſt illas habituras eſſe quantitatem continuam: aut, ut in ſuperiori exemplo perſiſtam, nunquid illi lapides, quorum quantitas eſt diſcreta, obtinerent continuam, ſi venirent ſimul in compoſitionem unius lapidis?

X. *In quo differant quantitas continua & ſucceſſiva.*

Igitur quantitas continua nihil ſupra quantitatem diſcretam addit niſi unionem partium, ex quibus conſtat totum, cujus quantitas eſt continua: cùmque talis unio non ſit genus ullum ſpeciale entis realis, conſequens eſt non potiùs ſpecialem ullam realitatem convenire quantitati continuæ, quàm diſcretæ: at diſcretæ nulla competit: Ergo &c. Similiter quantitas continua, de qua agitur, eſt permanens; uti quantitas lapidis: hæc autem quantitas continua permanens ſupra continuam ſucceſſivam; qualis eſt quantitas temporis v. g. anni nihil addit, niſi multatem partium exiſtentialem; neque hæc ſimultas quicquam reale addit ſupra partes ipſas. At quantitas continua ſucceſſiva non eſt genus ullum ſpeciale entis realis, ut probabitur in Phyſica inter diſputandum de tempore: ergo &c.

XI. *Quæ ſit inutilitas quantitatis diſtinctæ.*

Addidi in aſſertione hæc verba, ***Quin imò inutile eſt*** (tale ſcilicet ens reale quod Ariſtotelici vocant quantitatem molis) ***tum impoſſibile.*** Et ***primò*** quidem inutile eſt; quia ad id tantùm utile reputatur, ut partes uniuſcujuſque corporis ponat alias extra alias: quaſi verò omnes neceſſariò penetrarentur niſi ope, inſtinctu, ac præſidio illius entis quantitativi ſic collocarentur extra ſe invicem. At omninò inutile eſt ad id præſtandum, quia partes illæ ſufficienter ponuntur per ſe ipſas extra ſe invicem non enim poſſunt naturaliter eſſe intra ſe invicem: igitur ex hoc ipſo quòd ſunt productæ, tam naturale illis eſt extra ſe invicem collocari, quâm impoſſibile eſt naturaliter, ut intra ſe invicem collocentur. Ad hoc autem ut aliqua res obtineat, quod naturaliter ipſi convenit, non opus eſt ſubſidio ullius entis extranei; ergo denique inutilis eſt quantitas illa, quam Adverſarii fingunt, ad prædictam poſitionem partium extra partes, ſive quod idem eſt, ad extenſionem corpoream.

Digitized by Google

Secundò Impoſſibile quoque eſt prædictum illud ens reale, quod Ariſtotelici vocant quantitatem molis, tum quia ad partes corporum extraponendas, ac proinde ſtringendas, innectendas, vinciendas eo, qui in omnibus continuis ſuſpicitur, modo planè mirabili, ſingulari opus eſſet dexteritate, cujus eſt prorſus incapax prædictum illud ens reale, quod Ariſtotelici vocant quantitatem molis, & admittunt non alio fine, quàm ad efficiendam extrapoſitionem partium, ex quibus conſtant corpora omnia: tum rurſus quia non poteſt illud ens, quod reale eſſe præſumitur, extrapoſitionem illam partium efficere & tueri, niſi applicando ſe ſingulis partibus: applicare autem ſe illis non poteſt, niſi totidem partes habuerit applicabiles: At iſtæ partes quantitativæ vel ſunt extra ſe invicem per ſe ipſas, & ſi ita eſt, non videtur cur iſtis potiùs, quàm cæteris, cum utriſque pariter conveniat eſſe materiales, concedatur talis extrapoſitionis privilegium: vel non ſunt extra ſe invicem per ſe ipſas; & ſic recurrendum erit ad miniſterium alterius entis quantitativi, de quo redibit eadem difficultas, & ſic in infinitum. Præterquam quod partes illæ, quæ Ariſtotelicæ quantitati tribuerentur, obtinerent abſque dubio ſingulæ ſuam entitatem, ac proinde ſuam localitatem, & ita ſimul ſumptæ molem efficerent, quæ præcise eſſet medietas illius quæ corporibus tribuitur: atque ita aſſerendum eſſet unam medietatem ejus molis, quæ corpori humano tribuitur, attinere ad quantitatem; alteram vero ad corporis ejuſdem ſubſtantiam, quod eſt plane ridiculum. XII. Quæ ſit ejuſdem impoſſibilitas.

Addidi etiam in aſſertione. ***Sicque omninò falſum eſt dari quantitatem hujuſmodi diſtinctam realiter à ſuis ſubjectis, à quibus utique ut ipſa non eſt niſi entitas purè metaphyſica, ita non diſtingui, niſi metaphyſicè poteſt.*** Et hæc verba legitimam ex ante dictis conſequentiam includunt. Nam Ariſtotelici putant quantitatem, de qua agitur conſtituere ſpeciale aliquod genus entis realis, cui connaturale ſit advenire præexiſtentibus rerum materialium partibus, & recipi in iiſdem; nec tamen ingratam eſſe ſuis hoſpitibus: ſed illis hanc gratiam rependere, ut alias extra alias collocet, Si igitur tale ens reale, quod Ariſtotelici vocant quantitatem, nullum eſt; hinc apertè ſequitur nullam dari quantitatem diſtinctam realiter à ſuis ſubjectis; omnis enim diſtinctio realis ſupponit entitatem realem: ſicuti ex adverſo entitas metaphyca ſufficit ad diſtinctionem metaphyſicam. Et hæc eſt quam tribuimus quantitati in ordine ad ſua ſubjecta, quibus advenire concipitur: ita ut non aliter quantitas diſtinguatur à re quanta, quàm humanitas ab homine, animalitas ab animali, Petreitas à Petro, corporeitas à corpore, &c. quatenus revera quantitas non aliter advenit rei quantæ, XIII. Hinc quantitas non eſt niſi ens metaphyſicum.

Digitized by Google

quàm humanitas homini, animalitas animali, &c. Igitur cùm quantitas non ſit, niſi entitas purè metaphyſica, non poteſt quidquid illi tribuitur, eidem convenire, niſi in ſenſu purè metaphyſico, ut magis intelligetur ex ſolutione objectionum ſequentium.

XIV. Opponunt effectum extenſionis eſſe realem. Objicies *Primò.* Ad explicandum effectum realem opus eſt cauſa reali: ſed ſi ita eſt, neceſſe eſt dari tale ens reale, quod Ariſtotelici ***quantitatem*** vocant: ergo &c. Major ſatis conſtat, quia effectus realis non conſequitur, niſi ad actionem realem; & hæc haud dubiè ſupponit realem exiſtentiam cauſæ, ex cujus activitate derivatur. Minoris autem ſequela ſic probatur. Id quod eſt ***eſſe quantum***, videlicet per extrapoſitionem ſuarum partium, eſt effectus realis: ſed hujuſmodi effectus non alia cauſa aſſignabilis eſt, quàm ens illud reale, quod Ariſtotelici vocant ***quantitatem***: Ergo &c. Major rurſus conſtat: quis enim dixerit extrapoſitionem illam partium pendere tantum ab aliqua cogitatione, ſive abſtractione, aut comparatione, aut quacunque alia conſideratione metaphyſica? Nunc autem minor ſic probatur; quia ſi aſſignatur quodcùnque aliud ens ſive ſubſtantiale, ſive quale, ſive relativum, &c. ſtatim deprehenditur in eo nullam occurrere cauſalitatem idoneam pro efficienda partium extrapoſitione illà, de qua agitur: nam ad ens ſubſtantiale tantùm attinet ſubſtare aut ſubſiſtere, ad ens quale qualificare, ad ens relativum referre, &c. nequaquam verò extraponere partes, ſive extendere: Igitur pro tali extenſione tum efficienda, tum explicanda recurrendum eſt ad ens quantitativum, ſive ad ens, quod Ariſtotelici ***quantitatem*** vocant.

XV. Et addūt eſſe realem accidentalé. Adde quòd id quod eſt ***eſſe quantum***, ſive extenſum, non eſt qualiſcunque effectus realis; ſed effectus realis accidentalis: Ergo aſſignanda eſt cauſa realis accidentalis, nec alia poteſt convenienter aſſignari quàm quantitas. Antecedens certum eſt; nam ſaltem ſupernaturaliter poteſt fieri, ut partes alicujus corporis in eundem locum coadunentur; quod idem eſt ac intra ſe ipſas collocari, ſive penetrari; atque ita poteſt aliquod corpus non eſſe extenſum; & ſic per accidens eſt quòd ſit extenſum. Quapropter id quod eſt eſſe quantum, ſive extenſum, eſt effectus accidentalis; aliunde verò eſt realis, ut probatum fuit: igitur eſt realis accidentalis. Conſequentia autem ſic probatur; & *primò* quidem aſſignanda eſt cauſa realis accidentalis: quæcunque enim accidentalis non eſt, eam nec eſſe eſt eſſe eſſentialem: at cauſa eſſentialis non poteſt producere effectum accidentalem. ***Secundò*** nec alia poteſt convenienter aſſignari quàm quantitas, nec enim aſſignari poteſt qualitas, aut relatio, aut actio, aut paſſio, aut ubicatio, &c. ut ſatis conſtat; ergo, &c.

Digitized by Google

Reſp. Et conceſsâ majori nego ſequelam minoris, pro cujus probatione ſolvenda diſtinguo majorem. Id quod eſt *eſſe quantum* eſt effectus realis, realitate ſcilicet identificata cum entitate ipſius ſubjecti, concedo majorem: realitate diſtinctâ, nego majorem. Ac tum nego pariter minorem, & dico id, quod eſt habere partes extra partes, nihil reale addere ſupra id, quod eſt habere partes, quia talium partium eadem omninò eſt realitas ſive ſint intra, ſive ſint extra ſe invicem; ita ut per extrapoſitionem illam nihil reale conſequantur; uti nihil realitatis adjicitur nummo quando aut intra crumenam admittitur, aut emittitur extra. Itaque fateor quidem id, quod eſt habere partes extra partes, reputandum eſt pro effectu reali; ſed contendo non reperiri in eo novam realitatem, ſive de novo productam, & diſtinctam ab entitate ipſarum partium, quæ ſic extra ſe invicem collocantur. Cauſa autem phyſica realis collocationis non alia eſt, quàm ipſa vel talium partium activitas, per quam ſe ipſas ſic collocant: vel activitas agentium extraneorum, à quibus ſic collocantur. Quia tamen id quod eſt habere partes extra partes, poteſt conſiderari ſeorſim ab eo, quod eſt habere partes, eapropter ſtatus ſeu effectus ille ſuperaddit ipſi entitati partium aliquem reſpectum formalem metaphyſicum. Omnis autem effectus ſuam habet cauſam ſibi proportionatam; igitur tali effectui aſſignanda erit cauſalitas alicujus formalitatis metaphyſicæ, & hæc eſt quantitas, quæ ſic ſe habet ad rem quantam, ut humanitas ad hominem, ut animalitas ad animal, &c. quod jam pluries dictum eſt. XVI. At illa realitas & realitas ſubjecti non ſũt duæ.

Ad id verò, quod additur reſpondeo ſimiliter, & fateor effectum, de quo agitur, eſſe accidentalem; ſed nego iſtam accidentalitatem importare realitatem ullam diſtinctam ab entitate partium, quibus convenit eſſe ſic poſitas extra ſe invicem. Imo contendo illam conſiſtere in mera aliqua formalitate metaphyſica, ſecundùm quam corpus conſiderari dupliciter poteſt aut præciſe ut corpus, ſeu ut habens partes; aut ulteriùs ut quantum, ſeu ut habens partes extra partes: quamvis, ut dixi, id quod eſt habere partes extra partes nihil reale diſtinctum addat ſupra id, quod eſt habere partes. De cætero non tantùm per accidens eſt partes eſſe extra partes, ſed rurſus per accidens eſt illas eſſe aut plures, aut pauciores: ubi enim ſunt plures, ibi major; ubi autem pauciores, ibi minor eſt quantitas. Unde intelligis quod ſicuti quantitas, præciſe ut major, nihil importat reale, niſi plures partes; ita quantitas, præciſe ut quantitas, nihil importat, niſi partes abſtrahendo ab hoc, quòd ſint plures aut pauciores; ſed ſemper involvendo extenſionem, ſeu extrapoſitionem il- XVII. Nec alia eſt realitas accidentalitatis, quam opponunt.

larum. Et advertes, ſi placet, rigorem loquendi metaphyſicum exigere, ut cuilibet quantitati ſua quædam ulterior quantitas tribuatur: ſi enim in exemplum aſſumimus duos lapides inæquales, habet uterque ſuam quantitatem conſiſtentem in extrapoſitione partium, ex quibus conſtat; ſed alter è duobus habet quantitatem majorem conſiſtentem in pluralitate talium partium: at quantitas major quid eſt, niſi quantitas ulterior præſuppoſitam quantitatem afficiens?

XVIII. Opponunt ſeparationem quantitatis à ſuo ſubjecto.

Objicies *Secundò*. Quantitas alicujus corporis poteſt exiſtere ſeparata ab illo: ergo obtinet realitatem ſibi propriam; & ſic datur ens illud reale, quod Ariſtotelici quantitatem vocant. Conſequentia manifeſta eſt; quia exiſtentia nunquam competit entibus fictis, aut merè cogitatis; ſed realibus: atque ita quidquid obtinere poteſt exiſtentiam ſeparatam, obtinet realitatem ſibi propriam. Antecedens facilè probatur: tum ex fide receptiſſima, quia omnes Catholici credunt nullam ſupereſſe panis ſubſtantiam poſt verba Euchariſtica conſecratoria; tum aliunde ex ſenſibili experientia, quâ deprehenditur remanere eandem commenſurationem, & eandem tangibilitatem prædicti panis; id eſt, eandem quantitatem, nec auctam, nec imminutam.

XIX. Et eam ſic ſeparatam ſubjectare cætera accidentia.

Adde quòd de cæteris accidentibus uti gravitate, figura, albedine, ſapore, &c. quæ ſimiliter ex ſenſibus patet manere eadem omninò poſt conſecrationem, probabiliſſimum eſt, quòd ſubjectentur in quantitate: ergo etiam ex hoc capite verificatur propriam aliquam realitatem convenire quantitati, de qua agitur. Et hæc conſequentia conſtat; quia ſi ad exiſtendum ſeorſim requiritur quædam realitas; multò æquiùs exigitur ad ſubjectandum: probatio autem antecedentis hæc eſt: quia ſi admittitur cætera accidentia ſubjectari in quantitate, uno tantùm miraculo opus eſt, nempe quòd quantitas gerat vices ſubſtantiæ. At è contra, ſi id negatur; tot admittenda erunt miracula, quot ſunt accidentia, quæ poſt conſecrationem exiſtent ſeorſim ab omni ſubjecto: quis autem neſcit hanc in ſcholis receptiſſimam conſuetudinem eſſe, ut quoties non poteſt aliquid, niſi per recurſum ad miracula explicari, id per pauciora, quantum poteſt fieri, explicetur? Ergo &c.

XX. Nec poſſunt cætera accidentia ſubjectari in quantitate, ſi.

Reſp. & nego antecedens, ſi Adverſarii illud, uti par eſt, intelligant de ſeparatione reali; nam quantitas iſta molis, de qua agitur, ſeparari à ſuo ſubjecto realiter non poteſt potiùs, quàm quantitas virtutis: at quantitatem virtutis quis unquam finxit poſſe ſeparari realiter à ſuo ſubjecto, ut intellectionem ab intellectu; volitionem à voluntate; ſapientiam à ſapiente; amorem ab amante; &c. ſive quod ſic potiùs dicendum eſt, perſpicaciam intellectionis ab intellectione;

conſtantiam

conſtantiam volitionis à volitione; magnitudinem ſapientiæ à ſapientia; fervorem amoris ab amore, &c.? Tum verò pro ſolvenda probatione hujus antecedentis nihil quidem ambigimus, nec ullo modo hæremus in hoc quod fides docet panem Euchariſticum per verba conſecratoria tranſubſtantiari ex toto in corpus Chriſti; ſed contendimus non poſſe ex ſenſibus noſtris dijudicari, niſi ſolam remanentiam ſpecierum panis; qualis utique ſola remanentia olim à ſanctis Patribus & à variis conciliis definita fuit. An autem hujuſmodi ſpecies ſint necne talia in genere phyſico accidentia, qualia ab Ariſtotelicis propugnantur, id omninò aliunde, quàm ex fide ſacramenti hujus Venerabilis decidendum eſt: lis enim tota eſt philoſophica, & hæc ſi equidem talis eſt, non veremur eâ cadere. De cætero prolixiorem diſſertationem requirit, & alibi pertractabitur; tantùmque interim dico multò convenientiùs, expeditiùs, veriùs ſalvari phænomena ſacra omnia prædicti Sacramenti Euchariſtici, ſi dicatur illa non à pane quidem præſente, cum nullus ſit; ſed à Chriſto præſente ac ſuplente vices panis abſentis, ſive tranſſubſtantiati, ſenſibus ac ſenſationibus noſtris exhiberi.

Ad id verò quod -ditur dico non poſſe quantitatem abſque manifeſtiſſima repugnantia reputari pro communi ſubjecto accidentium, de quibus agitur: quia quantitas neceſſariò ſupponit id omne, cujus eſt quantitas: atq; ita ſubjectatur in eo, cujus eſt quantitas: ideoq; ſicut quantitas corporis ſubjectatur in corpore, ſic quantitas albedinis ſubjectabitur in albedine; quantitas gravitatis in gravitate; quantitas ſaporis in ſapore; &c. Deinde quomodò poſſint cætera illa omnia accidentia Euchariſtica ſubjectari ſimul in prædicta quantitate, cùm non ſit eadem quantitas omnium? Nam ibi quidem major eſt albedo, quàm gravitas; & rurſus major ſapor, quàm odor; &c. prætérquamquòd talia accidentia non habent menſuram communem, ſiquidem aliter menſuratur albedo, aliter gravitas, aliter ſapor, aliter odor, &c. quid autem eſt quantitas alicujus accidentis, niſi menſura ejuſdem? Tandem cùm ſubſtare idem ſonet in ſenſu propriè dicto metaphyſico ac eſſe ſubſtantiam; nec quantitas tranſmutari in ſubſtantiam poſſit etiam Divinitùs propter diverſitatem utriuſque eſſentialem, videant Peripatetici qualiter tueri poſſint id, quod docent de quantitate cætera accidentia ſubjectante. Quod autem adjiciunt miracula Euchariſtica multum imminui, ſi ſtatuitur quantitatem cætera accidentia ſubjectare, nequaquam nos urget: ſive quia non ſic licet ſatagere de miraculis imminuendis, id eſt, ad minorem numerum redigendis: ſive etiam quia in ſententia, quam tuemur de-

XXI. Nec poſſunt cætera accidentia ſubjectari in quantitate, ſicut falsò præſumitur.

Google

ſpeciebus Euchariſticis alibi ſtabiliendam, nobis pariter ſufficit unicum miraculum, ſcilicet Chriſti ſemper prompti ad operandum & operantis, quidquid circa ſenſus noſtros operaretur panis, ſi non fuiſſet tranſſubſtantiatus. Nec omitto id, quod objicitur de quantitate cætera accidentia ſubjectante, aut etiam de quidditate reali ipſius quantitatis non carere controverſiis ſcholaſticis, quæ apud ſcriptores Ariſtotelicos videri poterunt; uti apud Arriagam diſput. 5. Metaph. ſect. 1. & alios.

XXII. Quid ſit extenſio partium in ordine ad locum.

Tandem tempus eſt recenſendi plures proprietates, quæ vulgò tribuuntur quantitati, & inter quas primum, ac potiſſimum locum obtinet *extenſio in ordine ad locum*, id eſt, activitas, & ſimul habilitas extendendi localiter partes, quas afficit, veluti aſſignando ac ſeligendo ſingulis ſua loca prout à natura, vel ab arte exigitur. Atque ut illicò noveris, quàm præclara ſit proprietatis prædictæ hujus fictio; cogita quàm mirabilis ſit ordo, ac diſtributio partium omnium organicarum, ex quibus corpus v. g. humanum coaleſcit cùm primò gignitur; nam ſtatim intelliges non poſſe diſtributionem illam perfici niſi ab eo, qui noverit, quæ & qualia, & qualiter collocanda ſint organa & diſponenda ad operationes humanas; non poſſe inquàm fieri, niſi à Deo, qui vel omninò ſingulis partibus organicis ſua loca adminiſtret; vel certè ſingulis convenientem imprimat motionem, per quam ad obtinenda illa eadem loca procurrant. At quomodò id totum præſtare poſſet paupercula quædam entitas accidentalis intelligentiæ omnis, & artis incapax?

XXIII. Quid ſit extenſio partium in ordine ad ſe.

Tum verò iſta prædicta proprietas, & idem cogita de cæteris, quas mox proſequemur, emanat, ut aiunt Ariſtotelici, ab eſſentia quantitatis; & hæc eſſentia, ut docent, conſiſtit *in extenſione partium in ordine ad ſe.* Hanc autem eſſe ex toto ac multò incongruentiùs fictam ex hoc colligitur, quòd per illam vel intelligunt ſolam diſtinctionem partium entitativam, & hæc independenter ab omni extraneà quantitate partibus ipſis convenit: vel intelligunt diſtinctionem illam ſimul cum aliquo reſpectu locali ſitus ſuperioris, inferioris, dextri, ſiniſtri, &c. At ubi non eſt extenſio localis, ibi non poteſt aliqua pars eſſe inferior aliâ, aut ſuperior, aut dextra reſpectu alterius, aut ſiniſtra, &c. Omnes enim unum & eundem indiviſibilem locum occupant; ut accidit erga Sacro-Sanctum Chriſti Domini Corpus, quod adoratur ſub ſpeciebus Euchariſticis, ubi omnes ac ſingulæ partes illius abſque ulla extrapoſitione locali intra eundem, & indiviſibilem locum, aut quod idem eſt, intra ſe ipſas mirabiliter

Digitized by Google

Secunda proprietas, quæ quantitati tribuitur, eſt ***non habere contrarium***; & intelligenda eſt in hoc ſenſu, quòd quantitas præcisè ut quantitas eſt, non importat ullam activitatem; & ſic corpora præciſe ut ſunt quanta, licet quantitatem obtineant maxime inæqualem, non ſunt inter ſe contraria. Huic ſecundæ proprietati addunt tertiam ſcilicet ***non ſuſcipere magis & minus***, ſic utique tantùm intelligendam, quòd inter duo quanta quantumvis inæqualia non ſit ratio, propter quam unum potiùs denominetur quantum, quàm aliud: quia ratio formalis, propter quam aliquid denominatur quantum, petitur præciſe ex hoc quòd habeat ſuas partes extrapoſitas localiter; quòd autem plures aut pauciores habeat, id nullatenus ſpectat ad eſſentiam quantitatis. Grammatici aliter dicerent non poſſe unum quantum eſſe magis quantum, quàm aliud, ſi illud ***magis*** accipitur adverbialiter: ſecus autem, ſi accipitur adjectivè. Tum huic tertiæ proprietati adjiciunt quartam, ſcilicet ***poſſe menſurari***; & revera omne, quod eſt quantum, eſt menſurabile; ſed aliter atque aliter prout concluditur intra diverſas ſpecies quantitatis: ſic enim quantitas viæ lineis; quantitas panni ulnis; quantitas caloris gradibus menſuratur; & ſic de aliis. Ubi eſt advertendum quantitatem ſemel notam non tantùm poſſe menſurari, ſed etiam menſurare cæteras ſui generis, ut ſatis intelligitur. XXIV. Recenſentur aliæ proprietates quantitatis.

Poſſet etiam adjici quinta, ſcilicet ***denominare res æquales, aut inæquales***; quatenus omnia quanta ejuſdem generis aut uni menſuræ ſubjacent, & ſic ſunt æqualia; aut non ſubjacent, & ita ſunt inæqualia. Unde in ſcholis vulgare eſt res ex quantitate æquales, ut ex qualitate ſimiles denominari: quamquam uſus loquendi id obtinet, ut ſæpe qualitatibus æqualitatem, & quantitatibus ad invicem comparatis ſimilitudinem adſcribamus: ſic enim nihil vetat quin dicatur duos baculos tripalmares longitudinem habere ſimilem; & duos ignes pariter accenſos activitatem habere æqualem. Quare non eſt adeò contentiosè hærendum in formulis illis loquendi philoſophicis. De cæterò non video quid de iſtis proprietatibus hucuſque relatis in prolixiorem controverſiam adduci debeat; quare de prædicamento quantitatis hactenùs dictum ſit. XXV. Adjicitur adhuc & explicatur alia proprietas quantitatis.

ARTICULUS III.

DE PRÆDICAMENTO qualitatis.

I. Omni enti advenit ſua multiplex qualitas.

NOTANDUM *Primò* id, quod omni enti antecedenter ad cæteras formalitates omnes convenire, aut advenire intelligitur, eſſe haud dubie propriam entitatem; de quâ parum abeſt, quin Ariſtotelici pernegent eſſe identificatam realiter cum ſuo ſubjecto. Tum verò iſti entitati cæteræ formalitates adveniunt, & imprimis veritas, bonitas, & unitas, de quibus antè dictum eſt, & à quibus infinitæ aliæ pendent, & prodeunt; uti non difficilè intelliges de quantitate v. g. & qualitate, ſi tantummodò cogitas cuilibet enti non omnem entitatem; ſed certam aliquam entitatis menſuram convenire; hæc autem certa entitatis menſura quid eſt niſi ipſa *tantitas* entitatis, ſive ut loqui ſolemus, quantitas? Et ſi rurſus attendis cuilibet enti pariter convenire non omnem differentiam, ſed certam aliquam differentiam entitatis: hæc autem certa entitatis differentia quid eſt niſi ipſa *talitas* entitatis, ſive ut frequentiùs dicitur, qualitas?

II. Et hæc qualitas eſt quædam veritas illius ſecundaria.

Deinde quia quælibet res per veritatem ſuæ entitatis differt ab omni alia, hinc intelligitur qualitatem, quæ ſuo modo concurrit ad cauſandas rerum differentias pendere à veritate; quin etiam poſſe meritò vocari veritatem ſecundariam. Et ſimiliter, quia quælibet res per bonitatem ſuæ entitatis obtinet certam ac plenam ejuſdem menſuram, hinc ſimiliter intelligitur quantitatem, quæ ſuo modo concurrit ad cauſandas rerum menſuras pendere à bonitate; quin etiam poſſe meritò vocari bonitatem ſecundariam. Unde rurſus, quia in diſputatione de attributis in communi oſtenſum eſt ens priús eſſe verum quàm bonum, hinc ſtabiliendum fuiſſet quantitatem præcedi à qualitate, ſicut bonitas à veritate præceditur; & diſputandum proinde fuiſſet de qualitate iſta prædicamentali priùs quàm de quantitate. Noluimus tamen conſuetum diſputandi ordinem immutare; quia dummodò ſalva ſit veritas, quid intereſt non obtemperare conſuetudini.

Digitized by Google

Notandum *ſecundò* Ariſtotelicos plurimùm laboraſſe in tradenda definitione idonea qualitatis ; quia pleriſque non placuit illa, quam Ariſtoteles tradidit 5. metap. ***Qualitatem dico, quâ quales quidam dicuntur***, & meritò quidem non placuit: quia non ſatis explicat quid ſit qualitas ; ſicuti non ſatis explicaret quid ſit albedo, qui diceret. ***Albedo eſt, quâ albi quidam dicuntur***; aut quid ſit doctrina, qui diceret, ***Doctrina eſt, quâ docti quidam dicuntur*** ; aut quid ſit virtus, qui diceret, ***Virtus eſt, quâ quidam virtuoſi dicnutur*** ; &c. Sed non multò feliciùs ejuſdem qualitatis naturam explicuerunt cæteræ definitiones ab aliis adinventæ ; nam quod variis terminis protulerunt qualitatem eſſe accidens conſequens formam ; aut modificativum ſubſtantiæ ; aut determinativum ſubjecti ; aut completivum ejuſdem : &c. id totum, aut non ſatis manifeſtat in quo qualitas à cæteris accidentibus diſcernitur ; aut certè non inſinuat ſufficientem conceptum ejus realitatis, quàm vulgò qualitati iſti prædicamentali adſcribunt. III. Quæ ſit vulgaris definitio qualitatis.

Quare, ut opinor, clariorem illius notionem obtinebis, ſi advertas convenire omni rei duo quædam genera attributorum differentialium, ſcilicet eſſentialium & accidentalium : dupliciter enim aliquid differt ab alio ; nempe eſſentialiter, id eſt, per attributa quædam eſſentialia ; & accidentaliter, id eſt, per attributa quædam accidentalia. Illa conſtituunt veritatem rei eſſentialem, ſive qualitatem rei eſſentialem, quæ utiq; ad hoc prædicamentum non ſpectat: iſta autem conſtituunt veritatem rei accidentalem, ſive qualitatem rei accidentalem attinentem ad hoc prædicamentum. Igitur qualitas prædicamentalis nihil aliud eſt, quàm veritas quædam accidentalis, nimirùm quæ ex attributis accidentalibus provenit, conſtituitque rem accidentaliter talem. Verùm quia non ſic ſatis profertur diſcrimen qualitatis à quantitate, quæ pariter locum habet inter attributa accidentalia: tantùm addo Logicos ac Metaphyſicos conſiderare in omni ente hinc partem genericam, ſive materialem ; illinc partem aliam differentialem, ſive formalem: utraque autem pars ſua obtinet attributa accidentalia. Quando itaque dixi qualitatem prædicamentalem eſſe veritatem rei accidentalem, ſive provenientem ex attributis accidentalibus, id intellexi de attributis accidentalibus, quæ ſpectant ad partem differentialem rei, ſive formalem: at quantitas ſpectat ad partem rei genericam, ſive materialem. Quo pacto accidens materiale eſt eſſe quantam : at accidens formæ eſt eſſe qualem. IV. Quæ ſit qualitatis definitio convenientior.

Notandum *tertiò* diviſam fuiſſe ab Ariſtotele qualitatem in quatuor ſpecies ; ſed quarum ſingulæ ſunt bimembres : ſcilicet in habitum ; & diſpoſitionem ; in potentiam & impotentiam ; in paſſionem, & patibilem qualitatem ; ac denique in figuram, & formam. Ad ***primam*** ſpe- V. Vulgares qualitatis diviſiones

Digitized by Google

expo-
nuntur.

ci m attinent affectiones omnes alicujus ſubjecti, ſive ad agendum, ſive ad patiendum parati; hæc autem præparatio vel includit promptitudinem, ac facilitatem partam per actus iteratos prævii exercitii, ſicque vocatur habitus; vel nondum utramque obtinuit, ſicque vocatur ſimpliciter diſpoſitio. Ad *ſecundam* ſpectant omnes facultates operatrices, quæ ſi ſanum & optatum vigorem obtineant, denominantur potentiæ: aut è contra reputantur pro impotentiis, ſi vigorem non habuerint, niſi infirmum & inſufficientem: tametſi per impotentiam intelligant multi non potentiam languidam, ſed omnimodam privationem potentiæ. Ad *tertiam* revocantur omnes qualitates ſenſibiles, ſive ex quarum ſenſatione ſenſus aliquid patitur: unde paſſiones vocantur, ſcilicet in ſenſu activo quaſi paſſionem efficientes; ſed ſi paſſionem diuturniorem efficiant; vocantur ad diſcrimen patibiles qualitates. Non video tamen cur iſta ſpecies non æquè poſſit intelligi de impreſſionibus doloriferis ſive tranſitoriis, ſive permanentibus, quæ cauſantur ex activitate, & influxu qualitatum ſenſibilium. Ad *quartam* denique ſpeciem referendæ ſunt hinc omnes configurationes alicujus ſubjecti, hinc omnes ejuſdem ſive contemperationes, ſive proportiones, quæ reddunt illud formoſum: at omne ſubjectum, ſcilicet corporeum, habet ſuam configurationem ſive figuram, quæ nihil aliud eſt, quàm certa quædam habitudo quantitatis intra terminos definitos contentæ: & habet ſimiliter ſuam formoſitatem ſive formam, quando ſimul cum prædicta habitudine conjungitur debita, & conveniens proportio, ac diſtributio delineamentorum, quæ figuram abſolvunt. Et ſic quidem ſupradictæ quatuor ſpecies bimembres qualitatis prædicamentalis poſſunt exponi, quamvis & aliter à multis exponi ſoleant; quod non miror, nec reprehendo, quia fere ex toto arbitrariæ ſunt, & ſic poſſunt in ſenſus multiplices detorqueri. Imò nec illas multum laudat Arriaga diſp. 5. Metap. ſect. 2. ubi ait, ***Meliùs ergo dividi poteſt qualitas in naturalem, & ſupernaturalem; in vitalem, & non vitalem; in inſenſibilem, & non inſenſibilem***, &c.

VI.
Proponitur ſtatus difficultatis.

His prænotatis jam decidendum occurrit utrum qualitas prædicamentalis realitatem importet, per quam à ſuo ſubjecto diſtinguatur, aut è contrà non importet, niſi formalitatem metaphyſicam, quæ ſtabilire poſſit diſcrimen tantummodò metaphyſicum ejuſdem qualitatis à ſubjecto. Nam Ariſtotelicis quidem ferè omnibus ſic videtur omnem qualitatem eſſe quoddam genus entis realis, ac proinde realiter producti, & advenientis realiter ſuo ſubjecto, & tandem ab ipſo diſtincti realiter, ut ſi in exemplum adducitur diſpoſitio, quæ eſt in rotis horologicis ad menſurandas & indigitandas horas diei, nunquid conten-

Digitized by Google

dunt illam reputandam eſſe pro realitate, quæ prædictis rotis advenerit, eiſque inhæreat, & ſeparari ab iiſdem poſſit? At è contra nos contendimus rationem omnem & denominationem qualitatis conſiſtere in merâ formalitate quadam metaphyſica, ac proinde nullam realitatem ſuperaddere ſuò ſubjecto: ita ut diſpoſitio, quam in exemplum adduximus, nullam obtineat realitatem ſibi propriam. Quod autem de tali diſpoſitione verificatur, id ſimiliter verificabitur de habitu, de potentia, de impotentia, & aliis omnibus ſpeciebus qualitatis, ut patebit ex dicendis in aſſertione ſequente.

ASSERTIO UNICA.

Tale genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant qualitatem prædicamentalem, nullum eſt: quin imò prorſus inutile, & ineptum eſt præſtandos effectus quos illi tribuunt.

PROBATUR *primò*. Si qualitas eſt genus quoddam entis realis, ſequitur omni qualitati convenire ſuam, ac ſibi propriam realitatem; ſed hoc falſum eſt: ergo & illud. Sequela majoris eſt evidens, quia nulla excogitari poteſt ratio conveniens, cur uni qualitati potiùs, quam alteri conveniat ſua ac ſibi propria quædam realitas: nunquid enim omnes æqualiter ſub uno & eodem conceptu generico qualitatis comprehenduntur? Minor autem ſic probatur. Si omni qualitati conveniret ſua ac ſibi propria realitas, ubicunque comperirentur plures qualitates, ibi efficerent compoſitionem realem: ſed hoc rurſus falſum eſt: ergo & illud. Iterùm ſequela majoris eſt evidens, quia ſi omni qualitati convenit ſua ac ſibi propria realitas, hoc ipſo pluralitas qualitatum eſt pluralitas rerum, nec poteſt pluralitas rerum non efficere compoſitionem realem. Minor autam probatur; quia in ſubjectis ſpiritualibus non pauciores, imò multò plures ſunt qualitates, quàm in ſubjectis materialibus: ſcilicet propter ſuperiorem excellentiam: nec tamen in illis comperitur realis ulla compoſitio, ut manifeſtè convincitur ex ſimplicitate, quæ eſt comes individua ſpiritualitatis. **VII. Qualitates ſpirituales haberent realitatẽ diſtinctam.**

Aut ſi dixeris id ſingulare eſſe qualitatibus ſubjectorum ſpiritualium, ut realitatem habeant communem, & indiſtinctam; atque in hoc ab illis differre qualitates ſubjectorum materialium. Contra eſt *primò*, quia qualitates utrorumque accidentales ſunt: ac proinde juxta principia **VIII. Neque poſſet judicari aliter de illis.**

Digitized by Google

riſtotelica habent realitatem & reciproce ad ſe invicem, & relativè ad ſua ſubjecta non abſimiliter diſtinctam: ita ut ſi motus lapidis diſtinguitur realiter à lapide, diſtinguendus æquè ſit ab Angelo motus Angeli. Tum *ſecundo* quia à ſingulis atomis, ſive punctis phyſicis, conveniunt plures qualitates, ut produci, moveri, miſceri, figurari, gravitare, &c. nec tamen iſtæ qualitates obtinere in illis poſſunt realitatem diſtinctam; quia talia ſubjecta licet materialia, ſunt nihilominus incompoſita, ſive quod idem eſt, ſimplicia. Igitur quod qualitatibus tribuitur habere realitatem abs ſe invicem, & à ſubjectis ſuis diſtinctam, aut omnibus tribuendum eſt, quod falſitatis convictum fuit; aut nullis: quod præeligimus aſſerendum.

IX. Omnis qualitas rursùs componeretur ex multis aliis.

Probatur *ſecundò*. Nulla eſt in quocunque ſubjecto qualitas aſſignabilis, quæ non ſubjaceat multis aliis qualitatibus; atqui hinc convincitur nullum tale eſſe genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant qualitatem: Ergo &c. Major, ſiquis de eâ addubitaverit, probari in hunc modum poteſt aſſumendo in exemplum potentiam hominis pro greſſivam: hæc ſiquidem potentia non eſt talis, qualis eſt aut in leone, aut in lupo, aut in lepore, aut in teſtudine, &c. & ſic habet ſelectas qualitates connaturales talis habitus, talis diſpoſitionis, talis temperiei, talis vigoris &c. ſicut rurſus inter iſtas qualitates priorem afficientes nulla eſt, quæ ſuis etiam qualitatibus non ſit prædita; nam diſpoſitio v.g. quæ eſt in potentia hominis progreſſiva, non eſt haud dubie talis, qualis eſt in potentia progreſſiva leonis, aut lupi, aut leporis: aut teſtudinis, &c. atque ita habet ſpeciales qualitates ſui temperamenti, ſui exercitii, ſui vigoris; atque uno verbo nulla eſt aſſignabilis qualitas, quæ non ſit talis, qualis non eſt alia, id autem obtinere non poteſt, niſi per ſpecies qualitates, quæ in ipſa ſint. Minor quoque ſic probatur; quia ſi omnis qualitas aſſignabilis ſubjaceret multis qualitatibus, iſtæ ſubjacerent perinde ſuis: & iſtæ rurſus aliis, & ſic deinceps: ac proinde quælibet qualitas in ſuo ſinu contineret infinitas alias qualitates: igitur & realitates: quod eſt planè abſurdum. Itaque hinc convincitur nullum tale eſſe genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant qualitatem.

X. Vel maximé, quia ſic indueret rationem ſubjecti.

Nec video quid idoneum reſpondere poſſint, niſi dicant id eſſe proprium ac ſingulare omni qualitati, ut ſuas omnes differentias, quod idem eſt ac ſi diceretur, *qualitates*, obtineat per ſe ipſam: quamquam nec illud idoneum eſt: quia qualitas hoc ipſo quòd ſubjacet aliis qualitatibus, amittit rationem qualitatis, & induit rationem ſubjecti: nulla autem eſt ſufficiens ratio propter quam unum ſubjectum per ſe ipſum qualificetur potiùs, quàm aliud. Nunc autem quod in gene-

re.

re probatum fuit, ſcilicet qualitatem non eſſe entitatem realem diſtinctam, facilè applicari poteſt ſingulis ſpeciebus qualitatis, quas ſupra enumeravimus, omittimus tamen id agere, quia id rurſus agendum eſſet in Phyſica, ubi earum ſæpe fit mentio. Moneo tantùm nec inter omnes Ariſtotelicos conveniri de realitate diſtincta ejus ſpeciei qualitativæ, quam vocant figuram; & meritò, quia figura non eſt niſi terminus quantitatis; hic autem terminus quid ſuperaddit quantitati? Aliunde autem ſi vel una ſpecies qualitatis non obtinet ſuam ac ſpecialem realitatem; hinc gravis ſuggeritur ſuſpicio adversùs cæteras; ſed adhuc gravior adversùs realitatem ipſius generis: quæ enim realitas eſſe poteſt generis, cujus non omnes ſpecies ſunt reales? Ergo &c.

Addidi in aſſertione hæc verba. *Quin imo prorſus inutile & ineptum eſt*, tale ſcilicet genus entis realis, quod Ariſtotelici *qualitatem* vocant, *ad præſtandos effectus, quos illi tribuunt.* Et *primò* quidem prorſus inutile eſt, ut patet tum ex rebus ſpiritualibus, in quibus abundant plùrimæ qualitates abſque ulla ſuperaddita realitate accidentali; tum etiam ex rebus quibuſdam materialibus incompoſitis, quales ſunt atomi, ſeu primæ particulæ elementares, in quibus nec qualitates deſunt; ut eſſe mobiles, eſſe graves, eſſe figuratas, &c. cùm tamen in iiſdem nulla fingi poſſit propter incompoſitionem quâ donantur, multiplicitas ſuperaddita realitatum accidentalium: tum denique ex hoc, quòd qualitates alicujus ſubjecti verè pertinent ad illud: ad illud autem quomodò pertinent ſi realiter ab illo diſtinguntur? Igitur propter hanc diſtinctionem inutiles ſunt ad illud qualificandum. XI. Quæ ſit inutilitas qualitatum realiter diſtinctarũ.

Secundò etiam ineptum eſt ad præſtandos effectus, quos illi tribuunt; quod ut probem aſſumo in exemplum potentiam calefactivam, quam Ariſtotelici haud dubiè enumerant inter qualitates reales ignis; & contendo nullam excogitabilem eſſe realitatem accidentalem, quæ apta ſit ad tribuendum igni id, quod eſt poſſe calefacere: neque enim poteſt calefacere niſi ratione ſuæ illius mobilitatis, quâ ſe inſinuat per poros corporum, & eorumdem partes òbvias agitat. At certum eſt talem mobilitatem non illi provenire ab ulla realitate accidentali, niſi fingatur iſti realitati convenire ſimilem mobilitatem: ſed ſi conveniret, eidem tribuendum eſſet principium motus: quo pacto non eſſet accidens; ſed natura, ſive ſubſtantia naturalis.] Tum verò ſi ab iſta potentia calefactiva, ad alias excellentiores conſcenditur; uti ad vegetativam, nutritivam, ſenſitivam, &c.: mirum eſt qualiter entitatula accidentalis, in qua nec vitalitas, nec animalitas ulla eſt, conferat XII. Quæ ſit earũ incapacitas ad effectus intentos.

ſuis ſubjectis poſſe operationes vitales, & animales exercere. Sed id ipſum erit adhuc multò mirabilius, ſi ultra proceditur ad potentiam intellectivam, aut volitivam; quomodò enim entitas accidentalis omnis intelligentiæ ac libertatis inops conferet animæ rationali id, quod eſt poſſe intelligere, & velle? Verum hæc fuſius proſequar in Phyſica, ubi de cauſa efficiente diſputabitur: quod autem de potentiis in exemplum adductis dictum eſt, intelligi perinde poteſt de cæteris qualitatibus: & ſic conſtat de totius aſſertionis veritate, quam adhuc confirmabit ſolutio objectionum ſequentium.

XIII. Oppo- nunt ſubjecta differre realiter propter qualitates.

Objicies *Primò*. Nulla ſubjecta differunt inter ſe realiter, niſi propter qualitates quibus afficiuntur: ergo inter hujuſmodi qualitates datur diſtinctio realis: ſed diſtinctio realis ſupponit entitatem realem: igitur falsò aſſeruimus nullum dari tale genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant *qualitatem*. Antecedens conſtat, quia ſubjecta præcisè ut ſubjecta non habent inter ſe, niſi rationem communem genericam videlicet entis, ſubſtantiæ, corporis, animalis, &c. Sic que patet nulla entia differre realiter ab invicem, niſi propter qualitates, quibus afficiuntur: & idem dic magis in particulari de ſubſtantiis, de corporibus, &c. Nec conſequentia minùs conſtat; & probationem, ſi quâ opus eſſet, habet manifeſtam in paritate axiomatis hujus geometrici. *Si æqualibus æqualia addas, quæ exurgunt, ſunt æqualia*: ſic itaque ſi indiſtinctis indiſtincta adduntur, quæ exurgunt ſunt indiſtincta: ac proinde nulla ſubjecta exciperent diſtinctionem ullam, ſcilicet realem à qualitatibus ſuperadditis, ſi inter iſtas diſtinctio realis non præſupponitur. Neque tandem dubium eſt, quin diſtinctio realis præſupponat entitatem realem: igitur hoc argumento rectè, & indubitanter oſtenditur qualitates prædicamentales, de quibus ſermo eſt, differre realiter & abs ſe invicem, & à ſuis ſubjectis, ac proinde entitates illarum reputandas eſſe pro realibus.

XIV. Sed oſtenditur qualitates differre realiter propter ſubjecta.

Reſp. Et nego antecedens, & ratio negandi hæc eſt: quia ſubjecta quæcunque illa ſunt, habent ex ſe ipſis ſuas entitates: neque enim ſubjecta differunt à ſuis entitatibus. Igitur entitates illæ ſubjectorum aſſignabilium vel differunt inter ſe, & ſic habeo intentum, quia differre inter ſe non poſſunt, quin æque differant earumdem ſubjecta; vel non differunt; & ſic non poſſent eſſe radices, & origines qualitatum differentium. Docent ſiquidem Ariſtotelici qualitates ex entitatibus, aut ut aliter loquuntur, ex eſſentiis ſuboriri, emanare, pullulare, reſultare, &c. at ex iiſdem entitatibus, ut patet, non poſſunt ſuboriri qualitates diverſæ, quare ſi quæ eſt differentia entitatum, non provenit ex qualitatibus, ſed è contra, ſi quæ eſt differentia qualitatum, hæc tota conſequitur ex entitatibus præſuppoſitis, & diverſis. Nihilominùs quamvis abſolute & in ſenſu phyſico falſum ſit

Digitized by Google

nulla ſubjecta differre inter ſe realiter, niſi propter qualitates, quibus afficiuntur; id aliqualiter & in ſenſu metaphyſico verum eſt: quia repugnat ea eſſe inter ſe differentia, quæ ab omnibus differentiis ſunt præciſa: at ſubjecta conſiderari præciſe ut ſubjecta, vel ſubjecta præſcindi ab omnibus differentiis idem plane eſt: igitur in hoc ſenſu metaphyſico differentia ſubjectorum provenit ex qualitatibus, quibus afficiuntur. Sed quæ tandem eſſe poſſet hæc differentia, niſi prorſus metaphyſica, quandoquidem ſatis ſupra oſtenſum eſt omnem rationem, ac denominationem qualitativam eſſe ex toto metaphyſicam? hæc autem differentia metaphyſica nullatenus probat realitatem, de quâ agitur.

XV. Opponitur rationalitas diſtincta realiter à ſuo ſubjecto.

Objicies *ſecundò*. Eſſe rationalem v. g. eſt, & vocatur ab Ariſtotelicis qualitas reſpectu hominis: ſed hæc qualitas eſt quid reale: ergo falſò aſſeritur nullum tale eſſe genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant *qualitatem*. Major eſt certa, nam propterea Ariſtotelici dicunt rationale prædicari in quale de homine; & revera id quod eſt eſſe rationalem, qualificat hominem, diſcernitque ab eo omni ente, in quo non eſt anima rationalis. Minor etiam certa eſt, quia anima rationalis eſt quid reale: quid autem aliud eſt hominem eſſe rationalem, quam ineſſe illi animam rationalem? Tum quia ſimiliter pro qualitate hominis reputatur eſſe admirativum, eſſe riſibilem, eſſe docibilem, eſſe doctum, eſſe pium, &c. & aliunde patet iſtas qualitates ex rationalitate conſequi, hinc itaque intelligitur illas perinde eſſe reales. Et ſi de qualitatibus corporeis agitur, adhuc multò evidentius eſt illas eſſe reales; cum enim calicis qualitas ſit eſſe deauratum; & parietis eſſe album; & aeris eſſe lucidum; &c. nec in iſtis omnibus deſit evidens realitas auri, calcis, lucis: &c. quis dubitet qualitates hujuſmodi eſſe reales? ergo &c.

XVI. Sed arguitur falſitatis hæc præſumpta diſtinctio.

Reſp. Rationalitatem eſſe qualitatem hominis non qualemcunque; ſed eſſentialem; at qualitas eſſentialis non eſt illa, de quâ agitur: nam qualitas prædicamentalis, quæ hîc pertractatur, eſt accidentalis, ut omnibus notum eſt. Vel aliter reſpondeo rationalitatem non eſſe qualitatem hominis, niſi denominative, ſeu attributive; ſed revera eſſe qualitatem tantummodò animæ rationalis: at hoc ipſum eſt, quod à nobis contenditur rationalitatem non eſſe entitatem realem diſtinctam ab anima rationali, & puto paucos eſſe, quibus aliter videatur. Quare ſi de cæteris qualitatibus ex rationalitate conſequentibus pariter diſcurrendum eſt: non video unde Ariſtotelici recte inferant earum realitates. Quod autem addunt de qualitatibus illis corporeis; ut eſſe deauratum, eſſe album, eſſe lucidum, &c. id probat quidem entibus realibus poſſe convenire, quod per accidentalem inhærentiam qualificent certa quædam ſubjecta; quo modo aurum inhæret calici; calx parieti; lux aeri; &c. ſed mini-

Digitized by Google

mè probat iſtas qualitates, ſive potius qualificationes obtinere realitatem ſibi propriam: rurſus hoc ipſum eſt, quod à nobis contenditur id, quod eſt calicem eſſe deauratum, nihil reale ſuperaddere entitati reali calicis, & auri; & ſimiliter id quod eſt parietem eſſe dealbatum, nihil reale ſuperaddere entitati reali parietis, & calcis, &c. Et hæc ſolutio ſufficiet, donec in Phyſica, ubi de variis ſpeciebus qualitatis agendum occurret, plura de iiſdem in particulari dicantur.

XVII. Exponũtur tres proprietates qualitatis. Tandem referam tres proprietates, quæ vulgò tribuuntur qualitati prædicamentali. Prima eſt, ***ſuſcipere magis & minus***, quod idem eſt ac intendi & remitti: quamquam fatentur hanc proprietatem non omni qualitati convenire: nam poteſt quidem intenſio cujuſdam cognitionis, aut amoris, aut odii, aut caloris, aut doloris, aut lucis, &c. eſſe major intenſione alterius; ſed non poteſt rotunditas, aut quadratura, &c. alicujus figuræ eſſe intenſior alia. De cætero autem iſtæ intenſiones & remiſſiones qualitatum omninò aliter fiunt quàm ab Ariſtotelicis doceatur; ut in Phyſica oſtendemus. Secunda eſt, ***reddere ſubjecta ſimilia, aut diſſimilia***; ſic enim viri docti dicuntur ſimiles ob doctrinam; & parietes albi dicuntur ſimiles ob albedinem, &c. nec tamen hæc proprietas ſolis qualitatibus convenit: nam entia corporea perinde vocari poſſunt ſimilia propter corpus, corpora quoque animata perinde vocabuntur ſimilia propter animam: imo quidquid dicant circa quantitatem, cui conveniat reddere ſua ſubjecta æqualia, aut inæqualia: non video cur propter eandem non poſſint vocari ſimilia, aut diſſimilia, nam numquid duo baculi bipalmares habent ſimilem longitudinem? Tertia tandem proprietas eſt ***habere contrarium***, quod idem eſt ac ſi diceretur qualitates alias aliis contrariari, & ſimiliter alias aliarum contrarietati ſubjacere: nec tamen hæc proprietas ut aiunt convenit omnibus qualitatibus, quarum non nullas reputant pro inertibus & otioſis, videlicet humiditatem & ſiccitatem: quia tamen ex eodem ſubjecto ſeſe reciproce expellunt, nec expellere poſſunt abſque activitate, non eſt ratio conveniens, ob quam non habeantur pro contrariis perinde ac calor, & frigus, &c. De cætero autem iſta contrarietas qualitatum nihil aliud eſt, quam ipſa activitas contraria ſubſtantiarum; quod moneo, ne falsò putetur qualitatibus Ariſtotelicis, quibus nulla entitas realis competit, activitatem aliquam realem competere; quod autem hic obiter monui, ſuis locis probabitur.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

DE PRÆDICAMENTO relationis.

NOTANDUM *Primò* relationem, ſi vera ac præciſa ſignificatio nominis attenditur, nihil aliud eſſe quàm actionem, quâ intellectus refert unum ad aliud, aut paſſionem, quâ illud unum ad aliud refertur ab intellectu, ſecundùm quòd relatio vel active accipitur, vel paſſive. At ſi ita eſt, ut relatio nihil aliud importet præter actionem & paſſionem hujuſmodi, nunquid actiones referendi perinde ac cæteræ omnes intelligendi, volendi, loquendi, pingendi, &c. debuerunt intra prædicamentum actionis concludi? Et idem dic de paſſionibus referendi quas perinde ac cæteras omnes prædicamentum paſſionis haud dubiè potuit continere. Unde conſequeretur inutilem admodùm fuiſſe inſtitutionem ſingularis prædicamenti pro admittendis, & ſegregandis relationibus. Aut ſi nihilominus utilis fuit ad diſcernendas actiones & paſſiones relativas à quibuſlibet aliis abſolutis, hinc ſaltem concludo relationes acceptas pro actionibus, & paſſionibus referendi nullam realitatem propriam ac ſpecialem complecti, quatenus nec actiones agentibus, nec paſſiones paſſis realitatem ullam ſuperaddere certiſſimum eſt, ut in articulo ſequente oſtendetur. I. Relatio eſt paſſio vel actio referendi

Notandum *ſecundò* Ariſtotelicos vulgò per relationes prædicamentales non intelligere ſupradictas actiones, & paſſiones referendi; ſed neſcio quas generis relativi entitates, quas vocant ſimilitudines, æqualitates, paternitates, filiationes, prioritates, poſterioritates, dependentias, &c. Atque ut id magis explicem, cogita unicum eſſe parietem album; itaque ſi unicus eſt, non eſt ſimilis alteri; ſed ſi alter dealbetur, hoc ipſo ille erit iſti ſimilis, & reciproce: & hæc ſimilitudo, ut aiunt, eſt realis quædam entitas relativa. Eodem modo cogita hominem, qui nondum quemquam alium genuerit, hic nondum eſt pa- II. Aliter ſumitur pro entitate relativa.

ter: poſtmodùm gignit, & evadit pater; & hæc paternitas eſt, ut aiunt, realis quædam entitas relativa: ſic etiam ille qui gignitur, evadit filius; & hæc filiatio eſt ſimiliter, ut aiunt, realis quædam entitas relativa. Tandem cogita unicam in horto arborem, hæc neque eſt prior, neque poſterior, ſed erit prior ſtatim atque ſuccreſcet altera: & hæc prioritas (neque aliter ſenties de poſterioritate) eſt, ut aiunt, realis quædam entitas relativa, &c. Tum non eſt dubium, quin ad ejuſdem relativi generis realitatem pertineant juxta communiorem ſectæ Ariſtotelicæ ſententiam infinitæ aliæ relationes domini & ſubditi; magiſtri & diſcipuli; cauſæ, & effectus; potentiæ, & objecti; & quis ſcit annon quoque ad eandem revocandæ ſint relationes dextri & ſiniſtri; elati & humilis; loci & locati &c.

III. Relatio alia eſt fundamétalis, & alia formalis. Notandum *Tertiò* omnem relationem prædicamentalem cogitandam eſſe, ut Ariſtotelicis placet, ad inſtar alicujus tendentiæ, quâ quidquid refertur veluti extra ſe fertur &. inclinat versùs ſuum correlativum. At hæc tendentia duplex eſt; ſcilicet formalis, quæ aliter exprimi ſolet per particulam *Ad*: & fundamentalis, quæ aliter exprimitur per particulam *In*. Tum rurſus fundamentum hujus tendentiæ duplex eſt; ſcilicet remotum & proximum: fundamentum remotum non aliud eſt, quàm ipſum ſubjectum quod dicitur referri: proximum autem accipitur pro cauſa, ſeu ratione, ob quam ſubjectum refertur, ut non difficilè intelliges exemplo ejus relationis, quâ pater tendit in filium. Subjectum itaque hujus tendentiæ, ſive fundamentum remotum, eſt humanitas patris; fundamentum autem proximum eſt generatio activa ejuſdem patris, qui ad filium non refertur, niſi quia illum genuit. At hîc difficultas nulla eſt de alterutro hujus tendentiæ fundamento, cui non dubitamus tribuere ſuam realitatem; ſed de formalitate ipſa hujus tendentiæ, quam contendimus conſiſtere in conſideratione omninò metaphyſica: & hoc idem eſt, ac ſi dicamus quòd ſicut nulla eſt quantitatis propria ac ſingularis realitas, per quam entia fiant quanta; aut qualitatis, per quam ſint qualia; ita nec ulla eſt relationis propria, & ſingularis realitas; quare deinceps aſſeremus relationes prædicamentales, atque idem cogita de omnibus, quæ fortè pro prædicamentalibus non reputantur, non eſſe entitates reales ſuperadditas ſuis ſubjectis, nec proinde eſſe ab iiſdem diſtinctas.

Digitized by Google

ASSERTIO UNICA.

Nullum datur tale genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant relationem prædicamentalem: quin etiam quamvis daretur, omnino inutile, & ineptum eſſet ad id totum, quod pro illa explicanda requiritur.

PROBATUR *Primò.* Si relatio prædicamentalis eſt quoddam genus entis realis, nullum aſſignabile eſt ſubjectum, in quo non comperiantur innumeræ realitates pertinentes ad relationem prædicamentalem: ſed hoc admitti non poteſt: ergo nec illud. Minor eſt certa; nam quid magis abſurdum poteſt excogitari, quàm id quod quis proponeret in particula cujuſlibet corporis quamtumvis minima reperiri bis mille, aut etiam adhuc plures realitates relativas? Sic quippe particula illa quatenùs fœta bis mille realitatibus: non eſſet adeò modica contra hypotheſim: nec aliunde uſquam ſatis intelligeretur modus, quo tot realitates particula illa quæ ſupponitur adeò modica, ſubjectaret. Nunc autem ſequela majoris ſic probatur aſſumendo in exemplum partem milleſimam alicujus baculi lignei bipalmaris, aut centies, aut etiam millies milleſimam ſi volueris; nam perinde eſt. Sic itaque argumentor. Pars illa milleſima *primò* æqualis eſt cæteris omnibus ejuſdem baculi partibus, quæ ſimiliter milleſimæ ſunt ejuſdem; ac ſimul omnibus partibus corporeis, quæ pariter ſunt milleſimæ reſpectu molis adæquantis eam, quæ ſupponitur in baculo bipalmari. *Secundò* inæqualis eſt cæteris omnibus partibus corporeis, quæ non ſunt pariter milleſimæ ejuſdem, aut alterius corporis molem æqualem obtinentis, &, quod præcipuè notabis, quot ſunt partes corporeæ majores aut minores ea, quam aſſignamus, iſta tot habet relationes diverſas inæqualitatis; ſiquidem eſt aut duplo major, vel minor: aut triplo major, vel minor; aut quadruplo major, vel minor: & ſic infinitum. Sicut etiam quot ſunt corpora, quæ majorem aut minorem molem obtinent eâ, quæ ſupponitur in baculo bipalmari; tot pars iſta milleſima, de qua agitur, obtinet diverſas relationes, ſeu proportiones quantitatis; ut enim eſt pars milleſima molis ſuppoſitæ, ſic eſt pars bis milleſima molis duplo majoris; ac ter milleſima molis triplo majoris, &c. *Tertiò* præter innumeras iſtas relationes æqualitatis, & inæqualitatis, adhuc multò plures in eadem parte aſſignata erunt relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis prove- IV. Realitas relationis innumeras realitates involveret.

nientes ex qualitatibus ſive eſſentialibus, ſive accidentalibus, quas obtinet, aut non obtinet: ſic quippe cùm obtineat qualitates entis veri, boni, unius, exiſtentis, ſubſiſtentis, perituri, uniti, ubicati, duri, ſicci, frigidi, gravis, mobilis, &c. tot proinde obtinet ſimilitudines reſpectu cæterarum rerum omnium, quæ conſimilibus qualitatibus abundant: ac proinde reſpectu illarum rerum, quæ iſtis qualitatibus non abundant, tot obtinebit diſſimilitudines.

V. Et hæc multiplicitas realitatum clariùs probatur. Atque ut ſtatim intelligas, quàm incomprehenſibilis ſit numerus iſtarum diſſimilitudinum, cogita quot ſint ſpecies rerum diverſæ: cùm enim pars lignea, quæ adducta fuit in exemplum, non ſit niſi unius ſpeciei, proinde habet ſpeciem diſſimilem cæteris omnibus ſpeciebus, ideoque habet tot diſſimilitudines ſpecificas in ſe ipſa, quot ſunt ſpecies diverſæ in rerum natura. Neque dicas ſufficere unicam relationem diſſimilitudinis; quia lignum aliter eſt diſſimile ebori, aliter lapidi, aliter auro, &c. & ſic ad explicandam ſpecificam ligni diſſimilitudinem adæquatam opus eſt tot diſſimilitudinibus, quot ſunt in rerum natura ſpecies. Cùm itaque omnes illæ diſſimilitudines juxta ſententiam vulgarem Ariſtotelicam ſint reales, vide quot erunt realitates in ea parte lignea, de qua agitur, milleſimâ parvi alicujus baculi bipalmaris: nec minorem vim habet hoc argumentum ſi loco illius partis adeò modicæ adduceretur in exemplum vel una atomus: perinde enim oſtenderetur eſſe in ea bis mille: imo & bis millies millenas realitates relativas diverſas: quod eſt abſurdum, & de quo fortè nunquam hactenus cogitaverunt Ariſtotelici. Ergo &c.

VI. Tendentia, quam tribuunt relationi, eſt tantū metaphorica. Probatur *ſecundò* non aliter diſcurrendum eſt de relatione prædicamentali, quàm de tendentia, per quam conceptum illius explicant: ſed hæc tendentia non eſt quid reale, imo in genere metaphyſico non eſt quid, niſi purè metaphoricum: ergo &c. Major admitti ſolet; minor autem ſic probatur *primò*; quia nulla excogitabilis eſt realis tendentia præter localem; nam impoſſibile eſt aliquid immotum eſſe ſimul, & tendere; niſi fortè tendentiam accipias pro appetitione rationali, de quâ nullus eſt hîc ſermo. *Secundò* quia ſi quæ eſt tendentia in relatione, quam pro exemplo aſſumere ſolent patris ad filium; illa utique tota oritur ex influxu ſeminali, quo Pater genuit filium: at hic influxus, etſi pro motu tendendi accipi potuerit cum vigeret, nunc certè poſtquam tranſactus eſt, amiſit vim omnem, ac rationem tendendi: quæ igitur eſſe poteſt realitas in tendentia relativa Patris ad filium? Et ut clarè videas talem tendentiam gratis confictam fuiſſe; nec acceptionem illius poſſe aliter quàm pro metaphorica reputari: cogita patrem, qui obiit, tam verè poſt, quàm,

ante

Digitized by Google

ante obitum ad filium ſuum referri ; qualiter enim antequam obiret referebatur ad filium , niſi quatenus verificabatur genuiſſe ſuum filium ? At perinde poſtquam obiit , verificatur illum genuiſſe. Similiter filius etiam extinctus refertur ad patrem non minùs verè, quàm ſi ſalvus eſſet & incolumis ; ſiquidem non minùs poſt extinctionem de illo verificatur , quod à patre ſuo genitus fuerit : quæ autem poteſt eſſe realitas in tali tendentia ſive patris extincti ad filium ſuperſtitem , ſive filii extincti ad patrem in vivis relictum ; ſive etiam alterutrius extincti ad alterum extinctum pariter ? nam inter utrumque pariter extinctum æque viget relatio ; aliàs poſt reaſſumptionem corporum quomodò Jacob eſſet filius Iſaaci , & Iſaac Abrahami, &c. neque enim ut puto Abraham gignet rurſus Iſaac , neque Iſaac Jacob , &c. ?

VII. Et falſum eſt in omni relatione eſſe tendentiam.

Deinde ſi relatio prædicamentalis eſſet realis quædam tendentia , ſicut omnis relatio , ut infra dicetur , eſt reciproca ; ita etiam reciproca eſſet hæc tendentia : unde ſicut pater tendit ad filium , ita filius tenderet ad patrem : tendere autem ad illum non poteſt , quia ab illo emanat , quandoquidem duo illa motuum genera emanandi & tendendi ſive procedendi *ab* & procedendi *ad* ſunt omninò contradictoria. Igitur quamvis relatio patris ad filium explicari per tendentiam poſſet ; non poſſet per eandem explicari relatio filii ad patrem : ſicuti quamvis idonea eſſet talis tendentia pro explicanda relatione gravium ad centrum mundi ; non tamen idonea eſſet ad explicandam ejuſdem relationis reciprocationem ex parte centri ; neque enim , ut puto , centrum reciproce tendit verſus gravia. Tandem non advertunt Peripatetici motus illos tendentiæ relativæ fore infinitos in ſingulis hominibus : nam ſicuti filius refertur immediate ad patrem , ita mediate refertur ad avum ; ad atavum , ad proavum , & ſic deinceps uſque ad protoparentem ejuſdem ſtirpis ; & ſimiliter ſicut pater immediate refertur ad filium , ita mediate refertur ad nepotem , ad abnepotem , ad pronepotem ; &. ſic deinceps uſque ad ultimum , qui in eadem ſtirpe progignetur. Quibus relationibus ſi cæteras addideris , quæ ad cæteros fraternitatis , conſobrinitatis , & cujuſcunque alterius conſanguinitatis gradus pertinent , optime tibi conſtabit tales tendentias non poſſe eſſe , niſi metaphyſicas ; ac proinde non eſſe, niſi metaphyſicam , entitatem relationum , quæ per hujuſmodi tendentias explicantur. Ergo &c.

VIII. Entitas, quam tri-

Probatur *tertiò.* Entitas , cujus nulla cauſa productiva eſt aſſignabilis , non eſt tribuenda relationi prædicamentali : ſed ejus entitatis realis , quam Ariſtotelici admittunt in relatione prædicamentali

buunt relationi, non eſt producibilis.

nulla eſt aſſignabilis cauſa productiva: ergo &c. Major conſtat; quia manifeſtè implicat dari entitatem productam abſque cauſa illius productiva; at ſi quæ entitas tribuenda eſt relationi prædicamentali, illa haud dubie eſt producta. Minor autem probatur aſſumendo in exemplum relationem ſimilitudinis, quæ de novo accidit inter parietem, qui multis ab hinc annis fuit dealbatus Romæ, & eum qui hodie dealbatur Toloſæ: itaque entitas illa realis, quam Ariſtotelici tribuunt prædictæ ſimilitudini, nullam habet cauſam aſſignabilem productivam; & ſic probo. Entitas illa ſi verè producitur, tam producitur Romæ, quàm Toloſæ: ergo nulla eſt aſſignabilis cauſa productiva illius. Antecedens manifeſtum eſt; quia non poteſt ſimilitudo inter illos parietes, quos ſuppoſuimus, eſſe reciproca, quin utrique pariter conveniat entitas illa, per quam prædicta ſimilitudo conſtituitur. Neque minùs manifeſta eſt conſequentia, quia quamvis operarius, qui Toloſæ dealbat parietem, poſſet producere Toloſæ entitatem, de quâ agitur; non certe producere poſſet illam Romæ: neque enim eſt poſſibilis actio in diſtans, ut in Phyſica ſatis probabitur. Sed neque video modum, quo producere illam Toloſæ poſſit, cum nec de producenda illa cogitet; nec quicquam præter calcis ſuperinductionem moliatur. Deinde paries, qui dealbatur Toloſæ, non tantum illicò aſſimilatur parieti alteri, quem ſuppoſuimus Romæ dealbatum; ſed omnibus omninò parietibus albis, qui ubique terrarum extant; imo rebus omnibus corporeis, in quibus aliqualis albedo eſt: unde intelligis quàm innumerabiles entitates relativæ in univerſo orbe producerentur, aut potiùs agnoſcis innumerabilitatem illam nec intelligibilem eſſe, nec admittendam.

IX. Entitas illa neq; eſſet ſimplex, neque compoſita, quod repugnat.

Denique entitas illa, quam relationi prædicamentali tribuunt, aut eſt entitas quædam ſimplex, & abſque ulla ſui diviſione conveniens hinc fundamento, hinc termino relationis; aut eſt entitas compoſita ex duabus partialibus, quarum una convenit fundamento, altera termino. ***Primum*** non poteſt admitti: quia poteſt fundamentum à termino diſtare ſexcentis millibus ſtadiorum: quomodò autem una & eadem entitas ſimplex materialis convenire & inhærere poterit ſubjectis adeò diſſitis? Sed neque *ſecundum* poteſt admitti: quia relationes illæ partiales vel eſſent ſimiles inter ſe, vel diſſimiles: ſi diſſimiles quomodò poſſent ſuis ſubjectis conferre ſimilitudinem relativam? ſi verò ſimiles: quæro qualiter illæ erunt inter ſe ſimiles, an quia erunt pariter albæ; aut pariter graves; aut pariter figuratæ; &c.? Ergo &c.

X. Quam

Addidi in aſſertione hæc verba, ***Quin etiam quamvis daretur***

(tale ſcilicet genus entis realis , quod Ariſtotelici vocant *relationem* prædicamentalem) *omnino inutile , & ineptum eſſet ad id totum ; quod pro illa explicanda requiritur.* Et *primò* quidem inutile eſſet ; quia ſive non producatur , ſive jam producta deſtruatur Divinitùs entitas illa realis v. g. quam vocant paternitatem , aut illa altera quam vocant filiationem ; nihilominùs ſufficienter verificabitur illum, qui genuerit , eſſe patrem , & illum , qui genitus fuerit , eſſe filium : quid autem aliud præter hanc veritatem requiritur ad hoc ut pater ad filium , & viciſſim ad patrem filius referatur ? Similiter quoque ſi duos parietes pariter albos ſupponimus , ad quid opus eſt realitate ullà relativà accidentali ſuperaddita , per quam verificetur illos eſſe inter ſe ſimiles ? nam revera hæc ſimilitudo independenter ab illâ entitate verificabitur : at ſimilitudinem aliquam relativam verificari nunquid idem eſt ac dari ? Ergo ad explicandam accidentalitatem relativam omninò inutile eſt illud genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant relationem prædicamentalem.

inutilis ſit hæc entitas ad effectus eidē tribui ſolitos.

XI. Et rurſus quàm inepta ſit ad illos producēdos.

Secundò neque pro eadem explicanda minùs ineptum eſt illud ipſum genus entis realis : nam quomodò poteſt entitas , quæ nullam habet in ſe ipſa ſimilitudinem cum alterutro pariete albo , de quo jam dictum eſt , conferre aliquid ad unum cum altero aſſimilandum ? At quòd talis entitas nullam hujuſmodi ſimilitudinem habeat ex hoc patet , quòd haud dubie non obtinet ſive magnitudinem , ſive figuram , ſive duritiem , ſive albedinem , &c. qualem conſpicimus in utroque pariete , de quo agitur. Similiter cùm relatio v. g. filii ad patrem ſit relatio quædam dependentiæ , vide quàm parum apta ſit ad ſtabiliendam , & explicandam talem dependentiam filiationis entitas , in qua nihil eſt ex eo omni , quod ad denominationem filii deſideratur : nam nunquid entitas illa eſt quidam homo genitus ? Cùm itaque tam inutilis ac tam inepta ſit entitas illa realis , mirum eſt tot eruditos viros , qui in Scholis Ariſtotelicis floruerunt, non deprehendiſſe illius figmentum : horrendum ſanè figmentum , ut ex ſolutionibus objectionum magis patebit.

XII. Opponunt relationem ſimilitudinis eſſe realem.

Objicies *primò.* Similitudo , quæ reperitur inter duos parietes albos, eſt relatio prædicamentalis : ſed hæc ſimilitudo eſt entitas realis : ergo hæc entitas realis convenit relationi prædicamentali. Major à nemine negatur ; minor autem probatur in hunc modum. Entitas , quæ nullatenus dependet ab intellectu , eſt realis : ſed prædicta ſimilitudo eſt entitas hujuſmodi : & ratio evidens eſt , quia quamvis nullus intellectus unquam cogitaret de ſimilitudine , quæ eſt inter præſuppoſitos parietes albos ; perinde vigeret illa eadem ſimilitudo. Nam perinde re-

rificaretur illos inter ſe eſſe ſimiles; quomodò enim poſſunt non eſſe ſimiles, ſi ſunt pariter albi, ut ſupponitur?

XIII. Et addūt illam eſſe neceſſariò realem.

Adde quòd entitas, cujus reſultantia non poteſt impediri ab intellectu, eſt realis: ſed talis eſt entitas ejus ſimilitudinis, quæ reperitur inter duos parietes albos: nam ſtatimatque ſunt dealbati; ita ſubitò, & ita neceſſariò evadunt ſimiles, ut nulla vis intellectiva poſſit reſultantiam, ſive emanationem, ſive ut alii aliter loquuntur, pullulationem reciprocæ ſimilitudinis, impedire: Ergo &c.

XIV. R. illam eſſe realem fundamentaliter.

Reſp. diſtinguendo majorem, quam concedo quidem de ſimilitudine formali; ſed nego de ſimilitudine fundamentali intellectam. Ac tum diſtinctà ſimiliter minori, nego conſequentiam; & dico ſimilitudinem fundamentalem qualemcunque ſive remotam, ſive proximam nullatenùs pertinere ad hoc prædicamentum relationis. Idque evidens eſt, ſi attenditur ſimilitudinem fundamentalem parietum, de quibus procedit ſuppoſitio, remotam quidem conſiſtere in ſubſtantia, proximam verò in albedine ipſorum: at neque ſubſtantia, neque albedinis qualitas ſpectat ad hoc prædicamentum. Igitur ad hoc prædicamentum non pertinet, niſi ſimilitudo formalis, quam ſupra oſtenſum eſt conſiſtere in nudo ac præciſo conceptu referendi, ſive tendendi; & ſic intelligis id, quod aiunt parietes, quos ſuppoſuerunt albos, eſſe inter ſe ſimiles independenter ab intellectu, tantùm verificari de ſimilitudine fundamentali ipſorum; nullatenùs autem de formali, quam fingunt ad inſtar realis alicujus tendentiæ. De cætero nec difficultate caret id, quod etiam aiunt, ſimilitudinem prædictam verificari independenter ab intellectu; cum omnis verificatio ſit operatio quædam intellectus, niſi rurſus id intelligant de verificatione fundamentali.

X V. Et in hoc tantùm ſenſu, de quo non agitur, eſt realis.

Ad id verò quod additur, reſpondeo reſultantiam illam, ſive emanationem, ſive pullulationem, aut quocunque alio vocabulo deſignatam realis ſimilitudinis, eſſe prorsùs confictam: nec alio fine excogitatam, quàm ad hoc ut effugiant vim argumentorum, quibus convincuntur præſumptam illam realitatem ſimilitudinis non poſſe produci. Cùm enim convincantur eam non poſſe produci, eò ſe reducunt, ut dicant illam reſultare, emanare, aut pullulare juxta diverſas, quas varii variè præferunt talium vocabulorum metaphoricas acceptiones. Sed totum hoc ſubterfugium vanum eſt; quia prædicta illa, & quæcunque alia conſimilia vocabula reſultandi, emanandi, &c. vel ſignificant productionem realem, vel intentionalem, ſive purè cogitabilem. Si *primum*: jam oſtenſum eſt nullam eſſe cauſam aſſignabilem productivam realis hujuſmodi entitatis. Si

ſecundum : igitur id ipſum eſt , quod contendimus , relationem ac proinde etiam ſimilitudinem prædicamentalem vel ex hoc ipſo quòd non ſit realiter ac verè producibilis , non eſſe reputandam pro ente reali ; ſed pro ente , ſive potiùs reſpectu metaphyſico.

Objicies *ſecundò*. Relatio mutua patris ad filium , & filii ad patrem eſt relatio prædicamentalis : ſed hæc ſaltem eſt quid reale : ergo gratis aſſertum fuit nullum dari tale genus entis realis , quod Ariſtotelici vocant relationem prædicamentalem. Major admittitur : tum verò in hunc modum evidentiſſimum minor probatur. Relatio quæ conſequitur ex influxu reali , eſt quid reale : ſed prædicta relatio conſequitur ex influxu reali ; ſcilicet activo ex parte patris gignentis , & paſſivo ex parte filii geniti : ergo ſaltem talis relatio eſt quid reale. Unde accidit ut pater independenter ab omni intellectu ſit pater ; & ſimiliter filius independenter ab omni intellectu ſit filius : quod utique non accideret , niſi filiatio perinde ac paternitas realitatem propriam obtineret ; nam cur id ipſum non verificatur de chimæra , niſi quia realitatem nullam obtinet ? XVI. Opponunt aliā relationē generationis.

Adde quod ſi hæc relatio, de quâ agitur , non eſt realis , nulla eſſet neceſſitas ſive amoris paterni ; ſive gratitudinis filialis ; ſive cæterorum omnium affectuum , quibus tamen nemo negat neceſſe eſſe , ut pater filium , & patrem viciſſim filius complectatur : ergo &c. Sic autem probatur ſequela antecedentis ; quia illi omnes affectus non habent pro ſua origine , niſi prædictam relationem , quæ niſi realis fuerit ; ſed potiùs ab ab intellectu conficta , ut contendimus ; quomodo ſtabilire & urgere poterit neceſſitatem affectuum paternorum & filialium ? Ergo &c. XVII. Et in hac relatione fundant affectus mutuos patris & filii.

Reſpondeo , & conceſsâ majori nego minorem : cujus probationem adductam diſtinguo in hunc modum. Relatio quæ conſequitur ex influxu reali eſt quid reale , ſcilicet eſt reale , fundamentaliter concedo majorem : eſt formaliter quid reale nego majorem ; ac tum conceſsâ minori nego ſimilit er conſequentiam ſub data diſtinctione , quam ſic explico. Verum quidem eſt influxum , quo pater genuit filium eſſe realem ; & ſic relatio paterna fundata in hoc influxu eſt realis , ſcililicet ſic accepta fundamentaliter ; ſed ſi formaliter accipitur pro tendentia , quæ ſit in patre ad filium , in hoc ſenſu acceptam contendo illam eſſe mere intentionalem. Atque ut id totum recte intelligas cogita ex parte patris generantis nihil aliud phyſicum cogitari poſſe præter prædictum influxum : at talis influxus nullam in patre realitatem producit : imò potius propter illum pater realitatem aliquam amittit , ſcilicet portionem ſeminalem , quæ ad iſtius temperamentum an- XVIII. Sed neque iſta relatio eſt realis niſi fundamentaliter.

tea pertinebat, & in cujus deciſione conſiſtit prædictus influxus. Similiter etiam ex parte filii nihil aliud phyſicum comperies, quam illam ipſam portionem ſeminis idoneè excepti, ac deinceps ſuccreſcentis in corpus organicum animandum. Ubinam itaque eſt, aut à quo & qualiter, & ad quid producitur entitas illa realis, quam vocant relationem mutuam patris ad filium, & filii ad patrem? Unde jam ſatis intelligis nec paternitatem, nec filiationem reputandam eſſe pro entitate reali, niſi in ſenſu fundamentali, quem explicuimus.

XIX. Neque in ea fundātur affectus mutui, quos opponūt. Ad id verò, quòd additur, reſpondeo planè ridiculam eſſe fictionem illam, quâ Adverſarius præſumit tum officia patris erga filium, tum obſequia filii erga patrem conjuncta cum cæteris affectibus, quibus alter alterum complecti debet, pendere omnia ex entitate accidentali, quæ partim in patre, partim in filio ſubjectetur: quaſi verò ſi Deus in alterutro entitatem illam annihilaret; ceſſatura eſſet hoc ipſo omnis neceſſitas ſive amoris paterni erga filium, ſive amoris reciproci filialis erga patrem; atque ita de cæteris ſive obſequiis, ſive affectibus. Igitur illa omnis officiorum multitudo non in entitate ulla accidentali relativa fundatur, quæ ex generatione reſultaverit; ſed in ipſa generatione hinc activa, illinc paſſiva: aut potiùs in cæteris beneficiis hinc collatis, illinc exceptis, quæ ad generationem conſequuntur; qualia ſunt nutriendi, veſtiendi, erudiendi, ditandi, & cætera multiplicis generis beneficia: nam quantulum illud eſt, quod filius debet patri, quòd genitus ab eo ſit, ſi conferatur cum iis omnibus quæ eidem debet, uti quòd fuerit, & enutritus, & veſtitus, & eruditus, & ditatus, &c. Unde ſatis patet ſolutio hujus inſtantiæ.

XX. Arguunt tandem relationes Divinas eſſe reales. Objicies *tertiò*, Si quid probant argumenta à nobis ſuperiùs adducta, id utique probant, ſcilicet nullam eſſe poſſibilem relationem, cui conveniat eſſe entitatem realem; imò probant omnem relationem, quæ reputatur pro entitate reali, eſſe chimæricam: atqui hæc doctrina mendaciſſima eſt: ergo &c. Major ex ſupradictis manifeſta eſt; minor autem ſic facilè probatur: quia fides docet dari in Divinis tres relationes, per quas videlicet tres perſonæ Divinæ conſtituuntur, & iſtæ relationes ſunt reales: atque ita univerſaliter loquendo nec pro impoſſibili, nec pro chimærica reputanda eſt relatio, cui conveniat eſſe realem. Et hoc eſt argumentum, quo frequentiſſime, ac confidentiſſimè utuntur Doctores & Scriptores Ariſtotelici ſtabilientes hanc doctrinam metaphyſicam de relationibus realibus creatis, in illâ ſuperiori Theologicâ de relationibus increatis.

XXI. Nec poſſe eſſe ni- Adde quòd diviſiones omnes prædicamentales ſunt diviſiones entis realis: illius videlicet entis, quod pro objecto Metaphyſicæ aſſigna-

Digitized by Google

tur; & reale eſt, ut omnes fatentur: neque enim Metaphyſica pro objecto ſuo ſortitur ens chimæricum: ergo relatio, quæ eſt una ex diviſionibus prædicamentalibus entis prædicti, realis eſt. Aut ſi relationes, de quibus agitur, non ſunt reales, non opus erit pro illis continendis prædicamento ullo ſingulari; & ſic illicò corrueret; ſed non ſine ſummo rei literariæ diſpendio, prædicamentum relationis; quod Dii avertant: ergo &c.

ſi reales diviſiones entis realis.

XXII. At relationes Divinæ identificantur realiter cum ſuis ſubjectis

Reſpondeo multipliciter. Et **primò** quidem dico tam immenſum eſſe diſcrimen inter relationes illas Divinas, & iſtas prædicamentales, de quibus quæſtio eſt, ut mirum ſit viros doctos inductos fuiſſe ad tribuendam iſtis realitatem, ex hoc quod illæ ſint reales: aut ſi rationabiliter ad id inducti ſunt, cur ex hoc quòd illæ ſunt ſubſtantiales, & indiſtinctæ à ſuis ſubjectis, non æquè cenſuerunt tribuendam eſſe iſtis conſimilem ſubſtantialem identitatem? **Secundò** quamvis tres perſonæ Divinæ identificentur, ut fides docet, cum natura Divina, nunquid pro chimærico haberetur conceptus quo fingeretur poſſe tres perſonas humanas identificari cum una, & eadem natura? Igitur nihil ab Adverſariis convincitur contra id, quod diximus de conceptu chimærico relationum realium in rebus creatis, ex hoc quòd dentur relationes reales in Divinis. **Tertiò** plurimis ac celeberrimis Theologis placet diſtinguere **in** relationibus Divinis perinde ac in cæteris duplicem rationem ſcilicet ***in***, id eſt fundamentalem; & ***ad***, id eſt formalem: ac tum illis realitatem tribuere juxta priorem rationem; ſed non juxta poſteriorem.

XXIII. Neque important, ut multi opinātur, perfectiones diſtinctas

Neque recedunt ab hac ſententia multi alii, quibus videtur relationes Divinas ſecundum rationem ***ad*** nullam importare perfectionem: nam ſi nullam important perfectionem, rectè arguitur eas nullam quoque importare realitatem. At quando aſſerimus relationem prædicamentalem non eſſe entitatem realem, id intelligimus de relatione ſecundum rationem ***ad***, quæ eſt vera, ac formalis ratio prædicamentalis: quapropter ſi relationes Divinæ ſecundum rationem ***Ad*** non ſunt reales, ut multis Theologis viſum fuit, evidens eſt nihil argumento, quod objicitur, convinci adversùs noſtram aſſertionem. ***Quartò*** fateor quidem nihil uſitatius eſſe apud pleroſque magiſtros Ariſtotelicos, quàm ut ex realitate relationum Divinarum probent realitatem relationum prædicamentalium; ſed nunquid cùm in Theologia agitur de relationibus Divinis explicandis & ſtabiliendis, nunquid, inquam, earum realitatem ſimiliter inferunt ex realitate relationum prædicamentalium? quod eſt ludere in præclariſſimo circulo; ſed nihilominùs tantò magis vitioſo, quantò certiùs eſt propter utrarumque diſcrimen infinitum, nec ad increatas relationes quidquid attinet ex creatis, nec quidquid attinet ad creatas poſſe

Digitized by Google

ſufficienter ex increatis dijudicari. De cæterò plurima alia occurrerent reſpondenda; ſed non libenter miſceo diſſertationes Theologicas cum Philoſophicis. Conſulo tamen ut legas, quæ ad pleniſſimam ſolutionem hujus argumenti, ſcripſit noſter Maignanus in Philoſ. entis cap. 10. de relatione, ubi nihil circa hanc controverſiam prætermiſit, quod poſſit ſubtiliter & acutè ſive objici, ſive etiam reſponderi.

XXIV. Neque dividunt ens reale niſi metaphyſicè acceptū.

Ad id verò, quod additur, dico & opto plurimùm ut advertatur diviſiones prædicamentales eſſe quidem diviſiones entis realis: ſed non entis realis ſpectati realiter: ſiquidem ſunt diviſiones entis realis ſpectati ſecundùm diverſas formalitates metaphyſicas, quibus ſubjacet. Quia enim poteſt ens reale conſiderari ut ſubſtans, ut quantum, ut quale, ut relatum, &c. hinc Metaphyſici deſumpſerunt occaſionem reducendi ad unum prædicamentum omnes entis ut ſubſtantis formalitates, quas ſubſtantialiteats, ſive ſubſtantias vocant & reducendi ad aliud omnes formalitates entes ut quanti, ſive extenſi, quas vocat *quantitates*, & ita de cæteris. Cùm itaque in prædicamentis non contineantur niſi diverſæ formalitates entis, hinc fit nullatenùs neceſſe eſſe, ut prædicamenta reputentur realia: ſicut falsò talia à multis reputantur. Quod autem ſuſpicantur aut comminantur forè, ut ſi prævaleret noſtra ſententia, rueret prædicamentum realationis, id omninò puerile eſt; nam quomodo ruet prædicamentum, quod ut ſola cogitatio erexit, ſic per ſolam cogitationem firmatur?

XXV. Exponitur prima proprietas relationis.

Denique ſub finem hujus articuli breviter referam duas celebriores relationis hujus prædicamentalis proprietates, quarum prima exigit *ut relatis conveniat reciprocatio*, quod eſt, ut Scholaſtici loquuntur, *dici ad convertentiam.* Ideo autem illis convenit hæc reciprocatio, quia quæcunque referuntur, utique referuntur ad invicem hinc, & inde: & ſic omnis relatio eſt reciproca, ſive mutua: quo pacto ut pater refertur ad filium, ſic filius refertur ad patrem; ut potentia refertur ad objectum, ſic objectum refertur ad potentiam; ut unus paries albus refertur ad alterum, ſic alter refertur ad iſtum; &c. Non deſunt tamen qui admittant relationes non mutuas, inter quas adducunt relationem creaturæ ad creatorem; cum enim, inquiunt, nulla poſſit eſſe in Deo entitas relativa accidentalis, conſequens eſt relationem prædictam, quæ eſt entitas quædam accidentalis, non eſſe in creatore perinde ac in creatura. Sed ſi, ut verum eſt, opinarentur relationem prædicamentalem conſiſtere tantùm in reſpectu quodam metaphyſico, nunquid facilè nobiſcum inducerentur ad aſſerendum tam referri creatorem ad creaturam, quàm viciſſim creaturam ad creatorem?

XXVI. Exponi-

Altera proprietas eſt *ut relatis conveniat ſimultas naturæ, & cognitionis.*

tientis; & illis quidem convenit ſimultas naturæ, quia æquè primò referuntur ad invicem, cùm non poſſit unum referri, quin aliud mutuò referatur, ut dictum eſt: ſunt etiam ſimul cognitione, quia cogitatio unius involvit cogitationem alterius; patet enim non poſſe cogitari patrem, quin cogitetur de filio: nec creatorem, quin cogitetur de creatura; &c. Et hæc quidem de relatione prædicamentali hactenùs dicta ſufficient; nam cætera, quæ circa illam diſputari ſolent in Scholis Ariſtotelicis, aut nullius ſunt momenti, aut patiuntur faciIlimam deciſionem attendendo ad doctrinam jam ſatis ſuperque toto hoc articulo ſtabilitam. tur proprietas altera ejuſdem relationis

ARTICULUS V.

DE PRÆDICAMENTO UTROque actionis & paſſionis.

NOTANDUM *Primò* Ens cujus diviſiones prædicamentales proſequimur, conſiderari etiam poſſe ſub utroque iſto reſpectu agentis, & patientis: entibus ſiquidem convenit ſuam quandoque exercere activitatem, quod eſt *agere*; & quandoque ſubjacere activitati aliorum; ac per illam immutari, quod vocant *pati*. Ex hoc autem duplici reſpectu entis proventum eſt, ut Ariſtoteles inſtituenda eſſe duo prædicamenta cenſuerit; quorum in uno actiones omnes, in altero autem paſſiones collocarentur; & id rectè quidem. Sed non propereà debuerunt Ariſtotelici affingere ſive actioni, ſive paſſioni entitatem realem accidentalem diſtinctam ab agente, & patiente; falsò reputantes prædicamenta ad res continendas adinventa fuiſſe, cùm potiùs apta non ſint, niſi ad continendos rerum reſpectus, ut jam millies dictum eſt. Igitur in hoc articulo oſtendendum occurret neque actionem, neque paſſionem reputandam eſſe pro entitate reali. I. Qualiter ens poſſit dividi in agens & patiens.

Notandum *ſecundò* duplicem eſſe activitatem; ſcilicet unam in actu primo, & alteram in actu ſecundo; activitas in actu primo idem eſt ac potentia, quam vocant activam; activitas autem in actu ſe- II. Quid ſit agere & pati, &

quæ ſit in utroque realitas.

cundo eſt prædictæ potentiæ exercitium, quod vocant actionem. Duplex quoque diſtingui pariter poteſt paſſivitas; ſcilicet tum in actu primo, & vocatur potentia paſſiva; tum in actu ſecundo, & vocatur paſſio, quæ accipienda eſt pro exercitio potentiæ paſſivæ. Potentiam itaque tum activam, tum paſſivam reducunt Ariſtotelici ad unicum prædicamentum qualitatis, licet pro actione & paſſione duo instituenda fuiſſe prædicamenta opinentur: in quo non occurrerent leviter redarguendi, ſi aut non omninò arbitraria eſſet diſtributio prædicamentorum, aut nobis ineſſet ignobilis ardor litigioſæ altercationis: quâ non illibenter prætermiſsâ dico fusè probandum eſſe in Phyſica, ubi de cauſa efficiente diſputabitur, neutram activitatem ſive in actu primo, ſive in actu ſecundo diſtingui realiter ab agente: nec non idipſum de utraque paſſivitate reſpectu ſubjecti patientis ſtabilietur: quapropter poſſet Lector remitti ad phyſicam illam diſputationem, niſi ordo convenientior doctrinæ metaphyſicæ poſtularet, ut ſaltem obiter oſtendatur quàm incongruum ſit entitatem aliquam realem ſive actioni, ſive paſſioni prædicamentali tribuere. Hoc itaque obiter oſtendetur in aſſertione ſequente.

ASSERTIO UNICA.

Nullum tale eſt genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant ſive actionem, ſive paſſionem prædicamentalem: imo ad quæcunque genera ſeu agendi, ſeu patiendi & inutile eſt, & ineptum.

411. Doctrina oppoſita adimit rebus ſpiritualibus ſuam ſimplicitatem.

PROBATUR *Primò.* Rebus ſpiritualibus perinde ac materialibus convenit agere, & pati: ergo falſum eſt omnem ſive actionem, ſive paſſionem conſiſtere in entitate reali, qualem Ariſtotelici fingunt diſtinctam à ſuis ſubjectis: & ſic nullum eſt tale genus entis realis, quod illi vocant ſive actionem, ſive paſſionem prædicamentalem. Major conſtat: nam nunquid Angeli v. g. intelligunt, & intelliguntur; amant, & amantur; delectant, & delectantur; illuminant, & illuminantur; orant, & orantur; &c.? At nunquid hoc eſt agere & pati? Tum conſequentia ſic evidenter probatur: quia non poteſt aliquod ſubjectum obtinere realem ſimplicitatem qualem obtinent res ſpirituales, & ſimul continere multitudinem entitatum realium; at ſi actiones omnes, & paſſiones v. g. Angelicæ eſſent toti-

dum realitates: Vide quanta multitudo realitatum comperiretur in Angelo; & rurſus quàm parum compoſſibilis ſit cum illius ſimplicitate. Igitur omnes ſaltem actiones, & paſſiones Angelicæ non conſiſtunt in illa entitate reali Ariſtotelica: ac multò minùs Divinæ, ut ſatis patet. Sed prætereà cùm multis rebus materialibus, quales ſunt atomi elementares, ut alibi probabitur, non deſit ſua ſimplicitas, nec aliunde negari poſſit, quod iiſdem conveniat agere, & pati; uti movere, & moveri; unire, & uniri; &c. pariter conſequens eſt actiones, & paſſiones talium rerum materialium non eſſe entitates reales, ſcilicet diſtinctas & ſuperadditas ſuis ſubjectis; quatenùs implicat aliquid eſſe realiter ſimplex ſimul & multiplex. Ergo non ſaltem omnes tum actiones, tum paſſiones rerum ſive ſpiritualium, ſive etiam materialium conſiſtunt in entitate reali, qualem admittunt Ariſtotelici.

IV. Nec aſſert cauſam realitatis, quæ actioni & paſſioni tribuitur.

Probatur *ſecundò*. Tale genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant ſive actionem, ſive paſſionem prædicamentalem, nullam habet cauſam ſui productivam aſſignabilem: Ergo nullum tale eſt genus entis realis. Conſequentia evidens eſt: antecedens autem ſic probatur. Et *primò* quidem de illo genere entis, quod vocant actionem; cujus ſi quæ eſt cauſa productiva aſſignabilis, non alia utique erit, quàm ipſa cauſa agens: at cauſa agens ſi actionem ſuam producit; nunquid etiam hæc productio actio quædam eſt? Cujus actionis iterùm requiretur cauſa productiva, & ſic deinceps donec aut perveniatur ad actionem, cujus nulla ſit cauſa productiva, quod repugnat: aut potiùs perveniatur ad actionem indiſtinctam ab agente, cujus eſt actio: qualem contendimus eſſe actionem omnem, quæ utique non conſiſtit niſi in ipſo agentis exercitio. *Secundò* id ipſum quoque probatur de altero genere entis, quod vocant paſſionem, cujus entitas ſi quæ producitur, non utique producitur niſi vel per agentis actionem, quam mox rejecimus; vel per aliam patientis ipſius actionem, quæ ut nihilominùs patet, nulla eſt in patiente: nam agere & pati diverſa ſunt; Ergo &c.

V. Oſtenditur inutilitas talis realitatis.

Addidi in aſſertione hæc verba, *imo ad quæcunque genera ſeu agendi, ſeu patiendi & inutile eſt, & ineptum.* Et *primò* quidem inutile eſt: quia ſi de cauſis materialibus agitur, omnes effectus earum reducuntur ad motum localem, ſive impreſſum, ſive ſuſceptum, ut in Phyſica oſtendemus: ad utriuſque autem hujus generis motum ſufficit natura, quæ utriuſque principium eſt, & in cauſis illis non deeſt. Quod ſi agitur de cauſis ſpiritualibus, adhuc multò magis inutile erit illud ipſum genus entis realis, quod vocant *actionem*, aut *paſſionem*: nam quis putet illarum activitatem, aut paſſivitatem pendere ab entitatula accidentali? quaſi verò non poſſit Deus aut ſine

Digitized by Google

interventu actionis diſtinctæ amare Angelum; aut abſque interventu paſſionis ſimiliter diſtinctæ amari ab Angelo. *Secundò* ineptum quoque eſt: quia entitas, quæ ſive actioni, ſive paſſioni tribuitur, nullam habet proportionem cum entitate ſive agentis, ſive patientis: nam ſi in exemplum adducitur actio Solis illuminantis univerſum orbem, aut ſimiliter paſſio ejuſdem univerſi Orbis illuminati, quæ proportio eſt inter tenuiſſimam & fragiliſſimam entitatem, quæ ſive actioni, ſive paſſioni prædictæ tribui poteſt, & amplitudinem, ſive Solis illuminantis, ſive totius Orbis illuminati?

VI. Et ejuſdem multæ abſurditates deteguntur.

Aut ſi Adverſarii voluerint entitatem actionis, & ſimiliter paſſionis coæquare cum entitate agentis, & patientis; fingendæ erunt duæ hactenus incognitæ magnitudines, quarum una Soli illuminanti; altera Orbi illuminato æqualis ſit: ac pro illis alicubi collocandis, neſcio quem locum aſſignabunt; niſi fortè ipſas penetrative conſtituant, illam quidem in Sole illuminante, iſtam verò in Orbe illuminato: ſed nunquid talis penetratio eſt impoſſibilis? Tum rurſus ſi actio, aut paſſio ſpiritualis v. g. dilectio Divina activa, aut paſſiva in exemplum adducitur, vide quid proportionis entitativæ eſſe poſſit inter accidentalitatem ſive hujus, ſive alterius & Divinitatem, cui tribuitur diligere & diligi. Ergo meritò aſſertum fuit tale genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant actionem, & paſſionem non modò nullum eſſe, ſed inſuper omninò tum inutile, tum ineptum eſſe ad omnia genera agendi, & patiendi explicanda. Et hoc quidem, quod tantummodò obiter jam probatum eſt, fuſiùs, ut prænotavi, probabitur in Phyſica, ubi de cauſa efficiente diſputabitur: ſunt nihilominùs ſolvendæ interim objectiones ſequentes.

VII. Opponitur ſeparatio actionis ab agente, & paſſionis in patiente.

Objicies *primo*. Neque actio eſt ſemper conjuncta cum agente; neque paſſio cum patiente: ergo Ariſtotelici meritò tribuunt tam actioni quàm paſſioni prædicamentali entitatem aliquam realem. Antecedens experimentaliter certum eſt, non modò in cauſis liberis, ſed etiam in neceſſariis: nam neque ignis ſemper urit; neque oculus ſemper videt; neque lapis ſemper tendit deorſum; &c. Conſequentia autem ſic probatur: tum quia repugnat aliquam entitatem non conjungi ſecum ipſa: ſi igitur una eademque eſſet entitas agentis, & actionis; actio ſemper eſſet conjuncta cum agente: ſicut etiam paſſio ſemper eſſet conjuncta cum patiente, ſi una eademque eſſet entitas patientis, & paſſionis. Tum etiam quia evidenter repugnat aliquid eſſe ſeparatum ab alio abſque eo quòd habeat entitatem ſeparatam: & evidens eſt entitates ſeparatas, ſive, quod idem eſt, non conjunctas non identificari realiter: ergo &c.

Digitized by Google

Reſp. & conceſſo antecedente nego conſequentiam, quam Adverſarii non ſatis probant, donec oſtendant actionem aut exiſtere, aut ſaltem poſſe exiſtere realiter ſeparatam ab agente; & paſſionem ſimiliter à patiente: quia diverſitas duorum realis non qualemcunque ſeparationem, aut ſeparabilitatem; ſed realem & exiſtentialem importat. At certum eſt, quòd licet agens poſſit exiſtere ſeparatum ab actione, non tamen actio poteſt exiſtere ſeparata ab agente; neque ſimiliter paſſio poteſt exiſtere ſeparata à patiente, quamvis patiens poſſit exiſtere ſeparatum à paſſione, ut ipſi Adverſarii non diffitentur. Vel aliter reſpondeo agens, ac proinde etiam patiens poſſe dupliciter conſiderari; vel in ſenſu reduplicativo; vel in ſenſu ſpecificativo ac tum, ſi agens in priori ſenſu accipitur, contendo illud eſſe ſemper conjunctum cum actione: quia evidenter repugnat agens non agere; ſi autem tantùm accipitur in ſenſu poſteriori, quid aliud probatur argumento propoſito, niſi actionem addere ſupra ſpeciem ipſam, ſive entitatem agentis reſpectum aliquem reduplicativum, qui quandoque conjungitur, quandoque autem non conjungitur cum agente? Quare non ſufficienter probatur ex hoc capite actionem diſtingui realiter ab agente, ſicut non recte probaretur poſitionem localem Petri ad dexteram Pauli diſtingui realiter à Petro, licet Petrus non ſit ſemper ad dexteram Pauli; quia talis poſitio non eſt niſi quidam reſpectus localis. Idem itaque cogita de reſpectu ſive actionis, ſive paſſionis, qui nullo modo confundendus eſt cum ullâ realitate.

VIII. **Sed hæc ſeparatio non eſt realis, aliàs eſſet mutua, quod repugnat.**

Objicies *ſecundò*. Idem non poteſt emanare à ſeipſo: & rurſus idem non poteſt recipi in ſe ipſo: ergo tam actioni, quàm paſſioni prædicamentali tribuenda eſt realitas diſtincta à realitate agentis, & patientis. Antecedens manifeſtum eſt; quia id, quod emanat ab alio, eſt poſterius illo, & ſimiliter id, quod recipit aliud, eſt prius illo: at unum & idem non poteſt eſſe ſimul priùs ac poſteriùs ſe ipſo. Conſequentia ſic probatur. Actionis eſt emanare ab agente; paſſionis eſt recipi in ſubjecto: nam actio quidem eſt influxus agentis: paſſio autem eſt impreſſio illa, quæ fit in patiente per influxum agentis. Ergo ſi neque poteſt idem emanare à ſe ipſo, neque recipi in ſe ipſo, conſequens eſt tam actioni, quàm paſſioni prædicamentali tribuendam eſſe realitatem diſtinctam à realitate agentis & patientis; ac proinde dari tale genus entis realis, quod Ariſtotelici vocant ſeu *actionem*, ſeu *paſſionem* prædicamentalem: contraquàm à nobis aſſertum fuerit.

IX. **Opponitur emanatio actionis, & receptio paſſionis.**

Reſp. & pro diſtinguendo antecedente dico non poſſe quidem unum & idem abſolutè ſumptum aut emanare à ſe ipſo, aut recipi in ſe

X. **Sed emanare &**

Digitized by Google

recipi non ſunt duæ res ; at duo reſpectus.

ipſo ; poſſe tamen, ſi ſumitur ſecundum diverſos reſpectus, juxta quos poteſt eſſe prius, & poſterius ſe ipſo abſque ulla omninò repugnantia. Sic itaque quamvis in Deo realitas entis , & agentis ſit una & eadem ; nihilominùs hæc realitas prior eſt ſub reſpectu entis , quàm ſub reſpectu agentis ; unde fit ut concipiamus actiones Divinas veluti emanantes ab entitate Divina. Similiter quamvis una eademque ſit realitas animæ rationalis , & potentiarum ejuſdem ; concipimus tamen illam eſſe priorem ſuis potentiis : quo pacto anima licet una & eadem, eſt prior ac poſterior ſe ipſa , ſcilicet prior in ratione animæ , poſterior in ratione potentiæ ; & hoc rurſus pacto quamvis actiones intelligantur poſteriores potentiis, id non impedit , quominùs ſit una eademque realitas potentiarum, & actionum. Unde univerſaliter colligendum eſt poſſe unum & idem conſideratum ſecundùm diverſos reſpectus & emanare à ſe ipſo , & recipi in ſe ipſo. De cætero tum illa emanatio actionis ab agente , tum iſta receptio paſſionis in patiente non eſt niſi purè metaphyſica ; imò etiam purè metaphorica intra genus metaphyſicum. Quapropter ex neutra probari poteſt diſtinctio plus quàm metaphyſica ſive actionis ab agente , ſive paſſionis à patiente ; qualis tantùm eſt inter omnes conceptus metaphyſicos , inter quos annumeramus conceptum agendi , & patiendi , perinde ac conceptum ſubſtandi, ſubſiſtendi, qualificandi , & cæteros omnes prædicamentales. Et ſic abunde patet ſolutio objectionis.

ARTICULUS VI.

DE CÆTERIS QVATVOR prædicamentis.

ATTENDENDO ad ea, quæ hucuſque protulimus circa ſex ſuperiora prædicamenta, non difficilè intelligentur, quæ de cæteris quatuor inferioribus dicenda occurrent: & hæc quidem prædicamenta ſic denominari conſueverunt *Ubi*; *Quando*, *Situs*, & *Habere*. At *Ubi* deſignat locum: *Quando* deſignat tempus; *Situs* deſignat diverſitatem poſitionis localis; ac tandem *Habere* deſignat poſſeſſionem, ſeu fruitionem eorum, quæ obtinentur. Nunc verò ut talium prædicamentorum inſtitutionem probè concipias, cogita illud ens, quod pro objecto Metaphyſicæ aſſignatum fuit, ſicut conſiderari potuit in ratione ſubſtantis, quanti, qualis, relati, agentis, & patientis; ita poſſe deinceps conſiderari in ratione *ubicati*, quod eſt contineri in loco; in ratione *durantis*, quod eſt ſubjacere tempori; in ratione *ſiti* quod eſt eſſe diverſimodè locatum ſuprà, aut infra; ad dexteram, aut ad ſiniſtram; &c. & tandem in ratione *habentis*, ſive arma, ſive veſtes, ſive divitias, & hujuſmodi innumera, quorum obtineri poteſt fruitio. Quapropter ſicut ad prædicamentum ſubſtantiæ revocantur omnes ſubſtantialitates; & ſimiliter quantitates omnes ad prædicamentum quantitatis, ſic ad prædicamentum *Ubi* revocamus omnes ubicationes; ad prædicamentum *Quando* omnes temporaneitates; ad prædicamentum *ſitus* omnes diverſitates locales; & tandem ad prædicamentum *Habere* omnes rerum, quæ obtinentur, fruitiones, ſeu ut ſic loquamur, habitiones? Sed de iſtis prædicamentis in particulari pauca quædam alia ſubjungemus. I. Cætera prædicamenta exponuntur generatim.

Igitur ad prædicamentum *Ubi* pertinent omnes ubicationes, ſive collocationes, aut conſtitutiones locales, quæ ſingulis entibus conveniunt; quatenùs quidquid eſt, alicubi eſt. At iſtæ collocationes non videntur poſſe accipi niſi vel pro actionibus: per quas id nonnullis II. Quid ſit ſpeciatim prædicamentum *Ubi*.

entibus proprium eſt, ut ſeſe in ſua loca promoveant ab intrinſeco; vel pro paſſionibus, per quas id nonnullis aliis entibus ſingulare eſt, ut tantùm ab extrinſeco in ſua loca promoveantur; vel etiam pro relationibus dependentiæ, ſive pro dependentiis relativis, quæ neceſſariò comperiuntur inter entia locata, & loca. Nunc verò ſi tales collocationes accipiendæ ſunt pro actionibus, aut paſſionibus prædictis, nunquid inter cæteras actiones, & paſſiones; pro quibus admittendis utrumque illud actionis & paſſionis prædicamentum inſtitutum eſt, potuerunt contineri? Si verò neceſſe eſt illas accipi pro prædictis relationibus, annon etiam continere illas potuit prædicamentum relationis? Verùm hac de re non conqueror, cùm numerus prædicamentorum omninò arbitrarius fuerit: nihilominùs hinc obiter colligi poteſt diſtributionem illorum fieri potuiſſe concinniùs. Deinde quod ſpectat ad loca, ſive ad ſpatia, in quibus ubicationes entium fiunt, id ex toto phyſicum eſt: quapropter ſufficit hîc inſinuare, illas non eſſe realitates diſtinctas à ſuis ſubjectis; ſed tantummodò reſpectus metaphyſicos, per quos entia conſiderantur, ut ubicata: ſicut abundè intelligetur ex dicendis in diſputatione phyſica de loco.

III. Quid ſit prædicamentum quòd vocant *Quando*.

Tum ad prædicamentum *Quando*, quod aliter vocari poteſt prædicamentum temporis, revocari conſueverunt omnes temporum durationes, & differentiæ, quas confiсto ad propoſitum vocabulo nuncupa ſi volueris *temporaneitates*, aut *quandoneitates*. Itaque ad hoc prædicamentum pertinent omnes præteritiones, futuritiones, ac præſentiæ temporaneæ; ac proinde etiam omnes circumſtantiæ magis expreſſæ temporis hodierni, heſterni, craſtini, menſtrui, annui, &c. Neque aliunde videtur per temporaneitates, aut ut dixi, quandoneitates prædictas intelligendum aliud eſſe, quàm dependentias relativas, propter quas entia omnia ſubjacent certis quibuſdam temporum differentiis; quidquid enim eſt, aliquando eſt. Unde ſi non ſatis patet, cur non potuerint ſub prædicamento relationis comprehendi, ſaltem ſatis facilè probari poſſet eas perinde ac ubicationes, de quibus mox dictùm eſt, non in realitatibus diſtinctis conſiſtere; ſed tantummodò in reſpectibus quibuſdam metaphyſicis. Id, inquam ſatis facilè hîc probari poſſet; ſed oportuniùs eſt probationem remittere ad diſputationem phyſicam de tempore, ex cujus notione pendet quidquid requiritur ad omnem realitatem ex iſtis prædicamentalibus temporum durationibus, & differentiis, quibus entia ſubjacent, abigendam.

VI. Quid ſit Prædicamentum *Situs*.

Deinceps prædicamentum *Situs* inſtitutum fuit pro continendis iis omnibus differentiis, quæ ſpectant ad conſtitutiones entium locales: ſic igitur ad hoc prædicamentum referuntur omnes ſuperioritates, inferio-

ritates.

Digitized by Google

ritates, lateralitates, dextreitates, ſiniſtreitates, &c. locales, propter quas nimirum non tantummodò competit rebus locatis eſſe in ſuis locis, ſed eſſe præterea in illis taliter ac taliter; videlicet ſupra aut infra, aut ad latus ſive dextrum, ſive ſiniſtrum; &c. Sed ſi tales ac tales collocationes meruerunt proprium ac ſingulare prædicamentum, opto plurimùm, ut doceant me Ariſtotelici cur ſingularia prædicamenta non fuerint ſimiliter conceſſa tot ac tam diverſis aſſignabilibus ſpeciebus, & differentiis ſubſtantiarum, quantitatum, qualitatum, &c. Certè id erat æquius, & conſultius videretur: attamen id parum intereſt, quòd plura aut pauciora prædicamenta inſtituta ſint ab Ariſtotele; ſed plurimùm refert non confundere differentias prædicamentales, ut Ariſtotelici paſſim ſolent, cum totidem differentiis realitatum. Et in hoc quidem caſu quid cum veritate Philoſophica minùs conſonum cogitari poteſt, quàm id quod à quibuſdam aſſeritur non tantummodò ubicationes prædicamentales; ſed etiam omnes differentias talium ubicationum, ſcilicet prædictas ſuperioritates, inferioritates, &c. locales ad ſitum ſpectantes reputandas eſſe pro totidem realitatibus diſtinctis? Quaſi verò ubicatio capitis, & ejuſdem poſitio ſupra humeros ſint duæ realitates diſtinctæ tum ab invicem, tum à capite, quod ſic collocatum ſupponitur. Verùm ut priorem difficultatem, quæ eſt de ubicationibus, remiſi ad diſputationem phyſicam de loco; ita poſteriorem, quæ eſt de talium ubicationum differentiis, unâ eademque vice & operâ ibidem tractabo, ac ſolvam.

Denique ad prædicamentum, quod vocant *habere*, pertinent omnes illi reſpectus accidentales, ſecundùm quos conſiderari aliquid poteſt in ratione habentis, uti arma, veſtes, calceos, divitias, honores, &c. Ad illud quoque, ut puto, revocare licebit modos omnes accidentales habendi talia ſeu arma, ſeu veſtimenta, ſeu calceamenta, &c. uti meritò, immeritò; decorè, indecorè: ad ſemper, ad tempus; &c. Sic itaque omnes, ut ita loquar, habitiones, & habitionum differentiæ ad hoc prædicamentum revocabuntur, ſi abſque contentione explicandum eſt. Sed cùm in Scholis Ariſtotelicis contentiosè tractatur, audies diverſiſſimas ſententias, ac non ſine fervente contumacia propugnatas, quibus varia genera rerum, quæ habentur, aut potiùs varia genera habendi illas aut rejiciuntur, aut admittuntur intra iſtud prædicamentum. Exemplum ſit in armis, de quibus contendit Suares ſola defenſiva admittenda eſſe in iſto prædicamento; quia offenſiva, inquit, non habentur per modum formæ; ſed per modum inſtrumenti. Adduci & alterum poteſt in veſtimentis; nam idem Author non omnia pro prædicamentalibus reputat, ſed ea

V. **Quid ſit prædicamentum quod vocant *habere*.**

Digitized by Google

tantummodò, quibus homines paſſim utuntur; cætera enim, inquit, animalia naſcuntur veſtita, ut pilis, ſquammis, velleribus, &c. Homo verò nudus naſcitur; unde arguit ſolas hominum veſtes gaudere ſingulari privilegio occupandi locum prædicamentalem. In quibus & conſimilibus ſtudiis ac ratiociniis nemo non videt, quàm miſerè & inaniter mentes Philoſophorum exerceantur.

VI. Qualiter eadem res poſſit ad plura prædicamenta pertinere.

Addo, ſi quid Philoſophicis exercitationibus indignum eſt, id in primis tale eſſe, quod cum graviſſima ſollicitudine inquiritur frequenter de dignitate prædicamenti, in quo hæc, & illa reponi debeant; quaſi vero una eademque res non poſſit ſub variis reſpectibus ad varia prædicamenta referri; aut rei natura pendeat ex loco prædicamentali, quem illi pro noſtro arbitrio, aut judicio aſſignamus. Inſignem hujuſmodi legere eſt controverſiam apud non paucos Ariſtotelicos de prædicamento, ad quod revocari debeat *geſtare trabem*; an ad prædicamentum actionis: an è contra ad prædicamentum paſſionis: oriturque difficultas ex eo, quòd homo geſtando trabem tum agat, tum patiatur; ſed quæ difficultas? nulla planè; cùm geſtatio illa propter utrumque prædictum reſpectum agendi & patiendi ad utrumque pariter actionis, & paſſionis prædicamentum referri poſſit. Simile quid inquirunt alii de prædicamento ad quod referendum ſit *habere uxorem moleſtam*, an ad prædicamentum *habere*, an è contra ad prædicamentum paſſionis propter moleſtias, quas illa procreat ſuo viro; ſed hæc, & ſimilia plurima, quæ multi ſeriò pertractant, vix puto eſſe digna, quæ obiter referantur.

VII. Quam falsò prædicamentis aliqua realitas tribuatur.

Atque ut tandem concludam quæ hactenùs de prædicamentis tum in genere, tum in ſpecie pertractavi: id in primis perſuaſum eſſe vellem omnibus nihil tam à ſacra veritate philoſophica alienum eſſe, quàm id quod non pauci Ariſtotelici contendere præſumpſerunt prædicamenta aut omnia, aut ſaltem aliqua reputanda eſſe pro realibus. Nam quid per iſtam realitatem intelligunt? An fortè volunt, ut illa fingamus ad inſtar domiciliorum, qualia Architecti ædificant? Sed neque hæc fictio realitatem ullam inducit; neque, ſi ædificanda fuerunt domicilia pro rebus omnibus prædicamentalibus continendis, non inquirerem quis illa unquam conſpexit? Aut quis in illa totum iſtum orbem, utique prædicamentalem, videlicet ſubſtantem, quantum, qualem, &c. conduxit?

VIII. Vel maximè, quia ad illa per-

An fortè rationabiliùs exigunt: ut prædictis prædicamentis, ac præſertim quatuor prioribus realitatem tribuamus propterea quòd intra ſuam latitudinem contineant realitates ſubſtantiarum, quantitatum, qualitatum, relationum, &c.? Sed contra eſt, quia neque ſubſ-